
CHRISTVS
CRVCIS

1581

Bibl. H. III. 7

QVARTVS TOMVS

CONCIONVM DE TEMPORE,

QVÆ post festum Sacratissimi Corporis Christi, vsque ad initium Dominici Aduentus in Ecclesia habentur.

AVCTORE R.P.F. LVDOVICO GRANATENSI, *sacræ Theologiæ professore, ordinis sancti Dominici.*

ADIECTAE sunt in fine duæ conciones, quarum altera ad mortuorum funera, altera ad communes, quæ in vita accidunt, calamitates, deseruit.

Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Daniel. 12.



Ex catalog. lib. PP. Eremitarum Camaldulens. Montis Regij ppe Varsaviam

ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini, Architypographi Regij;
M. D. LXXXI.

APPROBATIO.

HÆc duo volumina Cõcionum de tempore, quę post festum sacratissimi corporis Christi vsq; ad initium Dominici aduẽtus in Ecclesia habentur, cum duabus aliis concionibus in fine adiectis Reuerendi admodum Patris Ludouici Granatensis, ex regij Senatus consulto mihi cõmissa diligenter & accuratè perlegi: in quibus nihil inueni quod (vel latum vnguem) à Catholica fide, & vera, ac germana Sanctorũ doctrina dissentiat: imò verò cũ omnia, quæ in eis sunt, non modò Christianam pietatem redoleant, sed varia quoque ac multiplici eruditione, & diuinarum ac humanarũ literarum supellectile referta sint, concionatoribus, & doctis hominibus valde vtilia fore, cùm ad explorãdos permultos Euãgelicę doctrinę, ac totius sacræ paginæ fontes, tum ad hominũ mores vitamq. prorsus in officio cõtinendam non immeritò iudicamus. Quare prodeant in lucem tanti viri dignissimæ lucubrationes, & in omnium manus perueniant, quas ille semper diuino incensus amore ad veram Dei gloriam, & totius Ecclesiæ incremẽtum & vtilitatem conferendas esse existimauit. Matricij in Collegio nostro Societatis Iesu, die vigesimoprimo Aprilis. Anno M. D. LXXIX.

Alfonsus à Montoya.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIÆ Maiestatis priuilegio cautum est, ne quis *Conciones R. P. F. Ludouici Granatensis, sacræ Theologiæ professoris, &c.* citra Christophori Plantini Architypographi Regij voluntatem, intra decem annos, vel coniunctim vel separatim imprimat, vel alibi impressas importet, distrahat, venalésve habeat per omnes eius ditionis fines, sub pœna confiscationis, & graui multa: vt latiùs patet in litteris datis Bruxellæ vigesima Maij anno M. D. LXXVI.

Signat.

Iac. Blyleuen.

REVERENDISSIMO ADMODVMQVE ILLVSTRI Domino Ioanni à Ribera, Archiepiſcopo Valentino eidemque Patriarchæ digniſſimo F. Ludouicus Granatenſis, perpetuam in Domino felicitatem.



ITTO AD TE Præſul obſeruandiſſ. non quidem primitias, ſed extremum fœtum lucubrationum mearum, hoc eſt, quartum tomũ earum Concionum, quæ poſt ſacratiſſimum feſtum Pentecoſtes in Eccleſia Dei habentur. In iis autem cæteriſq́, quæ iam pridem à me editæ ſunt, adornandis, ſedecim iam annos multis certè vigiliis & laboribus (Domino indigniſſimo ſeruulo ſuo opem ferente) deſudaui. Quo tẽpore cùm ſæpe grauiſſimis morbis, de vita periclitatus fuerim; is tamen, qui vitæ & necis claues habet, (cui ego vigilias meas committebam, ſimul & offerebam) ad hoc tam varium, multorumq́ dierũ opus, vitam largiri dignatus eſt: Qui enim dedit, vt inciperem, dedit etiam, vt abſoluerem & finirem. Hoc autem quidquid eſt operis, Reuerendiſſimæ D. tuæ, velut amoris atq́ obſeruantiæ erga te meæ pignus, deuotus dedico atq́ offero: quem tamen numquàm quidem oculis carnis, mente autem atque animo ſæpe vidi, bono videlicet virtutum tuarum odore illectus, vehementerq́ earundem commemoratione oblectatus. Ea enim virtutis dignitas atque præſtantia eſt, vt eam non modò in iis quos nouimus, ſed in exteris etiam atque adeò in hoſte diligamus. Pro qua communi Domino gratias ſemper agere debes, qui iſtam

tibi mentem immisit, vt conatus tuos omnes, & omnia vitæ studia, ad eius laudem & gloriam, animarumque salutem, libenti atque alacri animo conferres. Id quod tu non vna solùm, sed multiplici ratione & labore semper exequeris. Pascis enim creditum tibi gregem verbo, pascis exemplo, pascis assiduis precibus, pascis sacramentorum ministerio; quæ tu per te administras: ac postremò corpora etiam inopum atque indigentium eleemosynarum largitate pascis. Macte virtute: cuius talis vita est, qualis vitæ exitus sperandus erit! Non dubium, quin vbi tempus aduenerit, immarcescibilem æternæ gloriæ coronam, à principe pastorum Christo, pro talibus operum meritis percepturus sis. Qui Reuerendiss. D. tuam nobis & Ecclesiæ suæ sanctæ quàm diutissimè seruet incolumem. Ex hoc nostro insigni cœnobio sanctæ Mariæ de Victoria Idibus Iulij. M. D. LXXX.


DOMI-

DOMINICA I. POST PENTECOSTEN

CONCIO PRIMA:

In qua lectio Euangelica explanatur.

THE. *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Luc. 6.



RIPARTITAM esse, dilectissimi, absolutæ iustitiæ rationem constat; cuius pars prima Deo, secunda nobis, tertia proximis quod æquum & iustum est reddit. De duabus autem prioribus aliàs: de hac autem nouissima quæ ad proximos pertinet, in hodierna sancti Euãgelij lectione cælestis magister disserit. Hæc porrò tertia iustitiæ portio duabus præcipuè partibus constat, quarum altera benignè facere monet, altera malefacere vetat. De vtraq. igitur hoc in loco Saluator disputat. De priore namque ait, *Estote misericordes sicut & Pater vester misericors est.* Misericordiæ verò officia simul & præmia declarat, cùm mox subdit, Dimitte & dimittemini, date & dabitur vobis. De posteriore autem iustitiæ parte disserit cùm ait, *Nolite iudicare & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini,* & cætera quæ deinde sequuntur. Cùm ergo Dominus de hac bipartita erga proximos iustitiæ in præsenti lectione saluberrima nobis documenta proponat, de eisdẽ nos quoque in præsenti concione eius aspirante gratia sermonẽ habebimus. Quod vt piè & religiosè præstare valeamus, cælestem opem sacratissimæ Virginis interuentu suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Inter præclara beneficia quæ liberalissimus ille rerum omnium Dominus generi humano largitus est, principem locum obtinet, quòd vnigenitum filium suum non modò in redemptorem & libertatis nostræ vindicem, sed etiam in doctorem, atque voluntatis suæ interpretem nobis donauit. Quod beneficium non immeritò Apostolus amplificat, cùm ab hac sententia Epistolam ad Hebræos scriptam exorsus est; Multifariam (inquit) Hebr. 1.

(inquit) multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis loquutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & secula. Nec minus beneficium hoc Moses amplificauit, qui post legem in monte Synai ipsius domini voce latam, ad populum ait, Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te, ex die quo creauit Dominus Deus hominem super terram, à summo cælo vsq. ad summum eius, si facta est aliquando huiuscemodi res, aut vnquam cognitum est, vt audiret populus vocem Domini Dei loquentis de medio ignis sicut tu audisti. Huius autem beneficij gratia exultare & gratias agere nos Propheta iubet, cùm ait, Et filij Sion exultate in Domino Deo vestro: quia dedit vobis doctorem iustitiæ: & descẽdere faciet super vos imbrem matutinum & serotinum: vt videlicet verbi Dei semen eius opera in terra cordium vestrorum iactum, & cælestis gratiæ imbribus irrigatum, fructus germinet æternæ vitæ. Munus autem hoc Saluator noster cumulatissimè præstitit, sicut ipse in Psalmo ait, Annuntiaui iustitiam tuam in Ecclesia magna: ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti. Quid enim aliud sacra Euangelia, nisi iustitiam Dei annuntiant? Iustitiæ autem nomine virtutem omnem & sanctitatem Hebræo more significauit. Quia enim ad iustitiam præcipuè pertinet vnicuique reddere quod suum est, virtus autem hoc ipsum cumulatissimè præstat: ideo non mirum si iustitię nomine virtutem omnem complexus est.

Deut. 4.

Ioel. 2.

Psal. 39.

In hodierna autem sancti Euangelij lectione de ea iustitiæ parte Saluator disserit, quæ ad communem hominum societatem, hoc est, ad proximi dilectionem pertinet; in cuius explicatione commodissimum à misericordia exordiũ sumpsit. *Estote*, ait, *misericordes sicut & Pater vester misericors est*. Vt autem intelligamus de quo misericordiæ genere Dominus disserat, misericordiæ nomen exponendum prius est. Misericordia aliquando virtutem, aliquando affectum, quandoq. verò vtrumq. simul comprehendit. Et quidem primo illo modo, misericordiam in Deo & beatis mentibus ponimus: quæ sine vllo doloris sensu miseris opitulantur. Misericordia verò secundo modo, affectus quidã & sensus doloris est, ex aliena miseria in animo nostro contractus. De quo affectu verba illa Sancti Iob intelligenda esse videntur. Ab infantia mea creuit mecum miseratio, & de ventre matris meæ egressa est mecum: miseratio enim quæ ex matris vtero homini conuenit, affectum magis

quàm

quàm virtutem designare videtur. Deus enim non modò aliis rationibus, sed hac etiam humanæ infirmitati consultum esse voluit. Qui quidem affectus (vt Aristoteli placet) in senibus, in fœminis, & infirmis hominibus maximè dominatur. Quia enim omnes hi infirmitate sua admoniti, pericula sibi imminere reformidant, ideò quam sibi misericordiam exhiberi cupiunt, aliis impendunt. Vnde insignis illa femina apud Poëtam loquitur:

Non ignara mali miseris succurrere disco.

Contrà verò de huius seculi beatis atque potentibus Propheta dicit, Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, nihil patiebantur super contritione Ioseph. His autem personarum generibus sanctos viros addo, in quibus cùm diuina gratia non euertat, sed perficiat naturam, hic naturalis misericordiæ affectus longè perfectiùs deprehenditur. Vnde est illud Salomonis: Nouit iustus animas iumentorum suorum, viscera autem impiorum crudelia. Impij namque sceleratæ vitæ merito non solùm gratuita Dei dona, sed ipsius etiam naturæ munera atque beneficia penè perdiderunt. Inuenitur hic etiam blandus animi motus cum virtute coniunctus. Quæ res adeò laudanda est, vt diuus Gregorius dicat, Plus esse aliquando compati ex corde, quàm donare: quia quisquis indigenti perfectè compatitur, minus æstimat omne quod donat. Rursumque, tantò, ait, quisque perfectior est, quantò perfectiùs dolores sentit alienos. Cùm ergo Dominus nos ad misericordiam inuitat, non eam misericordiam intelligit, quæ solùm cordis affectum continet, sed vel eam quæ virtus solùm est, vel virtuti hunc benignitatis affectum habet adiunctum. Ait igitur Dominus:

Amos 6.
Pro. 12.
Gregor. lib. 20. Moral.

Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Hic enim Pater super ingratos & malos benignus esse dicitur: Solem quippè suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Omnibus enim ex æquo sol radiat, dies illuminat, fontes irrigant, imbres irrorant. Similem ergo vos misericordiam & beneficentiam citra personarũ acceptionem sectamini: nil in homine nisi humanitatẽ, nisi diuinitatis imaginem, nisi præceptum Domini atque adeò ipsum Dominum spectantes: quandoquidem ipse dixit, Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.

Matth. 5.
Mat. 25.

Simus etiam misericordes sicut Pater cælestis misericors est: qui vt sine personarum acceptione, ita sine vllo emolumento & spe fructus percipiendi, liberalis & munificus in omnes est. Hoc est e-

Rom. 12. est enim cuius nos Apostolus breuiter admonet, cùm ait, Qui tribuit, in simplicitate. Quam quidem sententiam cælestis magister latius explicuit his verbis, Cùm facis prandium aut cœnam, noli inuitare diuites qui te iterum inuitent, & fiat tibi retributio: sed voca pauperes, & claudos, & beatus eris: quia non habent vnde retribuant tibi: retribuetur autem tibi in retributione iustorum. Quibus verbis Dominus huius operis finem, hoc est intentionis simplicitatem & puritatem vehementer cõmendatam nobis esse voluit: vt videlicet in hoc benignitatis officio non affinitatis necessitudinem inspiciamus, non mundi gloriam, non hominum oculos, non humanæ retributionis spem, non denique terrenum aliquod emolumẽtum & lucrum: sed quatenus fieri possit, in vnum Deum mentis oculos coniiciamus, & ab omni terreni lucri spe mentem denudemus: quò enim ea ab omni vtilitatis intuitu purior fuerit, eò maioris apud Deum meriti erit. Inter hæc enim officia illud fructuosius est, quod minori terreni fructus spe geritur. Hac enim de causa tanta cura Dominus eleemosynam clam fieri voluit, ne quid esset præter ipsum quod nos ad eam alliceret: atque ita quod foris rectè gereretur, intus à mercede boni operis non euacuaretur. Denique vt vno verbo dicam, ibi maximè Deum esse intelligamus, vbi nihil nostrum deprehendimus. A qua intentionis simplicitate improbi in muneribus cõferendis longissimè absunt. Hinc in Ecclesiastico legimus, Datus insipientis non erit vtilis tibi, oculi enim eius septemplices sunt. Quibus verbis innuit, auaros atque sui amantes homines multa metere velle, vbi aliquid fortè seminarunt: quæ res à christiana beneficentia plurimum distare debet.

Marginal references: Luc. 14. — Matth. 6. — Eccl. 20.

I.

Sed fortè huius misericordiæ quæ præmia sint requires. Hoc nisi multis concionibus explicari non potest. Paucis tamen Dominus huius præmij magnitudinem in sacra huius diei lectione exposuit, cùm post misericordiæ commendationem, vberrimum eiusdem præmiũ subiecit, cùm ait, *Mensurã bonam, & confertam, & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Quid hoc est? *Mensuram*, inquit, *bonam*, hoc est iustã: *& confertam*, id est pressam: *& coagitatam*, hoc est, bene cõcussam. Hac enim diligentia fit, vt vas quo metimur, capacius fiat. Addit quartam conditionem, cùm dicit, *supereffluentem*; qua conditione posita nihil amplius emptor desiderare potest. Hac autem materialis mensuræ similitudine cælestis mercedis

mercedis magnitudinem misericordiæ officijs propositam significare Dominus voluit. Vt enim emptor supra hanc mensuram nihil habet, quod vlterius desiderare possit: ita misericordiæ præmium tale erit, vt vir misericors nihil amplius optare queat, quàm quod sibi à misericordiæ parente præstandum erit.

Inter magnifica autem virtutis huius præmia, non postremum locum obtinet, quod per eam sibi in alia vita homo thesaurizat, & in tuto loco reponit quidquid aliis tribuit. Quod apertè Ecclesiasticus significauit, cùm dixit: Misericordia viri quasi sacculus cum ipso: gratiam hominis quasi pupillam conseruabit:& posteà resurget,& retribuet illis retributionem. Sacculi autem nomine, significare voluit pios homines, ea secum post mortem velut in sacculo in cælum deferre, quæ indigentibus largiti sunt. Quocirca prudenter admodum nos Salomon ad huius virtutis officium adhortatur his verbis, Mitte panem tuum super transeuntes aquas: & post longa tempora inuenies eum. Quod igitur tecum afferre non poteras, si pauperi porrexisti, tecum sustulisti. Quod genus commercij aptissima hac similitudine quidam explicant. Aiunt enim misericordem virum similem esse ei, qui cum pomarij alicuius domino hoc pactum inierit; vt is vescatur pomis intra pomarium quantum voluerit:ea tamen lege, ne quid foras secum efferret. At ille qui hortum intrauit, sic horti dominum elusit, vt ex pomis partim quidem comederet, partim verò iuxta maceriam positus, foras proiiceret, atque ita tandem nihil secum deferens, foris inuenit quod secum ferret. Simile ergo pactum rerum omnium Dominus, cum omnibus hominibus iniit: vt in hoc seculo bonis omnibus ab ipso impensis potiantur;hac tamen lege,vt dum ab eo migrauerint,nihil secum deferant. Vult enim eandem esse moriendi & nascendi conditionem:vt quemadmodum nihil intulimus in hunc mundum, ita nihil extra illum auferamus. Quid igitur hac lege constricti consilij capiemus? Nimirum quod ille cepit,qui pomarium ingressus est: vt videlicet ex opibus à Deo concessis partim quidem in hoc mũdo comedamus, partim verò pauperibus erogantes, eas extra hunc mundum proiiciamus: hac enim ratione opes nostras in cælestes thesauros manus pauperum deportabunt. Videtis ergo fratres, verissimè à Salomone dictum esse: Mitte panem tuum super transeuntes aquas, & post longa tempora inuenies illum?

Eccli. 17. Eccle. 11. Simile. 1. Tim. 6. Eccle. 11.

Sed fortè ais, obstant peccata quæ admisi, quæ mihi aditum in cælum præcludunt. Ad hoc tibi respondet primùm sanctus ille Tobias, Eleemosyna, inquiens, ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Respondet item Ecclesiasticus: Sicut aqua (inquiens) extinguit ignem: ita eleemosyna resistit peccatis. Magna enim est, vt diuus Ambrosius ait, eleemosynæ virtus: quæ ardentium criminum globos beneuolētiæ suæ fonte refrigerat; & quodam irriguo largitatis obruit incēdia vitiorum: vt quamuis offensus Deus, & criminibus prouocatus, cogatur liberare eleemosynis, quē disposuerat punire peccatis. Itaque vir misericors, homini ferocem taurum fugienti similis esse videtur, qui cùm iam cornibus eius penè hæreat, penula supra illius oculos coniecta, iam iam impetentem deludit, atque ita amissa toga, vitam seruat incolumem. Sic tamen fratres, misericordiæ virtutem commēdamus, vt pœnitentiam cum ea necessariam esse profiteamur; sine qua nemini ad salutem aditus patet.

Ambros.

Simile.

Verùm quia non satis est misereri, & propter Deum misereri, nisi rectè etiam miserearis, hoc est, modum in miserendo adhibeas: propone tibi ante oculos Zachæum Publicanum misericordiæ laude præstantem, vt eius exemplo misereri discas. Ecce ait ille, Domine, dimidium bonorum meorum do pauperibus; & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Quot verba, tot sententiæ, tot misericordiæ documenta. Primùm enim quod ait, dimidium, auaritiam nostram accusat: qui vel nihil pauperibus donamus, vel exiguum adeò est quod donamus, vt eorum miseriam ope nostra leuare nequeat; cùm tamen Apostolus dicat: Qui parcè seminat, parcè & metet: qui autem seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Deinde quòd ait, bonorum, superbiam & delicias nostras damnat, qui, quæ penè putrida & vilissima sunt, pauperibus damus, cùm tamen lautiora, & delicatiora ventri reseruemus. Exinde quòd ait, meorum, illos arguit, de quibus scriptum est: Qui offert sacrificium ex substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris. Et iterum, Ego, inquit, Dominus diligens iudicium, odio habens rapinam in holocaustum. Iam verò quòd verbo vtitur temporis instantis, cùm ait, do, illos obiurgat, qui nihil ipsi pium in vita molientes, omnia posteris testamento facienda committunt.

Luc. 19.

2. Cor. 9.

Eccli. 34.

Esa. 61.

Postremò vltima illa conditio maximè notanda est: quòd videlicet ita se pius hic Publicanus misericordiæ operibus dedit,

dit, vt iustitiæ legem nullo modo negligeret: Ait enim, Si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Adeò enim iustitiæ studiosus erat, vt non contentus tantundem reddere quantum abstulisset, quadruplum etiam incredibili quodam iustitiæ amore redderet. Quod quidem exemplum mores nostros vehementer arguit, qui adeò præpostero ingenio sumus, vt magis ad ea quæ consuluntur, quàm quæ præcipiuntur, afficiamur. Cumque in diuinis literis quædam sint monita, & cõsilia, quædam præcepta; hoc est, quædam voluntaria, quædam necessaria, quæ omnibus anteferenda sunt, nos tamen vel corruptæ naturæ vitio, vel Dæmonis instinctu, sic inuersi sumus, vt non rarò præceptis consilia, & necessariis voluntaria anteferamus. Cernere enim licet homines, qui ex pio in beatam Virginem studio Sabbathi ieiunium nullo modo prætermittent, qui tamen ab Ecclesia instituta ieiunia facilè violant. Quo quid esse magis præposterum potest? Sunt rursus alij, qui in pauperes, & templorum fabricas, liberales atque magnifici sunt, qui tamen neque parentibus, aut affinibus necessitate cõstrictis, aut etiam seruis fame laborantibus, quicquam impendunt, neque mercenariis, aut creditoribus debitum soluunt: quos certè miserari vehementer oportet, quòd non ludendo, aut aliàs improbè agendo, sed benefaciendo, non præmium sibi, sed supplicium comparant. Quo enim alio crimine Saul Rex in tot mala præcipitatus est, nisi quòd prætermissis iustitiæ præceptis, greges quos ex diuino mandato interficere debuit, ad sacrificium Domini reseruauit? Cui Samuel; Nunquid, ait, Dominus sacrificium vult, ac non potiùs vt obediatur voci eius? Melius est enim obedientia, quàm victimæ &c. Talibus sacrificiis acriter Dominus per Prophetam insultat his verbis, Holocaustomata vestra addite victimis vestris: quia non sum loquutus patribus vestris, de verbo holocaustomatum; sed hoc loquutus sum eis, Audite vocem meam, & non audierunt. Itaque his verbis obedientiam Dominus non sacrificium exigit, vbi aut sacrificium, aut quodcunque aliud pium opus obebientiæ aduersatur. Inter omnes itaque dæmonis astus hic maximè timendus est: per quem is sub virtutis imagine, voluntatis propriæ venenum incautis propinat. Hæc igitur prima iustitiæ erga proximum pars est: quæ tota misericordiæ officiis continetur.

1. Reg. 15.

Hier. 7.

II.

Altera iustitiæ erga eundem pars est, quæ omne prohi-

bet

bet nocumentum, non modò quod lingua & manu, sed etiam quod animo inferri potest. Sequitur enim, *Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite cōdemnare, & non cōdemnabimini.* Quibus verbis duo potissimum vitia prohibet, ad quę homines procliues admodum sunt: quæ partim animo, partim lingua committuntur. Primùm enim prohibet aliorum facta iudicare, hoc est ea quæ rectè fieri possunt, sinistra interpretatione damnare. Illa enim (vt diuus Augustinus ait) quæ ignoramus, vtrùm bono an malo animo fiant, iudicare penitus non debemus: vidisti hominem in dicto publicè ieiunio ante horam prandere, noli eum damnare: cùm hoc & rectè ex iusta causa, & non rectè, ex sola cupiditate fieri possit. Vidisti alium famulos suos seuerissima disciplina corripientem, noli iudicare crudelem; quia forsitan hoc non morbo iracundiæ sed zelo disciplinæ, & amore iustitiæ inductus agit. Hoc enim affectu commotus Propheta dicebat, Zelus domus tuæ comedit me. Fortè aliquis vicinus aut amicus, dum animum habet alicui rei vehementer intentum, aut tardiùs te salutauit, aut tardiùs occurrit quàm debuit, noli eum superbum aut parum amicum iudicare; sed magis hoc aut ex obliuione, aut negligentia, quàm ex superbia factum crede: præsertim cùm & hoc ipsum eadem de causa tibi nonnunquam euenerit. In his ergo rebus, quæ vtrum bono an malo animo fiant, scire non possumus, candido animo esse iubemur, nihil malignè, nihil in sinistram partem interpretantes.

Aug. — Psal. 68.

Qua in re illud est obseruatione dignissimum, quòd vsque adeò nos Dominus ab omni proximorum iniuria abstinere voluit, vt non modò opere aut verbo, sed ne cogitatione quidem passus sit eos à nobis violari. Quodque maius est, nō modò voluntatis odium, sed intellectus quoque temerarium iudiciū vetuit. Et quidem satis esse ad iustitiam videbatur, si manus, aut linguæ iniuriam prohiberet: quod leges humanæ faciunt. At diuina lex vsque adeò malefaciendi affectū comprimit, vt Ioannes dicat; Qui odit fratrem suum, homicida est. Nec hoc solo contentus, aliud adiecit nouum, & ante hunc diem in philosophorum doctrina inauditum, nempe iudicium intellectus, cùm ait; *Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini.* Sed aliquis forsitan nimis durum hoc esse putans, dicat; Si ego vicino meo nec opere, neque verbo, nec vindictæ cupiditate noceo, cur mihi liberum non erit, solo intellectus iudicio illum iudicare? At Dominus rem adeò sacram

nobis

nobis proximum esse voluit, vt hoc ipsum iudicium inter capitalia crimina computauerit. Vt enim capitale crimen est, prauam de proximis opinionem maledicis verbis in aliorum cordibus seminare; ita etiam capitale est eandem opinionem temerè in corde nostro concipere. Iniurius enim homini est, qui sine causa malè de eo sentit. Est quidem patribus familiâs sinistrum aliquid de famulis suspicari, vt familiæ suæ opportunè consulant, permissum est. Nemini autem temerè iudicare, & sententiam ferre, nisi in re apertissima conceditur. Veræ enim atq. germanæ charitatis est, aliena delicta aut planè non videre, aut extenuare, aut candidè interpretari, aut etiam ad illa blandè leniterque conniuere; præsertim cùm iuxta D. Gregorij sententiam vera iustitia compassionem habeat, falsa verò indignationem. Gregor.

Cæterùm quòd ad se ipsum attinet, longè aliter quàm erga proximum se homo gereret debet. Aduersus enim vitia sua indignari, & incandescere, erga se rigidus atque seuerus vitæ atque operum suorum explorator esse debet: in eoque studio magnam vitæ partem insumere, atque illud implere: quod est à quodam viro sanctissimo dictum; Vt teipsum semper inspicias, ab omnibus aliis oculos auerte. Sed ô deplorandam humani ingenij peruersitatem! Hoc enim saluberrimo studio neglecto, tempus omne in aliena vita curiosiùs indaganda expendimus: relinquimus quod salutare est, & id appetimus quod vehementer est noxium; ægrotis similes, qui salutares cibos fastidientes, nocituros sitienter appetunt. Quis autem verbis exprimere queat, quàm multas sui ipsius cognitio atque exploratio vtilitates pariat? Seipsum enim cognoscere, totius sapientiæ caput & fundamentum esse veteres dixerunt: adeò vt hanc vocem, Nosce te ipsum, è cælo allatam esse crederent: tantum in ea sapientiæ esse iudicabant. Hæc item salutaris cognitio luctus & pœnitentiæ initium est: cùm tam multa intra se homo videt, quæ lachrymarum & pœnitentiæ sibi materiam subministrent. Eademque nos ad assiduè orandum, & misericordiam Domini implorandam excitat, cùm homo miseriis suis eruditus, in sola Domini misericordia respirat, eamque sibi sine intermissione postulandam decernit. Quid, quòd humilitas, virtutum omnium fundamentum & custos, ab hoc eodem fonte dimanat? Est enim humilitas (vt diuus Bernardus ait) virtus, qua homo verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit. His igitur de causis nos cęlestis magister ab aliorum Simil. Bernard.

moribus

moribus & vita curiosiùs indaganda auocat, vt tantò magis nostri ipsorum cognitioni vacemus, quantò minus alienæ vitæ perscrutandæ operam damus: præsertim cùm humanæ vitæ iudicium ad supremum illum iudicem reseruatum sit, qui solus
Prou. 16. spirituum ponderator est, solus renes scrutatur & corda, so-
Psal. 7.
Hebr. 4. lus est cogitationum atque intentionum cordis discretor. Quocirca ab hoc iudicio nos etiam Apostolus reuocat, cùm ait,
1. Cor. 4. Itaque fratres nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo. Qua ex re liquet eos qui sese alienæ vitæ, alienæque intentionis iudices præbent, Dei munus atque officium indignè sibi vsurpare, & in alienam messem falcem mittere. Vnde idem A-
Rom. 14. postolus ait, Quis es tu qui iudicas seruum alienum? Domino suo stat, aut cadit.

Hoc est igitur, vt dixi, fratres morbidæ naturæ ingenium, ea appetere quæ nocent, & ea fastidire quæ vehementer prosunt. Quid enim, vt antè diximus, magis prodest, quàm cognitioni sui ipsius vacare? Quantùm verò obest aliena vitia curiosius perscrutari? Veruntamen adeò præpostero ingenio sumus, vt illud semper negligamus, in hoc verò multi simus: repudiamus (vt dixi) salutaria, noxia concupiscimus: profutura respuimus, nocitura appetimus: vitam aspernamur, mortem asciscimus: oculatissimi ad aliena mala peruidenda, talpis au-
Simil. tem cæciores ad nostra contuenda: oculis nostris planè similes, qui cùm omnia alia videant, seipsos minimè vident. Hinc Pythagoras sapienter admodum dicere solitus erat, mortales
Pythago. cunctos, duas secum peras circunferre, in quarum posteriori
Simil. propria vitia, in anteriori verò aliena gestarent: vtpote qui malorum suorum obliti, quibus mederi conueniebat, aliena semper ante oculos haberent, quæ nihil ad eos attinent. Hæc enim amoris vis est, vt amantis oculis tenebras & caliginem offundat. Qua de causa veteres olim amorem illum suum quem deum faciebant, & puerum, & oculis captum depingere solebãt, duplici videlicet nomine, ætatis & cæcitatis, illius stultitiam atque amentiam designantes. Cùm igitur seipsum quisque vehementer amet, alios verò non perinde amet, fit vt delicta propria amore sui mẽtis oculos excæcante, minimè videat: aliorum verò quos non ita amat facilè videat.

Est & alia causa, cur multi in aliorum delictis explorandis perspicaces oculos habeant: quia videlicet vitia sua extenuare,

bonorum

bonorum virorum exemplo volunt: ideoque eorundem lapsus (si qui fuerint) in vulgus efferunt, vt ipsorum comparatione excusatiùs ipsi peccare videantur. Qua de re sic D. Hieronymus; Malorum, inquit, solatium est, bonos carpere: dum peccantium multitudine culpam putant posse minui delictorum. Hieron. in Epist.

Alij autem maiori quodam supercilio non extenuare crimina sua, sed seipsos vendicare, & aliorum obiurgatione sanctitatis atque integritatis opinionem aucupari volunt: ideoque seuerissimos se alienæ vitæ iudices præbent. Aduersum hoc autem hominum genus in sacra huius diei lectione acriter Dominus inuehitur, cùm eos & hypocritas, & cæcos, & cæcorum duces appellat; quòd videlicet superbè sibi magistrorũ officium arrogent: dum ad vitia sua conniuentes, seuerissimi alienæ intemperantiæ iudices fiunt.

Sed fortè aliquis istorum dixerit; An non meritò indignari contra homines impudicos, ludo, aleæ, ventrique seruiẽtes, debeam? à quibus ego vitiis alienissimus sum? Sit ita sanè, vt ab his tu vitiis immunis sis. Vide tamen ne fortè aliis multò grauioribus obnoxius existas. Tu enim contra Saluatoris præceptum festucam ab alienis oculis excutere vis, cùm ipse trabem ab oculo tuo non excutias. Erit ille quem dicis forsitan impudicus, at tu ab hoc flagitio immunis, eris fortasse aliorum contemptor atque superbus: quod est longè periculosius. Erit alius forsitan vorax, viniq́ue potator: at tu eris fortasse alienæ vitæ atque famæ detractor: quod planè deterius est, cùm ille carnibus pecorum, tu humanis (vt ita dixerim) carnibus vescaris. Cuius rei gratia Apostolus ait, Si inuicem mordetis, & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini. Erit alius leuibus ac dissolutis moribus; sit ita sanè, sed tu ab hoc vitio liber, eris forsitan inuidus & malitiosus. Erit alius iræ atque furoris impatiens, qui tamẽ vt citò irascitur, sic citò placatur: tu forsitan tardius irasceris; sed tamen tardius aut numquàm placaris: quod est longè grauius. Hinc D. Augustin. Melior est, inquit, qui quamuis ira sæpè tentetur, tamẽ impetrare festinat veniam ab eo, cui se fecisse agnoscit iniuriam, quàm qui tardius irascitur, ad veniam petendam tardius inclinatur. Hac igitur de causa omnes isti periculosissimè errant, quando se ab illis vitiis quæ arguunt, alienos vident, cùm tamen maioribus ipsi vrgeantur. A quo illos errore vindicare Dominus nititur, cũ eos admonet, vt priùs trabem oculis suis inhærentem eximant, & tunc demum festucam alienis oculis infixam remoueãt. Eosdem etiam magistro-

rum dignitatem & officium sibi indignè arrogare ait, cùm magister discipulis superior & sanctior esse debeat: quod ab his tamen alienum erat, qui eisdem vitiis quibus discipuli, aut etiam grauioribus obnoxij erant. Quos Dominus oratione illa, qua aduersum Pharisæos adulteram fœminam accusantes, vsus est, castigat & arguit; Qui sine peccato, inquit, est vestrûm, primus in eam lapidem mittat. His igitur sententiis, fratres, occultissimum superbiæ vulnus (quod in multorum pectore latet) curare Dominus intendit; qui alienæ intemperantiæ delatione, vel obiurgatione, sanctitatis opinionem venari volunt: quos ideò hoc in loco hypocritas meritò appellat, qui cùm in animo aliud sint, aliud fronte mentiuntur.

Demus igitur operã fratres, vt ab his vitiis abhorrentes, præceptis Euãgelicis auscultemus, nemineẽ iudicemus, nemineẽ condemnemus, & aliorũ vitia minimè obseruãtes, nos ipsos & mala nostra prudenter inquiramus, assiduè lugeamus, & solicitè emendare curemus: neque hac iustitiæ parte contenti, misericordiæ & benignitatis officiis incumbamus, mensuram illam æternæ retributionis bonam, confertam, coagitatam, & supereffluentem expectantes; quam supernus ille mundi arbiter ac Dominus, misericordiæ operibus pollicitus est.

IN EADEM DOMINICA PRIMA POST PENTECOSTEN CONCIO II.

in qua post Euangelicæ lectionis explanationem, de charitate & misericordia charitatis filia disseritur.

THE. *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Luc. 6.



Onstat planè, fratres dilectissimi, nulla magis re homines siue in vita, siue in morte, quàm diuinæ misericordiæ ope indigere: quæ commune miseriarum omnium perfugium est. Nec peccatores modò, sed iustos etiam qui inculpatè vixerunt, hac misericordia indigere declarat D. Augustinus, qui de sanctissimæ matris suæ obitu cum Deo loquens sic ait: Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia tua discutias eam Domine! Ego itaque laus mea & vita mea, Deus cordis

Aug. lib. 9. confessionum.

mei

mei, sepositis paulisper bonis eius actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis matris meæ deprecor te: exaudi me per medicinam vulnerum nostrorum, quæ pependit in ligno, & sedens ad dexteram tuam, te interpellat pro nobis. Scio misericorditer operatã, & ex corde dimisisse debita debitoribus suis: dimitte illi & tu debita sua, si qua etiam contraxit per tot annos post aquam salutis. Dimitte Domine, dimitte obsecro, ne intres cum ea in iudicium. Superexaltat misericordia iudicium, quoniam eloquia tua vera sunt, & promisisti misericordiam misericordibus. Hactenus Augustinus. Ex cuius verbis apertè liquet, quàm sit mortis hora iustis etiam hominibus formidanda, & quantum diuinæ misericordiæ subsidio in illa egeant etiam qui castè & integrè vixerunt. Formidare certè se illam ostendebat Sanctus Rex Dauid his verbis cum Domino agens; Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Quod perindè est ac si diceret; Si me Domine voces in iudicium, deque vita & moribus meis quæstionem exerceas, nulla misericordia seueritatem iuris mitigante, nihil ostẽditur mihi ad spem salutis. Quis enim tam piè, tam sanctè viuit in terris, vt rationem reddere iussus ad tribunal tuũ, causam suam defendere ac tueri possit, si velis exigere omnia quæ tibi & meritissimo & optimo iure debentur? Si enim iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Has sententias significant verba viri sancti cùm ait, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Itaque D. August. in explanatione huius versiculi, cùm dixisset neminem in terris atque in humano corpore viuentem excipi, ne Apostolos quidem: multaque in hanc sententiam disseruisset, cõcludit his verbis, Dicãt igitur Apostoli, dicant; Dimitte debita nostra: & cùm eis dictum fuerit, Quare hoc dicitis? quę debita vestra? respondeãt; Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Hactenus August. Quo minus mirandum est fratres, si multi ex sanctissimis patribus hoc diuinum iudicium, præsertim cùm morti proximi essent, magnoperè pertimescerent. Sic enim insignis ille inter Aegypti patres Agatho hoc tempore trepidus erat, discipulísque qui eius innocentiam probè nouerant, hunc ipsius timorem demirantibus & causam eius percontantibus, Quoniam, inquit, filij, alia sunt Dei, alia hominum iudicia; sæpeque apud illum sordet, quod apud homines in pretio est. Hic autem timor fratres, falsam multorũ securitatem arguit. Quid enim par est, vt faciat virga deserti, quando sic concutitur cedrus

Psal. 142.

drus Libani? Si sic timet antiqua innocentia, cur nō timeat diuturna & inueterata malitia? Si iustus (inquit Petrus) vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?

1.Petri 4.

Sed vt ad id, cuius gratia hæc à me inducta sunt veniam, liquet planè his exemplis, quàm sit omnibus, cùm in vita tum in morte misericordia Dei necessaria. At summus ille humanæ salutis amator, hanc tantam rem, tamque necessariam in manu nostra quodammodo posuisse videtur, cùm dixit; Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et in sacra huius diei lectione, *Eadem*, inquit, *mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis*. Quibus verbis hoc apertè innuit, vt non modò misericordiam apud Deum inueniat, qui misericors in homines extiterit, sed copiosam etiam misericordiā inueniet, qui larga manu in miseros misericors fuerit. In potestate ergo nostra situm est, talem supernum illum iudicem deprehendere, qualem causæ & saluti nostræ inuenire volumus. Talem quippe inueniemus, qualem nos cæteri homines erga ipsos inuenerint. Si enim quisque nostrum erga proximū misericors fuerit, misericordem illum inueniet: si liberalis, liberalem; si blandus, blandum; si lenis, lenem. Contrà verò si durus, si seuerus, si inexorabilis, & immisericors erga proximos fuerit, talem vtique supernum iudicem deprehendet. Iudicium enim sine misericordia ei, qui non fecerit misericordiam. De hac igitur adeò necessaria virtute sermo mihi hodie habendus est. Quia verò misericordia charitatis est filia, fieri non poterit, quin simul de matre & filia cōiunctim, vbi opus fuerit, disseramus. I.

Matth.5.

Iacob. 2.

Prius autem quàm id quod proposui expediam, Euangelica lectio explananda est. Est autem hæc sacra lectio (vt ex Matthæo colligi potest) pars quædam diuinissimi eius sermonis, quem ad discipulos Dominus in monte habuit, variis Euangelicæ doctrinæ documentis refertum: quibus hæc quoque hodierna sancti Euangelij lectio non vacat. Ad quam plenius intelligendam animaduertendum est, in suppliciis reproborum, & piorum præmiis, non modò iustitiæ diuinæ æquitatem, sed etiam sapientiæ consiliū miro ordine & ratione elucere. Non modò enim iustissima præmia & supplicia Dominus, sed etiam aptissima & conuenientissima piis & improbis, non in altera vita solùm, sed in hac etiam constituit. Sic de magnæ illius meretricis supplicio in Apocalypsi legimus: Quātū glorificauit se, & in delitiis fuit, tantum date ei tormentū & luctum. Sic inhumanus ille diues ex Euangelio, qui epulabatur quotidie splendidè, in

Matth.5.

Apoc. 18.

Luc. 16.

in lingua præcipuè quã is variis in vita cupediis, dapibusq́. oblectabat, ardentissima siti cruciabatur. Sic etiã Rex ille Chananæorum Adonibezech, qui quos bello ceperat Reges, amputatis manibus, pedibusq́. sub mensa sua cibum capere cogebat, eodem ipse supplicio cælesti perurgente vindicta interfectus fuit. Contrà verò in pietatis & benignitatis officiis remunerandis, suũ quoq. Dominus ordinem & conuenientiam cumulatiori tamẽ mercede seruat. Sic enim Abraham, qui dilectissimũ filium Isaac, Domino præcipiẽte, immolare parabat, tot filiorum promissionẽ pro vno illo, quot essent astra cæli, accepit. Sic Dauidi Regi, quoniã domum ædificare Domino, in qua arca requiesceret, animo destinauerat, sempiternam regni domũ nullis vnquam seculis interiturã promisit: cuius promissionis veritas in Christi Dñi Dauidis filij regno quod sempiternũ erit, impletur. Videtis ergo his exẽplis, quã aptè diuina æquitas & sapientia, & virtutibus præmia, & sceleribus supplicia aptare soleat?

Iudic. 1.
Genes. 22.
1. Par. 17.

Hoc igitur constituto, facilè sacræ huius lectionis mirabilem Philosophiam paucis comprehensam intelligetis. Vbi enim Dominus nos Patris sui exemplo ad misericordiæ opera his quæ initio proposui verbis adhortatus fuisset, adiũxit protinus; *Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non cõdemnabimini: dimittite, & dimittemini: date, & dabitur vobis.* Videtis hic non modò diuinæ iustitiæ æquitatem, sed aptissimam etiam præmiorum conuenientiam, quæ virtutum officiis à sapientissimo iudice proposita sunt? Quæ omnia vnica illa breuique sententia (quæ tamen latissimè patet) complexus est, cùm subdit: *Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.*

Cæterùm, ne quis cùm audit eadem mensura bonorum operum mercedem esse à Deo retribuendam, mercatorum more parem valori operum nostrorum mercedem esse tribuendam existimet, adiungit protinus: *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestum.* Neque enim immensa illa bonitas ementium atque vendentium more par pari refert, sed summa largitate atq. ineffabili magnificentia piorum opera remunerat: dum pro terrenis cælestia, pro modicis magna, pro temporariis sempiterna, pro fluxis & caducis solida & stabilia, & pro mortalibus denique immortalia bona largitur. Hinc Apostolus; Momentaneũ, inquit, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

Hanc porrò superabundantem diuinæ mercedis magnitudinem designauit Dominus cùm dixit; *Mensuram bonam & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* His enim verbis omnia quæ ementes homines in mensura qua illis merces exhibetur, optare possent, explicuit. Hac igitur allegoria Dominus, quàm sit copiosa merces illa, quæ iustorum laboribus in cælo reposita est, declarauit: quæ quidem adeò plena & superabũdans est, vt nihil ampliùs in ea omnium mortalium vota desiderare queant. Verissimè enim à Propheta de diuinis præceptis dictum est, In custodiendis illis retributio multa. Hinc Dominus ad Abraham, Noli, ait, timere Abraham: ego protector tuus & merces tua magna nimis. Quanta igitur illa merces erit, quam summus ille rerum omnium Dominus qui omnia infinita potestate complectitur, cuique magno nihil est magnum, nimis magnam esse prædicat?

Verùm quia non satis est liberaliter de omnibus bene mereri, nisi etiam & manum & linguam, atque adeò animum ipsum ab omni iniuria vindicemus, misericordiæ officiis adiũgit Dominus: *Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini.* Postremùm autem hoc verbũ ad maiorem præcedentis sententiæ explanationem additũ est: vtraque namque sententia malignus animus prohibetur: quia ea quæ candidè interpretari poterat, in sinistram partẽ deflectit. A quo quidem vitio, aliud interdum huic finitimum manare solet: quo non contenti homines, sinistra mente aliorum facta interpretari, frequenter etiam idipsum quod maligno animo conceperant, in vulgus efferunt. Quo fit, vt non ipsi modò, sed alij etiam prauam de aliena vita & fama opinionẽ concipiant. Hos autem Apostolus digno moribus eorũ nomine maledicos vocat, & à regno Dei excludit. Hi sunt ingenio adeò malo, prauoque, vt nunquam quid in alijs laude dignum sit, sed quid vituperandum, aspicere queant. Sicut enim sunt immanes feræ, quæ herbarum pascua non attingunt, sed solo sanguine pascuntur: ita sunt plurimi, qui quicquid in aliis laudabile atque honestum est, non aduertunt, & id solum aspiciant, in eo hæreant, ac de eo loquantur quod vituperandum est.

Cùm autem istorũ malignitas eò deuenit, vt abdita aliorum proximorum delicta in publicum prodant, eorumque famam denigrent, in maximum se salutis suæ discrimen coniiciunt. In quod facinus multos passim præcipites ferri videmus, qui linguæ lapsus paruipendunt. Leue namque nocumẽtum esse arbitrantur,

tur, quod non ferro aut manibus, sed verbo solum fit. At longè aliud Ecclesiasticus sensit, cùm dixit; Flagelli plaga liuorem facit, plaga autem linguæ comminuet ossa. Verùm nequis cùm alijs virulenta lingua sua nocet, se indemnem arbitretur, subdit protinus: Multi ceciderunt in ore gladij: sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam. Quibus verbis grauius esse docet, linguæ suæ vitio, quàm gladio perire: gladius quippe corpus ab anima separat: linguæ autem vitium Deum ab anima deuellit. Et illud quidem temporariam corporis mortem, hoc autem sempiternam corporis & animæ mortem inducit. Quocirca vos oro, obtestorque fratres, quicumque salutem vestram charam habetis, vt magna cura à verbis alienæ famæ detrahentibus abstineatis, & hanc linguæ custodiam assiduis precibus à Domino postuletis.

Quin & illud obsecro, ne alienæ vitæ criticos & censores vos ipsos exhibeatis: præsertim cùm iisdem vitiorum morbis, aut fortasse grauioribus laboretis, quàm ij quos obiurgare vultis. Ab hoc enim crimine nos cælestis magister in sacra huius diei lectione triplici proposita similitudine reuocat. Si enim tu cæcus es, iisdemque quibus alij sceleribus obnoxius, cur te cæcutientium ducem exhibes? cur magistri officium tibi vsurpas, cùm alios docere atque corripere vis, qui nequaquam discipulis superior aut melior es? cur festucam ex aliorum oculis excutere vis, cùm ipse trabem in oculis tuis aut non videas, aut excutere nolis? Ergo medice cura teipsum priùs, deinde alios cura: priùs Lucæ 4.
teipsum munda, & sic mundare alios poteris. Ab immundo enim quis mundabitur? Hactenus de Euangelica lectione: nunc Eccl. 34.
ad sententiam in themate propositam veniemus.

TRACTATIO THEMATIS, VEL ALIA CONCIO, QVÆ POST breuiorem Euangelicæ lectionis explanationem adornari poterit.

SI quis paulò attentiùs sacra volumina euoluerit, in quibus diuina sapientia voluntatis suæ arcanum & viam vitæ, per quam ingredi mortales debeant, patefacere dignata est, inueniet planè inter alias virtutes charitatem & veram cordis humilitatem præcipuè commendari. Cuius rei causas indaganti, mihi apparet duas potissimùm extitisse: alteram quidem, harum

virtutum inter omnes alias dignitatem atque prestantiam (cùm altera fundamentum, altera totius spiritualis ædificij fastigium contineat) alteram verò earundem difficultatem, hoc est, quòd non ita facile sit eas perpetuò retinere. Huius autem difficultatis causam esse statuo duos potentissimos hostes, qui his virtutibus aduersantur, quos arduum est superare. Humilitati namq. aduersatur vehemens quidam proprię excellentiæ atque honoris amor (qui inter omnes animæ nostræ affectus potentissimus & flagrantissimus est) quem subigere prius atque prosternere debet, quisquis ad veram cordis humilitatem aspirat: fraternæ autem charitati aduersatur non vnus aliquis hostis, sed tam ingens hostium multitudo, quàm sunt varia iniuriarum & contumeliarum genera, quæ homines ab hominibus accipiunt: cùm alius diripit, alius fraudat, alius deuorat, alius infamat, alius vulnerat, alius calumniatur, alius litē falsam intendit, alius vxori aut filiæ stuprum inferre conatur. Hæc autem quis non videt dirum charitati bellum inferre, illique interitum & perniciem machinari? Vt enim dæmon, dum omnes beati Iob opes vastabat, non tam eius opes, quàm patientiam & innocentiam viri sanctissimi labefactare nitebatur: ita cùm idem scelerum incentor satellites suos ad inferendas aliis iniurias inspirat, non tam illorum bona diripere, quàm charitatis virtutē eripere studet: qua nudatum hominem in suam protinus ditionem imperiumque subiungit. Hac ergo de causa summus ille virtutum doctor atque magister miris encomiis has duas virtutes in literis sanctis exornat: quò fideles vehementi earum amore capti, se se ad omnia certamina pro illis subeunda præparent & accingant. Vt enim imperatores, in congressu hostium, ibi maiora militum præsidia disponunt, vbi maior aduersariorum vis & impetus imminet: ita imperator noster Christus, eas virtutes maioribus laudum præsidiis sepsit, quas aduersarij nostri acriori studio & conatu impugnant. Sed de humilitatis laudibus aliàs: nunc de charitate & charitatis filia misericordia, quam Dominus in hodierna sancti Euangelij lectione commendat, disseremus, eiusque laudes ex sanctarum scripturarum testimoniis prædicabimus.

Simil. *Iob 1.* *Simil.*

Principiò igitur in medium prodeat Esaias. Is enim populum hanc aduersus Deum querimoniam proponētem inducit, Quare ieiunauimus, & non aspexisti; humiliauimus animas nostras, & nescisti? Quibus Dominus, Ecce, inquit, in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis.

repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè. Paucis verò interiectis quale sit gratissimum sibi ieiunium exponit his verbis, Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt liberos, & omne onus disrumpe. Quibus verbis Dominus onera omnia, quibus infirmi homines à potentioribus premuntur, tolli ac disrumpi iubet. Deindè verò omnia humanitatis & benignitatis obsequia in eosdem exhiberi admonet his verbis, Frange esurienti panem tuum: & egenos vagosque induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Quid autem his officiis consequeris? Hoc exponit deinde magnificentissimis promissis, cùm subdit, Tunc erumpet quasi manè lumen tuum, & sanitas tua citius orietur: & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te. Tūc inuocabis, & Dominus exaudiet; clamabis, & dicet; Ecce adsum. Quid hac postrema promissione magnificentius? Vt enim pius homo misericors in miseros extitit, ita misericordem in se Dominum experietur: vt ille miseros clamantes audiuit, ita ipse cùm ad Dominum clamauerit, præsentem sibi adesse sentiet. Quæ quidem gratia longè ab immitibus & inhumanis abest, de quibus scriptum est, Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperum, ipse clamabit, & non exaudietur. Ibidem.

Hæc igitur de charitatis & misericordiæ dignitate primus Prophetarum Esaias. Eadem quoque cæterorum Prophetarum sententia fuit, quemadmodum Zachariæ 7. apertè colligitur: in quo legimus morem fuisse Iudæis qui in Babylonem abducti fuerant, quinto & septimo quoque mense ieiunare & flere: proptereà quòd quinto mense ciuitas Hierosolyma à Chaldæis euersa & incensa fuerat: septimo autem mense Godolias, à Rege Babylonis, reliquiis Iudæorum præfectus, & ab eisdem interfectus, supremum illis attulit exitium. Cùm autem post diuturnam illā captiuitatē ciuitas instaurari cœpisset, quæsierunt à sacerdotibus, num illis duobus mensibus pro veteri consuetudine ieiunādum & flendū illis esset? Quibus Dñs apud Zachariā respondet his verbis, Cùm ieiunaretis & plangeretis in quinto & septimo mense per septuaginta annos, nunquid ieiunium ieiunastis mihi? Hoc enim ieiuniū quod benignitate & iustitia vacuū erat, non religionis, sed proprij amoris opus erat. Subdit enim, Nunquid non sunt verba quæ locutus est Dominus in manu Prophetarum priorum, cùm adhuc Hierusalē habitaretur? Et factum est verbum Domini ad Zachariam dicens; Iudi-

cium verum iudicate, & misericordiam, & miserationes facite vnusquisque cum fratre suo Et viduam, & pupillum, & aduenam, & pauperem nolite calumniari, & malum vir fratri non cogitet in corde suo. Hactenus Zacharias. Ex cuius verbis intelligimus consona omnium Prophetarum voce, per quos Spiritus sanctus loquebatur, totius veræ religionis summam duobus charitatis officiis contineri, vt nulli malum inferamus, & miseros atque inopes benignitatis & misericordiæ officiis prosequamur.

Quid verò illud apud Ezechielem? Ex quatuor gradibus, quibus infandæ illæ ciuitates ad extremum malorum omnium peruenerũt, inhumanitas & immisericordia vltimo loco numeratur. Sic enim apud illum Dominus populi sui peccata exaggerans, ait, Hæc fuit iniquitas sororis tuæ Sodomæ, superbia, saturitas, atque abundantia panis, & otium ipsius & filiorũ eius, & quòd manum egeno & pauperi non porrigebat. Magna certè crimina hæc fuerunt, quibus ad maximum maximeque detestandum flagitium ventum est. Superbia enim omnis peccati caput & initium est. Saturitas verò & abundãtia panis, Dei obliuionem inducit. Otium verò vitiorum omnium sentina est.
Eccli. 33. Multam enim malitiam, vt Sapiens ille dixit, docuit ociositas. Inter has verò malorum omnium causas inhumanitatem atque immisericordiam numerat: quæ ab ea ciuitate Dominum abalienauit. Si enim misericordiam miseris præstitisset, misericor-
Iacob. 2. diam vtique Domini impetrasset. At iudicium sine misericordia, his qui non fecerunt misericordiam.

Sed inter has omnes misericordiæ laudes, non postrema illa est, qua Dominus apud Oseam tanti se misericordiæ virtutem
Oseæ 6. facere ostendit, vt palàm & apertè dicat, Misericordiam volo, & non sacrificium. Tanta enim clementissimus hominum amator, humanæ miseriæ compassione afficitur, vt sui quodammodo (si dici fas est) oblitus, misericordiam sibi magis quàm sacrificium gratam esse dicat. Genus enim sacrificij Deo gratissimi est, vt homo propter hominis salutem ius suum reposcere nolit, vt nullum propter eam subire laborem recuset, vt (quem-
Tobiæ 2. admodum sanctus ille Tobias) à mensa surgat, & prandium relinquat, vt laborãti proximo subueniat, & interdum etiam cùm necessitas vrget, ab altissima, si opus ita fuerit, contemplatione recedat, quò periclitanti fratri succurrat. Sacrificium quoq; est, tibi & filiis adimere quod indigentibus largiaris. Sacrificiũ est etiam non minus, sed fortasse magis Deo gratum, aliorum errata con-

ta condonare, dare locum iræ, malum pro malo nunquam reddere, ad multorum ignorantias prudenter cõniuere, morosa ingenia patienter ferre, laborantium onera portare, & illud implere, in quo Apostolus diuinæ legis summam constituit, cùm ait, Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legẽ Christi. Et illud item, Libenter suffertis insipientes, cùm sitis ipsi sapientes. Verè enim rara & maxima sapientia est, aliorum insipientiam, & ignorantiam patienter atque sapiẽter ferre. Nec solùm hæc magna sapientia, sed magna etiam charitas est. Hinc D. Greg. Tantum, inquit, aliquis portat proximum, quantũ amat: si amas, portas: si desiuisti amare, desiuisti portare. Sunt enim nõ pauci qui libenter ea quæ habent, largiuntur; qui tamen nullo modo aliorum aut mores, aut contumelias, aut asperiora ingenia perpeti volunt: cùm tamen in hac vna re maxima veræ virtutis atque dilectionis portio sita sit. Hæc igitur omnia misericordiæ sacrificiorum quodammodo genera sunt, misericordiarum fonti atque parenti gratissima. Galat. 6. 2. Cor. 11. Gregor.

II.

Hæc igitur ex veteri testamento ad misericordiæ commendationem protulimus. Quid verò ex nouo, quod totum penè charitatis & misericordiæ commendationem & laudes continet? In hodierna verò sancti Euangelij lectione, quantam huic virtuti gloriam Dominus proponit, cùm ait, *Estote misericordes sicut Pater vester misericors est?* His enim verbis Dei filios, Deóque ipsi similes facit eos, qui misericordiæ operibus vacant. Quocirca cùm similitudo amoris conciliatrix sit, fieri non potest, quin eximiè à Deo diligantur, qui ei similes sunt. Quin & ob hoc etiam maximè diliguntur, quòd cum eo ad humani generis salutem pro sua quisque portione & facultate cooperantur. Dei enim perpetuum munus est res humanas curare, & hominibus necessaria ad vitæ vsum prouidere. Hoc enim illa Saluatoris verba indicant, Pater meus vsque modò operatur, & ego operor. At vir benignus & misericors, dum alienis necessitatibus (qua potest ratione consulit) Deo planè ad hominum incolumitatem & salutem pro facultate sua cooperatur. Deus enim ad omnes, hic ad eos quos potest, misericordiæ suæ sinum aperit. Illa enim Dei, hæc hominis misericordia est: de quarum differentia scriptum legimus, Misericordia hominis ad proximum suum: misericordia autem Dei ad omnem carnem. Ioan. 5. Eccli. 18.

Nec hac adeò insigni misericordiæ commendatione contentus, in nouissima illa cœna quam cum discipulis habuit, vt quod

ab illis discedens admonuissent; tenacius eorum mentibus infigeretur, dilectionis præceptum (vnde misericordia manat) hac noua docendi ratione commendauit: Hoc est, ait, præceptum meum, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos. Hæc certè verba singularem huius virtutis dignitatem, singularemque erga eam affectum Domini declarant. Cùm enim alia quoque essent eius præcepta, hoc singulari quodam priuilegio præceptum suum appellat. Variè enim viri sancti virtutibus afficiebãtur: alij enim cordis humilitatem, alij spiritus paupertatem, alij patientiã, alij obedientiam, alij virtutum aurigam prudentiam, alij orationis studium præcipuè sectabantur. Amator verò hominum Iesus, Hoc, inquit, est præceptum meum, cui maximè sum affectus, quodque omnibus commendatissimũ esse volo, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos. Nec verbis cõmendasse contẽtus, adiecit protinus celeberrimum illud lauandorum pedum obsequiũ, quod tenerrimæ charitatis opus & argumentum erat: vt vehementius hoc symbolo commendata charitas fidelium animis altius hæreret. Non enim hoc humilitatis tantùm, sed charitatis singularis commendatio fuit.

Ioan. 13. Addidit præterea, In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Ex quibus verbis (August.) Augustinus colligit, hunc esse præcipuum ouium Christi characterem. Nullo quippe tẽpore voluit Dominus oues suas (Genes. 17.) charactere aliquo & signo carere. Ante legem enim, & sub lege, circumcisionem instituit, qua à cæteris gentibus fideles distin- (Leuit. 12.) guerentur. At in lege noua inter alia signa, quibus fideles ab infidelibus, & pij ab improbis discernuntur, dilectionis mandatũ adiecit, cùm dixit, In hoc cognoscent omnes quòd mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem. Ea enim Christianæ charitatis species esse debet, ea largitas, ea benignitas, ea lenitas, ea suauitas, vt facilè Christiani homines hoc singulari benignitatis officio inter omnes alios dignoscantur. Quod opus, quoniam vim & facultatem hominum superabat, precibus id à Patre suo Saluator impetrare contendit, cùm ait, (Ioan. 17.) Oro Pater, vt ipsi sint vnum, sicut nos vnum sumus: vt cognoscat mundus quia tu me misisti. Quid est, vt cognoscat mundus, quia tu me misisti? Nimirũ, vt quemadmodum Magi Pharaonis, in tertio à Moyse edito signo defecerunt, digitum ac virtutem Dei in eo esse intelligentes; quoniam ad id tota Dæmonum & naturæ vis pertingere non poterat: ita planè talis inter Christianos charitatis species esse debet, talis habitus, talia opera,

opera, talis vnitas & concordia (nemine quæ sua sunt, sed quæ aliorum curante, & aliorum incommoda vt sua, lamentante) vt vel hoc vno argumento conuicti homines, facilè intelligerent, eam gentem non terrenam esse, sed cælestem, non humano sed diuino spiritu agi: quando nihil tale in cæteris hominibus eiusdem naturæ consortibus reperiretur.

Quod si ita est, quàm longè quæso fratres, ab huiusmodi charitatis specie distat mundus, quantumque ab hac diuina lege aberrauit? Quis enim hanc cordis vnitatem ita retinet, vt illud Apostoli implere satagat, vnanimes, vno ore glorificetis Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi? Quis ita proximum diligit ac se ipsum? ita alienis malis condolet ac suis? ita quæ aliorum sunt, vt sua curat? ita aliena felicitate vt sua lætatur? Tam longè ab hac charitatis vnanimitate distamus, vt tantisper dum res nostræ in tuto sint, nihil ad nos an totus mundus intereat, pertinere putemus. Itaque modò impletum esse quod saluator in fine mundi futurum esse prædixit, videmus, Quia abundabit iniquitas, refrigescet multorum charitas. Extincta verò charitate, quid non tandē malorū cōsequutum est? Hinc dissidia, hinc odia, hinc factiones, cædes, lites, contentiones, iræ, rixæ, sectæ, discordiæ, inuidiæ, conuitia, furta, rapinæ, detractiones, susurrationes, proditiones, & quid non tādem malorum in mundum inuectum est? Hinc leges contemptæ, oppressi pauperes, pupilli direpti, neglectæ viduæ, corrupti iudices, boni viri despecti, & qui recessit à malo, prædæ patuit. Vt enim charitas virtutum omnium, ita charitatis extinctio malorum omniū caput & seminarium est. Denique sicut charitatis vnio Christianæ fidei atque religionis velut approbatio quædam & confirmatio fuit: ita modò inhumanitas & crudelitas nostra effecit, vt sanctissima religio nostra inter infideles & barbaras nationes malè audiat, & Christi nomē propter nos inter gentes blasphemetur. Itaq. eò deuentum est, vt apud multas barbarorum gentes adeò sit Christianorum nomen execrabile, vt si quādo ad eos monachi mittantur, ne illos simili odio detestentur, necesse sit dicere, illos quidē non Christianos, sed patres esse, qui ad eorum salutē curādam venerint. Ea enim crudelitatis immanitate erga illos vsi sunt, vt sanctissimum Christiani nomen (apud Antiochiam primùm inuentum, & à Christo deductum) non pietatis & religionis, sed crudelitatis & immanitatis nomen habitum sit. Ita effectum est, vt qui Christianum audiat, carnificem quendam, ferum, & immanem ac

generis humani pestem, vastitatem, & perniciem intelligat. Quo quid esse indignius potest? Cumque D. Aug. veteris & nouæ legis differentiam, timore & amore diffinierit, vitio nostro factum est, vt legem charitatis in crudelitatis & inhumanitatis legem verteremus.

III.

Neque verò hoc in loco Ioannis Euangelistæ epistola silentio prætereunda est. Vt enim eius Euangelium charitatem vbique spirat; ita insignis illa eius inter Canonicas epistola, vix quicquam aliud frequentiùs & vehementiùs, quàm eandem charitatē, & charitatis officia, hoc est, misericordiæ opera vbiq. repetit & inculcat. Vnde ait, Qui se dicit diligere Deum, & fratrem suum odit, mendax est. Cùm enim charitatis habitus non modò ad Deum, sed omnia etiam quæ Dei sunt, maximè diligenda inducat, quomodo quis diligere se Deum dicit, qui homines eius imagine insignitos, & sanguine redemptos, eiusque gloriæ fruendæ destinatos, non eodem amoris affectu diligit? Ad vtramque enim dilectionem nos idem charitatis habitus inclinat. Hinc D. Gregor. Tunc, ait, mirabiliter ad altum charitas surgit, cùm se ad ima proximorum misericorditer inclinat: & quò benigniùs descendit ad infima, eò valentiùs recurrit ad summa. Idem etiam thalamum illum, qui in mystico Ezechielis tēplo visebatur, quem parē longitudini latitudinem habuisse Propheta commemorat, ad charitatis naturam explicādam accōmodat. Mysticus namq. thalamus, in quo blādè atque suauiter dormire, & requiescere Christus dicitur, vel ipso Ioāne testificante, quid aliud quàm charitas est? Deus enim, inquit ille, charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. At hic charitatis thalamus parem habet longitudini latitudinem: quia nimirùm quantum quisque in Dei amorem affectu charitatis attollitur, tantum in proximorum dilectione eodem affectu dilatatur. Non enim proximos vt rem prorsus à Deo alienam, sed vt rem illi coniunctissimam (quemadmodum membra capiti coniuncta sunt) diligit: ideoque aucta in Deum charitate, eadem erga proximos quoque paribus incrementis augetur. Hinc idem Ioannes, Hoc, inquit, mandatum accepimus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.

Cæterùm, quia amor donorum omnium & maximum & primum, & omnium aliorū donorum atque beneficiorum causa est, plurima quidem opera vnico dilectionis nomine complectitur: quorum quædam inter negantia, quędam inter affirman-

tia opera numerantur, ad quæ vera & germana charitas inclinat. Negantia sunt, Nemini aut malè velle, aut malè dicere, aut malè facere: nullius famam aut honorem maledictis obscurare: nullius dicta aut facta sinistra mente, & iudicio interpretari: neminem contumeliis siue conuitiis incessere: nullius quicquam attingere, non opes, non vxorem, nō filiam, non deniq. quicquid alieni iuris fuerit; sed ab his omnibus velut ab illa quondam interdicta arbore, non manus modò, sed oculos etiam & mentem cohibere. Hæc negantia sunt, quæ videlicet aliquid fieri vetant. Affirmantia verò sunt, primùm quidē omnibus ex animo bene velle: deindè etiam verbis, hanc animi beneuolentiam significare: & quod caput est, non verbis modò, sed benefactis etiam hanc beneuolentiam declarare: quæ cum hac verborum lenitate coniungenda est: Hilarem enim datorem diligit Deus. Et alibi quoque idem Apostolus, Qui miseretur, inquit, in hilaritate. Hinc in Ecclesiastico legimus, Fili in bonis non des querelam, & in omni dato non des tristitiam verbi mali. Nónne ecce verbum melius quàm datum? Et vtraque cum homine iustificato. Stultus acriter improperabit; & datus indisciplinati tabescere facit oculos. Eccli. 18.

Verùm inter hæc omnia veræ charitatis officia vulgatissima sunt misericordiæ opera: quibus proximis partim indigentibus, partim variis modis laborantibus salutari ope succurrimus. Hoc enim ad veram & germanam charitatem præcipuè pertinere, declarat magnus ille charitatis doctor, & cōmendator Ioannes, cùm ait, Si quis viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei non diligamus lingua, sed opere & veritate. Hæc igitur omnia fratres, quæ de charitatis & misericordiæ, hoc est, de matris & filiæ laudibus dicta sunt, in causa fuerunt, vt sanctissimi quique viri in omnia misericordiæ opera propensissimi essent, nullumque laborem, nullam molestiam, nullamque iacturam vererentur, dummodo periclitantibus aut indigentibus proximis ope sua subuenirent. Cuius rei, quàm multa in vitis Sanctorum exempla reperiuntur. Hoc enim plerisque sanctorum propositum fuit, vt nunquam ab indigentibus sacratissimum Christi nomen (quod illis charissimum & suauissimum erat) frustrà in eleemosyna petenda proponeretur. Pro omnibus autem vnicum beatissimi Patris Dominici exemplum afferam: qui misericordiæ visceribus affluens, non contentus cùm fame populus laboraret, libros vendidisse, vt eorum precio esurientium 1. Ioan. 3.

tium inopiæ consuleret: seipsum, cuidam viduæ ad captiui filij redemptionem subsidium petenti, cùm nihil haberet, promptissimo & alacri animo vendendum obtulit, quod tamen diuinæ prouidentiæ beneficio, quæ illum ad maiora reseruabat, impeditum fuit. Talibus igitur propositis præmiis, fratres, demus operam, vt misericordiæ operibus toto pectore incumbamus: quibus non modò eiusdem misericordiæ fructus (quos hactenus cõmemorauimus) percipere, sed etiam misericordem iudicem (vt initio diximus) in extremo illo mortis agone, quod omnibus imminet, inuenire valeamus.

DOMINICA SECVNDA POST PENTECOSTEN CONCIO PRIMA: IN qua post Euangelicæ lectionis explanationem, de nouissima cœna, hoc est, cælesti gloria disseritur.

THE. *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Lucæ 14.



CVM Christus Dominus in hunc mundum venerit, non modò vt redemptionis gratiam, sed etiã vt cælestis verbi doctrinã hominibus impartiret: vbi primum hoc munus obire cœpit, vix vnquã ab eo conquieuit. Vnde quocumque tempore, quocunq. loco, quauis occasione oblata, docendi officium nunquam intermisit. Itaque à Pharisæo quodã inuitatus, cùm quidam cõuiuij huius occasione accepta dixisset; Beatus qui manducabit panem in regno Dei, ipse elegantissimam hanc parabolam proposuit: in qua cælestis regni gloriam, & diuinæ bonitatis largitatem, & cœnæ magnificentiam describit, & qui ab hac cœna excludendi, quique admittendi sint, parabolicè declarat. Ait igitur:

Homo quidam fecit cœnam magnam. Hic homo, Christus Dominus est: de quo scriptum legimus, Homo est, & quis cognoscet eum? Hic igitur apparauit cœnam magnam. Quo nomine, cæleste conuiuium designauit. Post prandiũ quippè cœna, post cœnam verò nullum superest conuiuium; quod in cælestem gloriam præcipuè cadit; post quam conuiuium nullum

Hier. 17.

speratur.

speratur. Dicitur autem cœna magna, primùm, quia magnus Dominus qui illã apparauit, cuius opera omnia eius amplitudinem, & magnificentiam referunt. Magna item, quia multa, & varia, & pretiosa fercula in ea electis proponũtur. Magna item, quia multi ad eam inuitantur: quandoquidem conuiuarũ, hoc est, electorum numerus, qui ad hanc cœnam vocandi sunt, recenseri non potest. Ab ipso enim mundi exordio Dominus cõuiuas ad hanc cœnam vocare nõ cessat. Postremò magna, quia sempiternis seculorum ætatibus duratura.

Ad hanc igitur cœnam Dominus seruum mittit; qui multos ad eam vocaret. At quàm multis modis vocat? Vocat per Angelos, vocat per Prophetas, vocat per Apostolos, vocat per pastores, ac postremò per me, nũc licet indignum verbi Dei ministrum. Quid enim aliud nunc ago, quàm vos ad cœnam hanc ex Domini mandato vocare? Seruus enim sum summi patrisfamiliàs: Gregor. nemo me propter me hoc in loco despiciat. Regis enim nun- Simil. cios videmus, quamlibet humiles, & abiecti sint, magna cum reuerentia à populis recipi & audiri. Non enim nuntiantis personam, sed mittentis auctoritatem in eo intuentur, quam nobis ita contulit, vt ipse dicat, Qui vos audit, me audit; & qui vos Lucæ 10. spernit, me spernit. Itaq. fratres, in nobis nõ nos, sed ipsum Dominum loquentem attendere debetis: præsertim cùm verba quæ vobis proponimus, non nostra, sed illius sint à sacris Euangelistis in vtilitatis vestræ gratiam consignata. Vt autem inuitati libentius atque alacrius ad cœnam venirent, nuntius omnia iam parata esse exposuit. In veteri quidem testamento, nequaquam erant parata omnia. Vmbram enim habebat lex futuro- Heb. 10. rum bonorum, non ipsam imaginem, hoc est, veritatem rerum; ideoque lex nihil ad perfectum adducebat: Quoniam impossi- Heb. 7. bile erat sanguine taurorum, aut hircorum aboleri peccata. At Heb. 10. sub Euangelij gratia omnia parata sunt. In ea namque panis Euangelicæ doctrinæ, & varia sacramentorum fercula, & sacræ Eucharistiæ mensa, & vitulus ille saginatus, hoc est, maxima Christi beneficia, maximaque item virtutum omniũ exempla ante oculos ponuntur, quæ facilem nobis aditum ad cælestia regna præbent. Seruo igitur ex domini præcepto inuitatos ad hanc cœnam primo loco vocante, cœperunt omnes excusare, & causas prætexere cur ad cœnam venire non possent.

Sed causas videamus. *Primus dixit, villam emi: & necesse habeo ire, & videre illam: rogo te habe me excusatum. Et alter dixit, Iuga boum emi quinq., & eo probare illa: rogo te habe me excusatũ.*

Et

Et alius dixit, vxorem duxi, & ideo non possum venire. Quid igitur hoc est? Num in his quicquam est, quod à regno cælorum hominem excludat? An crimen est villam siue agrum emere, iuga boûm probare, & vxorem ducere; quam sacramento matrimonij accipimus? Absit. Nihil horum crimen est. Quomodò igitur isti à Dominico conuiuio excluduntur? De his namq. in fine Dominus ait, *Amen dico vobis, quia nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* Ad hoc igitur respõdemus, non res, sed rerum abusum in crimine esse. Crimen autem est, cùm hæc immoderato amore diliguntur: cùm illis perpetuò animus hæret: cùm totus homo his quæ ad vsum, & voluptatem corporis pertinent, sic per amorem affixus est, vt neque animæ suæ, nec diuinarum promissionum, beneficiorum, atque terrorum vllam prorsus curã habeat. Quod quidem non incongruè per boues significatur, quorum est terram versare, atque subigere. Sic enim isti terrenis rebus per immoderatum amorem sunt adglutinati, sic vilissimi corporis obsequio mancipati, vt animæ suæ curam prorsus abiiciant. Quos Propheta animas in vanum accepisse ait, quia neque illarum ductum sequuntur, nec vllum eis cultum impendunt. Hæc autem omnia mala ex immoderato sui amore proficiscuntur: ex quo rursum tres illi amores, velut quidã rami deriuantur: de quibus Ioannes ait; Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. Hæ namque sunt voluptates, diuitiæ, mundique honores, quorum immoderatus amor in rebus etiam licitis, atque concessis malorum omnium seminarium est. A quo nos malo idem reuocat Euangelista cùm ait: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Quo in loco prudenter D. Augustinus annotauit; quod non dixerit, Nolite habere, sed, nolite diligere. Non enim habere, sed nimium diligere in crimine est. Vnde idem Augustinus, hũc amorem viscum appellat; quo anima captiua in infimis tenetur, ne ad summa, in quibus vera salus sita est, assurgere valeat. Vnde ait, amor rerum terrenarum, viscus est spiritualium pennarum. Quomodo autem hoc visco homines capiantur, breuiter exponit protinus cùm subdit, si concupiuisti, hæsisti. Non ergo possidere, sed immodicè concupiscere prohibemur. Hinc D. Gregor. Sic, inquit, tenete quæ huius mundi sunt, vt tamen per ea non teneamini in mundo: vt terrena res possideatur, non possideat: vt sub mẽtis vestrę sit dominio quod habetis, ne mens vestra dum terrenarum rerum amore vincitur, à rebus suis ipsa magis

[Marginal notes: Psal. 23. — 1. Ioan. 2. — 1. Ioan. 2. — August. — Simil. — Gregor.]

magis poſſideatur. Ad hoc enim nos Apoſtolus inuitat, cùm ait: Hoc itaque dico fratres: Tempus breue eſt: reliquum eſt, vt qui habent vxores, tanquam non habentes ſint; & qui flent, tanquam non flentes; & qui gaudent, tanquam non gaudentes; & qui emunt, tanquam non poſſidentes; & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur. Præterit enim figura huius mundi. Ad hoc enim nos hortatur illa Ioannis vox (quam modò retulimus) quæ tanquam tuba cæleſtis præconis ex regis æterni edicto auribus noſtris inſonuit: Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo ſunt. Duo enim ex hoc mala maxima conſequuntur. Alterum, quòd cùm homines totum ſtudium ſuum in rebus terrenis collocant, cæleſtium prorſus obliuiſcuntur: quarum conſideratio acres homini ad honeſtatem ſtimulos addit. Quo nomine D. Auguſtinus (vt modò diximus) hunc amorem appoſitiſſimo nomine ſpiritualium pennarum viſcum appellauit. Alterum verò eſt, quòd immodicus harum rerum amor frequentiſſimè diuinas leges perrumpere facit; cùm eas cupiditatibus ſuis obſiſtere videt. Qua in re diuina maieſtas cõtemnitur; vt vel honor, vel voluptas, vel pecunia acquiratur. Qua de cauſa Apoſtolus auaritiam ſpiritualis idolatriæ crimine damnauit. Quę res non minus in ambitionem & carnis voluptatem cadit; cùm iſta diuinæ maieſtatis legibus anteferuntur. Quam rem quidam his duobus carminibus aptiſſimè expreſſit:

1. Cor. 7.

Auguſt.

Coloſ. 3.

Ambitioſus honos, & opes, & amica voluptas,
Hæc tria pro trino numine mundus habet.

Numen enim, ac Deus illud cuique eſt, in quo ſpem ſalutis, amorem, & felicitatem ſuam collocat. Et cuius gratia Deum contemnit. Tunc enim Deum ipſum (cui diuinitatis iure conuenit, vt extremum expetendorum, & vltimus humanæ vitæ finis ſit) è maieſtatis ſuæ ſolio deturbat; & in eo tria hæc fœdiſſima numina collocat, turpe lucrum, inanes honores, & fœdas carnis voluptates, quæ ſupra Deum diligit, quæ Deo antefert, propter quæ illum, ne hæc amittat, amittere non veretur. Qua re quid indignius? quid horribilius? quid execrabilius?

Quo in loco diligenter obſeruandum eſt, nequaquam Dominum aperta improborum ſcelera deſignaſſe, per quæ homines à cæleſtis menſæ conuiuio excluduntur: ſed ea quæ licitè poſſidentur, ſi immodicè diligantur: vt intelligamus qualis illorum ſors futura ſit, qui manifeſtis criminibus irretiti tenentur: quales ij ſunt, qui eadem iniuſtè rapiunt, qui fænerantur, qui prædantur, qui pauperes ſpoliant, qui viduas opprimunt,

qui pupillorum bona diripiunt, qui mille fraudibus, & iniquis litibus opes suas augere contendunt. In quo crimine sunt, & iudex iniustus, & improbus aduocatus, & testis fraudulentus, & litigator auarus. De hoc enim scriptum est, Nihil iniquius, quàm amare pecuniam. Sed ad parabolæ seriem redeamus.

Eccli. 10.

I.

Cùm reuersus seruus, huiusmodi excusationes retulisset, *Iratus paterfamiliàs dixit seruo suo; Exi citò in plateas, & vicos ciuitatis & pauperes ac debiles, cæcos, & claudos, introduc huc.* His verbis apertè Dominus gentium vocationem designauit; qui in plateis, hoc est, in via lata propriæ voluntatis incedebant; qui pauperes, hoc est, virtutum ac meritorum inopes; qui debiles, hoc est, ad omne bonum infirmi: qui cæci, & claudi erant, hoc est, qui neque mentis lucem, ad bona & mala diiudicanda, neque vires quibus per viam veritatis ingrederentur, habebant. Hos ergo, qui virtutibus destituti, & vitiis omnibus contaminati erant, qui prauis moribus efferati, qui pecudibus & iumentis similes erant, ad conuiuium suum vocari præcepit. Hoc enim linteum illud quadrupedibus, & reptilibus plenum, quod esurienti Petro in visione ostensum, & in cœlum sublatum fuit, non obscurè designat. Quæ igitur hæc iustitia est? Si vtrique peccatores erant, & qui ad cœnam venire renuerunt, & qui modò vocantur, cur illis repudiatis isti eliguntur? Hanc quæstionem, vnico verbo diuus Gregorius absoluit, Vtrique, inquiens, peccatores erant, sed peccatores superbi respuuntur, vt peccatores humiles eligantur. Hac enim ratione Pharisæis Saluator dixit, Amen dico vobis, quia Publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei. Qua sententia quid mirabilius? quid magis Ecclesiasticis etiam hominibus formidandum? Cuius adeò disparis sortis illud in causa est, quòd Publicani & meretrices, vitæ suæ turpitudine admoniti, demissum animũ gestabant: Pharisęi autem ritibus professionis suæ elati, de se alta sentiebant. Idemq. Dominus hanc sententiam confirmat, cùm cæco nato dixit, In iudicium ego veni in hunc mundum, vt qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant. Quam sententiam cùm Pharisæi accepissent, Nunquid (aiunt) & nos cæci sumus? Quibus Dominus, Si cæci, inquit, essetis, non haberetis peccatum. Nunc autem quia dicitis, videmus, peccatum vestrum manet. Hoc est, quia vobis per superbiam sapere videmini, peccatum vestrum inexpiatum manet. Videtis ergo fratres, quanta sit superbiæ labes, quantum venenum, quãta vis ad nocendum: quando quicquid

Actor. 10.

Gregor.

Matt. 21.

Ioan. 9.

in homine iustitiæ nitet, vna superbia delet! Minus enim apud Deum ingrati sunt peccatores humiles, quàm iusti superbi; quamuis nec illi verè humiles, nec isti verè iusti sint: cùm omnis iustitia superbiæ veneno contaminetur atque inficiatur.

Istis igitur ad conuiuium Domini accersitis, reuersus seruus ait; *Domine factum est vt imperasti, & adhuc locus est. Et ait dominus seruo. Exi in vias & sepes, & compelle intrare vt impleatur domus mea.* O immensa Dei bonitas! parum erat ad splẽdidum hoc conuiuium vocasse pauperes, debiles, cæcos, & claudos, hoc est, gẽtium populum vitiis omnibus coopertum; vlterius etiam progredi vult ad vias & sepes, hoc est, ad extremos mundi fines, ad Garamantas & Indos, ad Hyrcanos & Massagetas nuntios misit, dum Apostolis præcepit, vt prædicarent Euangelium omni creaturæ. Quin & tanta eius charitas extitit, tantumque de hominibus benemerendi desiderium, vt eos qui ad cœnam spontè venire nolent, compelleret. Quomodo autem compulsi fuere? Certè magnitudine miraculorum, puritate, & assiduitate doctrinæ: ad quã Paulus Timotheũ adhortabatur cùm diceret, Prædica verbũ, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Postremò etiam splendore morum, & vitæ integritate semetipsos nuntij commendabãt, ad omnem conscientiam hominum coram Deo. Qua de re sic ad Thessalonicenses Paulus: Vos testes estis, & Deus, quàm sanctè, & iustè, & sine querela vobis, qui credidistis, affuimus: sicut scitis qualiter vnumquemq. vestrũm (sicut pater filios suos) deprecantes vos, & consolantes testificati sumus, vt ambularetis dignè Deo, qui vocauit vos in suũ regnum & gloriã. His igitur armis Apostoli perfidiam mundi debellarunt: his vim quodammodo humanis mentibus intulerunt: his intellectũ omnem in obsequium fidei captiuum reddiderunt: quibus omnes Euangelij aduersarij contradicere minimè potuerunt. Subdit deinde Dominus quandam verè formidabilẽ sententiã: *Amen dico vobis, quia nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* Qua ex re liquet, quantum periculi sit in neglectu diuinorum beneficiorum; cùm isti ideò repudiati sint, quia clementer à Domino variis modis vocati, aures suas obturauerunt; & frustrà Dei gratiã recipientes, Domino obtemperare noluerũt. Hoc est enim crimen illud, de quo idem Dominus per Prophetã queritur, Quia locutus sum, ait, apud vos manè consurgens, & loquens, & nõ audistis: & vocaui vos, & non respondistis: faciam domui huic in qua inuocatum est nomen meum, & in qua

Mar. 16.
2. Tim. 4.
1. Thes. 2.
Hier. 7.

vos habetis fiduciam, sicut feci Silo, & proiiciã vos à facie mea. Videtis ergo fratres quæ pœna iis, qui diuinis beneficiis, cæle-stique vocationi resistũt proposita sit? In quo crimine an ij sint, qui cùm quotidianis cõcionibus intersint, nihilò meliores fiũt, vos ipsi diiudicare poteritis. Ex hac etiam sacra lectione, insignes illas Domini virtutes & laudes, toties in literis sanctis celebratas perspicere licebit; misericordiam videlicet & iustitiam. Misericordia enim fuit, abiectissimos & vilissimos homines, ad cœnam suam non solùm vocare, sed etiam compellere: Iustitia verò fuit, cessantes, ac desides à sempiterno illo conuiuio repellere, & in tartara perpetuò cruciandos relegare. Quocirca
Eccli. 5. rectè nos Ecclesiasticus admonet: Ne dicas, Miseratio Domini magna est: multitudinis peccatorum meorum miserabitur. Misericordia enim & ira ab illo citò proximãt; & in peccatores respicit ira illius: Hactenus de Euangelica lectione. Nunc ad cœnæ Dominicæ mysterium veniamus.

TRACTATIO THEMATIS. II.

Homo quidam fecit cœnam magnam. Cùm multa & innumera sint dilectissimi, quæ nos ad pietatem & iustitiam mouere possint: plurimùm inter ea cælestis præmij expectatio eminet. Hæc enim sanctos omnes, ac pręcipuè Christi martyres, ad omnes iustitiæ labores, atque adeò ad omnes cruciatus alacriter
Gregor. perferendos impulit. Hinc D. Gregor. locum illum B. Iob ex-
Iob. 7. planans: Sicut mercenarius præstolatur finem operis sui, &c. sic ait, Mercenarius lassescentẽ animum ad considerandum laboris præmiũ reuocans, vigorem mox animi ad exercitium laboris reformat: & quod graue perpendit ex opere, leue existimat ex remuneratione. Hinc est quòd Paulus semper seipso robustior, contra aduersa erigitur: quia nimirùm finem sui operis, sicut mercenarius præstolabatur. Graue namque quod sustinet
2. Cor. 11. æstimat; sed leue hoc per præmij considerationem pensat. Ipse quidem quàm sit graue quod patitur indicat; qui in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter se fuisse testatur. Sed quomodo remunerationis linteo sudores
Rom. 8. tanti laboris tergat, ipse denuntiat dicens, Non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Hactenus Gregor. Iam verò, quod aliud præsentius in huius vitæ calamitatibus solatium, quàm huius mercedis spes?
Psal. 26. Hinc pro eo quod nos legimus, Credo videre bona Domini in terra viuentium; alij verterunt, Nisi credidissem me visurum bona

bona Domini in terra viuentium. Oratio est præcisa, quales sunt pleræque apud Hebræos. Itaque subaudiendum est, Penè iam de vita desperassem calamitatum mole pressus, nisi credidissem me visurum bona Domini in terra viuentium. Spei enim firmitas miro modo & animum reficit, & laboris pondus eleuat. Itaque versiculum hunc interpres quidam sic explanat: Profectò me iampridem animus & vita defecisset, præ magnitudine calamitatum, nisi vacillantem iam iamque ruentem ea cogitatio fulsisset, quòd certissimam spem habeam, me post tantos labores, & ærumnas huius vitæ miserrimæ, aliquãdo tandem migraturum in illas beatissimas oras; quò nec mors, nec dolor, nec vis vlla morbi, aut calamitatis aspirat: vbi placidissima quies, dulcissima pax, & vita sempiterna vigent: vbi maximus ille omnium rerũ creator, & Dominus, æternas voluptates, lætitias, iucunditates, animis sanctis, ex abundantissimo sui numinis fonte profundit.

Hac igitur de causa, non rarò Dominus mercedis huius magnitudinem in Euangelica historia nobis ob oculos ponit, vt eius desiderio accensi, omnem à moribus nostris torporem excutientes, ad hoc iter in cælum accingamur: nullumque pro ea laborem recusemus: quod quidem in sacra huius diei lectione facit, mercedem hanc, sub opulentissimæ cœnæ imagine describens. Ait igitur:

Homo quidam fecit cœnam magnam. Hanc cœnam eximius inter Prophetas Esaias longa oratione, mirisque coloribus describit. Cuius ego descriptionem, pro ingenioli mei tenuitate hoc in loco explicare conabor. Sic igitur ait: Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in mõte hoc conuiuiũ pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemię defæcatæ. Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi, colligati super omnes populos, & telam, quam orditus est super omnes nationes. Præcipitabit mortem in sempiternam &c. Hactenus Esaiæ verba. In quibus Vates sanctus, variis corporearum rerum similitudinibus cælestis gloriæ, gaudia describit. Quia enim plærique hominum sola ea quæ sub sensum cadunt, apertius agnoscunt, eaque maximè in pretio habent, nõ potuit diuinus Vates commodius ea, quàm sub terrenorum bonorum imagine explicare. Primùm igitur ait, conuiuium hoc omnibus populis, hoc est, non Iudæis tantùm, sed omnibus etiam populis exhibendum. Vnde Ioannes in Apocalypsi, posteaquàm ingentem electorum numerum ex tribubus Israël assumptum recen-

Esa. 25.

Apoc. 7.

fuisset, innumerabiles alios ex cunctis gentibus ad hoc conuiuium inuitatos memorat: Subdit enim, Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum. Quod verò ait, delicatissimas carnes, & defæcatum, atque probatissimum vinum in eo conuiuio ministrandum, duobus his nominibus exquisitissimas eius conuiuij delicias designauit. Ibi enim erit clara splendidissimæ diuinitatis, & sacræ humanitatis cognitio; qua beati omnes cum ineffabili suauiuitate reficientur. Ibi namque, vt Saluator ait, ingredientur &
Ioan. 10. egredientur, & pascua fœcundissima, quibus corpus & anima
Gregor. pascantur, inuenient. Quem locum diuus Gregorius explanãs, sic ait: Ingredientur ad fidem, egredientur autem à fide ad speciem: pascua autem inuenient in æterna refectione. Oues eius pascua inuenient: quia quisquis illum corde simplici sequitur, æterno viriditatis pabulo nutritur. Quæ autem sunt istarum ouium pascua, nisi interna gaudia semper virentis paradisi? Pascua namque electorum, sunt præsens vultus Dei; qui dum sine defectu conspicitur, sine fine mens vitæ cibo satiatur. In istis pascuis de æternitatis satietate lætantur, qui iam laqueos voluptuosæ temporalitatis euaserunt. Ibi Hymnidici Angelorum chori: ibi societas supernorum ciuium: ibi dulcis sollemnitas à peregrinationis huius tristi labore redeuntium: ibi prouidus Prophetarum cœtus: ibi iudex Apostolorum numerus: ibi innumerabilium martyrum victor exercitus: tantò illic lætior, quantò hîc duriùs afflictus: ibi confessorum constantia, præmij sui perceptione consolata: ibi fideles viri, quos à virilitatis suæ robore, voluptas seculi emollire non potuit: ibi sanctæ mulieres, quæ cum seculo & sexum vicerunt: ibi pueri, qui hîc annos suos moribus transcenderunt: ibi senes, quos hîc & ætas debiles reddidit, & virtus operis non reliquit. Quæramus ergo fratres charissimi hæc pascua; in quibus cum tantorum ciuium sollemnitate gaudeamus. Ipsa nos lætantium festiuitas inuitet. Nulla nos prosperitas blandiens seducat: quia stultus viator est, qui in itinere amœna prata conspiciens, obliuiscitur ire quò tendebat.
Simile. Hactenus Gregorius. Ex cuius verbis liquet, quàm multa & varia fercula, in illo cælesti conuiuio exhibeantur. Quot enim sanctorum genera hîc à diuo Gregorio recensentur, tot ibi spiritualia fercula proponuntur: quia cùm ibi germana charitas potissimùm vigeat, tantùm quisque de aliena felicitate, quantum

tum de sua lætatur. Qua ex re liquet (res planè miranda, & modis omnibus expetenda) quòd cùm innumerabilis sit exercitus beatorum, innumera quoque sint gaudia singulorum. Qualis igitur hæc cœna erit, quàm opipara: in qua infinita propè gaudiorum fercula, vnicuique conuiuarum exhibentur?

Addit deinde Propheta, Et præcipitabit faciem vinculi, colligati super omnes populos; & telam, quam orditus est super omnes nationes. Vinculum autem, quo omnes populi, hoc est, vniuersum genus hominum colligatum est, non vnum, sed multa vincula complectitur; quibus omnes communis peccati vitio eramus astricti, & miserrimè obligati. Aliud enim vinculum est reatus mortis æternæ; aliud lex membrorum & fomes peccati; aliud seruitus sub dira diaboli captiuitate, aliud innumeræ cupiditates, quæ vitam nostram non modò inquinant, sed etiam cruciant atque dilacerant. Omnia igitur hæc vincula in hoc augustissimo, & cælesti monte rumpentur; vel (vt in Hebræo habetur) absorbebuntur; vt ne vllum quidem eorum vestigiũ reliquum sit. Quo fit, vt omnes isti conuiuæ plenissima libertate & pace fruantur. Nec vincula hæc modò, sed telam etiam quam Dominus orditus est super omnes nationes, ibidem disrumpet. Huius verò telę nomine, communem illam maledictionem accipimus, qua generis nostri principes, & nos in illis, ad innumeras huius vitæ ærumnas, multiplicesque miserias damnati fuimus. Quæ quidem tela ex multis filis, hoc est, ex innumeris doloribus & lachrymis, quas in hac vita quotidiè miseri mortales fundunt, contexta est. Quam idem ipse Dominus orditus fuisse dicitur: quia eius imperio atque decreto ad omnes has calamitates astricti fuimus. Hæ igitur omnes ab illo cælesti monte exterminandæ, atque præcipitandæ sunt. Quam rem sigillatim idem sanctus vates enumerare incipit cùm protinus subdit: Et præcipitabit mortem in sempiternum. Ibi enim mortis imperium, mortis Christi merito euertendum erit. Addit deinde; Et auferet Dominus omnem lachrymam ab omni facie; & opprobrium populi sui auferet, hoc est, labem omnem. Et omne dedecus, & quicquid felices animas vllo incommodo, iniuria, aut damno afficere possit, è medio tollet; vt nihil ibidem sit, quod conuiuij illius iucunditatem & suauitatem, aut vlla tristitia afficere, aut vllo mortis metu perturbare, aut vlla dedecoris labe aspergere, aut lachrymis vllis inficere possit.

Quid autem ex his omnibus consequetur? Nimirùm gratia-

rum actio, & vox laudis; quæ ibi perpetuò resonabunt. Dicet namque Dei populus; Ecce Deus noster iste; expectauimus eum, & saluabit nos. Iste Dominus, sustinuimus eum, & exultabimus, & lætabimur in salutari eius; quia requiescet manus Domini in monte isto. Hoc est, (vt diuus Hieronymus interpretatur) absorpta morte in perpetuum, populus Dei, qui de manu mortis fuerit liberatus, dicet ad Dominum: Ecce iste Iesus Mariæ filius, quem increduli, hominem tantùm putabant, Deus noster est. Tunc enim præsentes agnoscent maiestatem eius & diuinitatem; quam hîc per speculum tantùm, & in ænigmate contemplabantur. Expectauimus ergo eum in hac mortali vita, credidimus verbis ipsius, & promissis; & quamuis ea in longum differrentur, & cùm multa nos aduersa, ab hac fide & spe deiicere niterentur, non propterea fracto sumus animo, nec ab eius fide, & obedientia desciuimus; sed longanimiter & aduersa tulimus, & promissa expectauimus. Exultabimus ergo, & lætabimur in salutari eius: hoc est, in æterna salute, quæ nobis eius beneficio contigit, quæ nos ab omnibus malis ereptos, æterna felicitate beauit. Quia requiescet manus Domini in monte isto: hoc est, immensas eius potentiæ, opulentiæ, sapientiæ, & bonitatis, & gloriæ opes, in monte hoc, non solùm apertè videbimus, sed etiam in felicitatis nostræ magnitudine experiemur: quas dum in corpore viximus, obscurè, & quasi per caliginem videbamus. Hæc sunt igitur, quæ Esaias Propheta de huius conuiuij magnificentia in communi disseruit.

Esa. 25.

Hieron.

III.

Ceterùm, quoniā inter hæc tam varia & pretiosa fercula omnium pretiosissimum atque suauissimum diuinæ pulchritudinis visionem esse constat; iniurius vobis ero fratres, nisi de hoc etiam aliquid attigero: quamuis munus hoc non humanæ solùm, sed Angelicæ etiam linguæ facultatem superet.

Nos igitur, qui in tanta rerum cælestium ignoratione versamur (quorum omnis cognitio à corporeis sensibus incipit) ab iis quę sensu percipimus, veluti scalam quandam erigemus, per quam ascendentes à creaturis ad creatorem, ab effectibus ad primam causam, ab opificio ad aliqualem superni opificis cognitionem paulatim assurgere poterimus.

Ad hoc igitur primo loco statuamus omnes conditarum rerum perfectiones, quæ verè & propriè hoc nomen merentur, longè perfectius in conditore atque summo artifice reperiri. Quia enim nemo dat quod non habet; ideo non potuit summus

mus ille rerum omnium conditor,in se non habere,quæ rebus à se conditis dedit. Quemadmodum ergo sol, qui astris omnibus splendorem confert, splendidissimus atque adeò multis partibus, omnibus ille splēdidior est; ita supernus ille artifex, qui tā multiplicem creaturis pulchritudinem contulit, vnus ipse earum omnium pulchritudinem cum infinita accessione cōtinet. In ipso igitur est species florum, pulchritudo gemmarum, splēdor auri atque argenti, claritas fluminum & fontium, auium cōcentus, Sol, Lunæ, atque astrorum fulgor, amænitas syluarum atque camporum; sicut ipse ait, Pulchritudo agri mecum est. Simile. Psal. 49.

Progrediamur vlterius, & mundana omnia prætergressi, ad cælitum vsque sedes conscendamus; ibique innumerabilē beatarum mentium exercitum cōtemplemur: quorum numerum D. Thomas ita res omnes alias superare ait, quemadmodū cæli magnitudo, longissimo interuallo omnium corporum magnitudinem superat. Quò enim res in natura nobiliores atque prçstantiores sunt, eò in maiori numero à creatore sapientissimo & omnipotente sunt conditę. Hinc Daniel de Angelorum numero disserens, Millia, inquit, millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei. In lib. verò Iob legimus, Nunquid est numerus militum eius? Quo loquēdi genere innumerabilem esse Angelorum exercitum intelligimus. S.Thom. Dan.7. Iob.25.

Statuamus & illud quod idem D. Thomas ait, omnes Angelos specie differre: quod ex Aristotelis doctrina colligi videtur. Et illud item quod idem Aristoteles ait, nempè rerum species numerorum rationem imitari; vt videlicet quemadmodum superior numerus inferiorem continet, & aliquid sibi proprium adiicit: ita superior species, tum inferioris perfectiones tum etiā suam & peculiarem contineat. S.Thom. Arist.

Ab infimo ergo Angelorum ordiamur, quem statuamus res omnes corporeas perfectionis & pulchritudinis suæ decore longè superare. Quod facilè indicat Angelus ille, qui Danieli apparens, pulchritudinis suæ specie atque fulgore Prophetam penè exanimauit. Quam eorum dignitatem & pulchritudinem, nescio quo lumine Aristoteles quoque intellexit: cuius hæc in lib. De cælo verba sunt, Extra cælū ostensum est neq. esse neq. esse posse corpus. Claret igitur quòd neq. locus, neque vacuum, neque tempus est extrà. Et ideò quæ ibi sunt, neque in loco existunt, neque tempus ea facit senescere; neque est vllius vlla mutatio; sed immutabilia, & impassibilia, optimam agunt & opulentissimam vitam omne æuum. Quibus verbis substantias ab Arist. in lib. de cælo.

omni corporis concretione seiunctas, vitam agentes optimam atque opulentissimam, omniumque dolorum expertem, & immortalem, apertissimè designauit. Quæ omnia in beatissimos illos spiritus, quos religio nostra Angelos vocat, apertissimè quadrant. Quid his mirabilius? Qua via ethnicus homo hanc mirabilem Philosophiam assequi potuit? Sed vlteriùs progrediamur. Secundus Angelus, inferioris Angeli pulchritudinem, & suam item peculiarem retinet. Tertius verò Angelus, vtriusque præcedentis, & suam item speciem, atque decorem superaddit. Quartus verò Angelus, omnes has perfectiones complectitur, & suam item, qua in noua specie constituitur. Hac igitur ratione, per omnes Angelorum ordines, in hac creaturarum scala, ab inferioribus ad superiora conscendentes, ad supremum vsque Seraphicum ordinem, qui Deo coniunctissimus est, veniamus. Cùm his igitur omnes inferiorum Angelorũ perfectiones pulchritudinesque, & suam item contineat, Angeli autem (vt antè diximus) numerari non possint: qualis quæso illa species & pulchritudo erit, quæ vnà innumeras intra se perfectiones, virtutes & pulchritudinem continet? Estne vlla dicendi facultas, quę hoc possit dicendo consequi? Minimè sanè.

Hinc vlterius gradum ad ipsum rerum omnium atque Angelorum dominum faciamus: qui & has omnes perfectiones, & infinitas alias, quæ diuinitatis propriæ sunt, in se vno continet: quique longè magis creaturarum, quàm sol stellarum splendorem & pulchritudinem superat. Hîc enim creaturas creaturæ, illic creatori comparamus. Quòd si ante splendidissimum solis iubar, fulgorem suum sydera tueri non possunt, & perinde sunt quasi non essent; consequens est, vt omnes omnium rerũ atque Angelorum perfectiones, omnisque creata pulchritudo diuinæ pulchritudini collata vix vlla sit.

Hac igitur ratione, pius homo sese Angelorum choris inserens, ex illorum pulchritudine immensam diuinæ maiestatis
Iob. 39. pulchritudinẽ contemplatur. Quam rem Dominus in lib. Iob, significare videtur his verbis: Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum? In petris manet; in præruptis silicibus commoratur: inde contemplatur escam. Quem locum D. Gregor. sic explanat: Vir sanctus cùm
Gregor. terrena despicit, more se aquilæ ad altiora suspendit; & per contemplationem spiritus subleuatus, perennem Angelorum gloriam præstolatur: atque huic mundo hospes, illa appetendo quę aspicit, iam in sublimibus figitur. Sed quisquis ita contemplatione

tione rapitur, vt per diuinam gratiam subleuatus intentionem suam iam Angelorum choris interserit: & fixus in sublimibus ab omni se infima actione suspendit; non ei sufficit gloriam Angelicæ claritatis aspicere, nisi eum etiam qui est super Angelos valeat videre. Sola namque eius visio, vera mentis nostræ refectio est. Vnde cùm dixisset hanc aquilam in petris manere, & in præruptis silicibus, atque inaccessis rupibus commorari, illicò subdidit; Inde contemplatur escam, id est, ex illis choris Angelicis tendit oculum mentis ad contemplandam gloriam supernæ maiestatis, quam non visam adhuc esurit, qua tandem visa satiatur. Hactenus Gregor. Ex cuius verbis intelligimus pium virum ex varia & multiplici angelorum omnium perfectione, ad immensam cõditoris perfectionem & pulchritudinem contemplandam gradum facere atque assurgere.

Cùm ergo conditor ipse, beatitudo nostra obiectiua (vt Theologi loquuntur) sit, cuius hanc tantam pulchritudinem & speciem, non in speculo & in ænigmate; sed aperta facie beati omnes in patria videant: qualem quæso hanc beatitudinem, qualem hanc felicitatem, quale hoc gaudium futurũ esse putamus? Estne vlla mens siue hominum, siue Angelorum, quæ hoc pro dignitate explicare queat? Hoc tamen Vates regius paucis attigit, cùm de hac beatorum felicitate cum ipso felicitatis auctore loquens, ait: Inebriabuntur ab vbertate domus tuę; & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Non potuit paucioribus verbis hæc tanta beatitudo describi. In verbo enim inebriandi, opulentissimã gaudiorum exuberantiã intelligit. Torrentis autem nomine, qui incitatissimo frequenter impetu ferri solet, admirabilem eius vim ad oblectandos animos designauit. Addit deinde, Quoniam apud te est fons vitæ: ex quo felices animæ bibentes, vitam hauriunt felicissimam & sempiternam, quæ in summi regis visione consistit: quam quia semper vident, semper ex eo potantur. Vident autem, lumine gloriæ (quod Theologi appellant) illustrati; quo creatæ mentes siue hominum, siue Angelorum, mirabili virtute sic eleuãtur, vt inconniuentibus oculis solem iustitiæ, & immensum illud atque incircumscriptum lumen videre queant. Qualis igitur hæc felicitas erit? Quò quæso vlterius mens humana, aut Angelica ascendere poterit? Hoc enim est ad ipsius diuinæ felicitatis & gloriæ communionem eleuari. Quæ enim alia omnipo-

Psal.

tentis

tentis & summi Dei gloria est, quàm se videre, se amare, & infinita pulchritudine sua frui? Quam rem non sacræ literæ modò, sed ipse etiam Philosophorum princeps Aristoteles, sine fidei
Arist. 12. Metaphy. lumine, solo ingenij acumine assequutus est. Is enim in duodecimo Metaphysicæ libro, de primæ causæ felicitate & beatitudine disserens, Deũ ait seipsum cõtemplari, cõtemplandoq. esse beatum: vnicamq. eius beatitudinem esse, quòd seipso fruatur, fonsque ipse sibi felicitatis suæ sit: inenarrabiliq. gaudio semper ex intuitu pulchritudinis suæ perfundatur. Quis igitur hãc ethnici hominis sententiam non miretur; qui tam consona diuinis oraculis atq. literis intelligere potuit? Cùm igitur beati omnes eundem dominum aperta facie videant, & ex eodẽ fonte, felicitatis suæ potum hauriant; quid reliquũ est, nisi vt omnes tanquam Dei filij paterna felicitate fruãtur? Et, quod ad felicitatis communionem attinet, Dij quodammodo efficiantur? Cuius admirandæ dignitatis non dubium aut fallacem testem
1. Ioan. 3. proferam. Sic enim Ioannes in Epistola sua, Filioli, inquit, nũc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus autem, quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus. Cur similes? Subdit causam, Quoniam videbimus eum sicuti est. Si enim eius gloria (vt antè diximus) in sui ipsius visione & contemplatione consistit: si nos quoque illum aperta facie videbimus, consequens est, vt similes ei in felicitatis gloria simus. Quid igitur habes, ò cor humanum, quò vlterius tendere, quò vlterius possis aspirare? Quò abis? quò tendis? quid optas? ad quam aliam felicitatem properas; cùm ad tantarum rerum spem non modò cõditus, sed etiam redemptus ac vocatus sis?

Nũc in his philosophari incipiamus fratres. Si alicuius creaturæ pulchritudo tantam ad rapiendos animos vim habet, vt homines interdum vel insanire, vel marcescere, & ægrotare faciat (quod Amnoni Dauidis filio propter eximiã sororis Tha-
2. Reg. 13. mar pulchritudinem contigit) quid nos facere par est, vt hac tanta diuinæ pulchritudinis specie in æternum perfruamur? Verùm hoc exemplum, ex sacris literis depromptum est. Afferamus
Quintil. aliud ex prophanis desumptum, quod Quintilianus citat his verbis: Non putant indignum Troiani principes, Graios Troianosque propter Helenæ speciem, tot mala tanto temporis spatio sustinere. Quod quidem non dicit Paris, qui rapuit: non aliquis iuuenis, aut vnus è vulgo; sed senes, & prudentissimi, & Priamo assidentes. Verùm & ipse Rex decennij bello exhaustus, amissis tot liberis, imminente summo discrimine, cui

faciem

faciem illam, ex qua tot lachrymarum origo fluxisset, inuisam atque abominandam esse oportebat: & audit hæc, & eam filiam appellans, iuxta se locat, & excusat etiam, atque sibi esse malorum causam negat. Hęc recitat Fabius. Nunc fratres, Dei atque hominum fidem imploro. Si hæc adeò minima pulchritudinis, vt ita dixerim, guttula, tãtùm apud homines valuit, vt immensos decennij labores, tot funera, tot mortes, tot rerum discrimina subire compelleret; quid quæso vos ob immensam illam diuinę pulchritudinis speciem, ob altissimam illam omnium gratiarum atque bonorum impermeabilem abyssum, ob infinitum illum & inexhaustum diuini decoris Oceanum nos facere par est, vt eo non ad horam, non ad diem, non ad annum, non ad mille annos, non ad centum annorum millia, sed sempiternis seculorum ætatibus perfruamur? Si mille mortes nobis quotidiè obeundæ, si omnia facinorosorum atque martyrum supplicia perferenda essent, quid hæc ad tantam felicitatem? quid hæc ad hanc cælęstem hæreditatem? quid ad has tantas opes? quid ad hanc tantam gloriam? quid ad tanta gaudia? quid ad tantas delitias? quid postremò ad sempiternam sempiternæ felicitatis communionem? O stulta mortalium auaritia! ò deploranda cæcitas! ò detestanda amentia; quæ his tantis opibus prætermissis, momentaneis atque abiectissimis rebus toto pectore inhias.

Quid igitur (inquies) nobis facto opus est, ne ab hac tanta gloria excidamus? Audite, fratres, diuinum vatem hoc ipsum paucis explicantem. Qui ambulat in iustitiis, & loquitur veritatem; qui proiicit auaritiã ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere: qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos ne videat malũ, iste in excelsis habitabit: munimenta saxorum sublimitas eius. Panis ei datus est: aquæ eius fideles sunt. Regem in decore suo videbunt: oculi eius cernent terram de longè. Hactenus Prophetæ verba. In quibus is, & iter ad felicitatem, & felicitatis conditionem breuiter exposuit. Iter autem est, iustitiam colere; veritatem loqui, auaritiam odisse, aures detractoribus obturare, & oculorum & cordis licẽtiam comprimere, ac postremò diuinis mandatis, quæ iustitiæ nomine continentur, fideliter obtemperare. Hæc enim ad felicitatem via est; dicente Domino, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Huius verò obedientiæ merces est, quod deinde Propheta subdit; Panis ei datus est: quo nomine inuisibilem beatorum cibum intelligit: quo sanctus ille Raphaël Angelus se frui

Esai. 33.
Matt. 19.
Tob. 12.

frui prædicauit. Quòd verò ait, aquas eius fideles esse, felicitatem illam, quæ ex huius summi boni contemplatione proficiscitur, voluit significare. Huius enim vitæ aquas esse infideles, illas verò fideles, non obscurè Dominus Samaritanæ indicauit,
Ioan. 4. cùm dixit; Omnis qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Hæc ergo cælestiũ gaudiorũ aqua fidelis est, quæ desideriorum nostrorum sitim sedat: aquæ verò mundi, infideles sunt: quæ quietem & felicitatem, quam promittunt, minimè præstant. Quod verò ait, Regem in decore suo visuros, apertissima oratione, essentialem beatarum mentium gloriam declarat: quam in huius infinitæ pulchritudinis visione, positam esse diximus. Inde fit quod sequitur: Terram cernent de longè. Qualis verò terra à longè prospecta tunc apparebit; quando nunc stellæ cæli, quæ totius maris & terræ globo longè maiores sunt, adeò breues & exiguæ apparent, quòd à longè prospiciantur? Qualis ergo nunc illorum dementia est, qui propter exiguum terræ gurgustiolum, tam ampla cæli palatia in æternũ duratura amittũt? Hanc enim æternitatem & securitatẽ Propheta non tacuit, cùm protinus subdit: Iste in excelsis habitabit: munimenta saxorum sublimitas eius. His enim verbis, cęlestis vitæ securitas, ab omni formidine libera significatur: quando ea quæ in excelsis rupibus sita sunt, ab hostium incursionibus tuta esse iudicantur. Habetis hîc fratres, & opus quod à nobis exigitur, & operis mercedem, quę nobis proponitur, vt facultas nostra tulit, delineatam. Vita quidem breuis, modicus labor, optatissima & sempiterna merces est. Demus ergo operam, vt perexiguum laborem ad æternam requiem, per crucis suspendium ad cæleste regnum, per nostri abnegationem ad perfectam libertatem, ac postremò per pietatem & iustitiam, ad sempiternam gloriam peruenire mereamur. Amen.

IN EA-

IN EADEM DOMINICA II. POST PENTECOSTEN CONCIO II.

in qua post Euangelicæ lectionis explanationem, de spirituali cœna siue conuiuio, quo Dominus seruos suos in hac vita reficit, dùm extrema illa cœna cælestis patriæ differtur, paucis agitur.

THE. *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Lucæ 14.

INterrogatus aliquandò insignis quidam Philosophus quid sibi in rebus humanis dulce videretur, Acquirere respondit. Non ignorabat autem is eam distinctionem qua Philosophi delectabile bonum ab vtili discernunt; sed intelligebat tamen in ea ipsa vtilitate tantam vim inesse, vt mundus omnis omnisque humana respub. vtilitatis intuitu sustineretur. Omnes quippe omnium ordinum homines siue qui rempub. moderantur, siue qui ab aliis reguntur, omnesque item cunctarum artium opifices, vtilitatis alicuius spe ad agēdum excitantur, qua sublata segnes homines, ac prorsùs inertes redderentur: silerent omnes artes, vacarent officia, cessarent studia, omnisq. labor & industria hominum conquiesceret. Hac igitur vtilitatis spe illecti homines, ad officia sua excitantur. Quam rem intelligens sapientissimus ille rerum ęstimator, & humanæ salutis amator Dominus, cùm ad pietatis & iustitiæ cultum traducere homines vellet, miras eis vtilitates & magnificentissima præmia proposuit. Sciebat enim spem esse (vt modò diximus) quæ sic animum ad res gerēdas exacuit, vt maximorum laborum obliuiscì faciat, omnemque sensum à cogitatione doloris auertat. Agricolæ enim frugum expectatione labores immensos facilè perferunt: milites spe victoriæ incensi, vulnera non sentiunt: venatores, nullos imbres & frigora recusant. Nemo denique spirat aliquid, quē non spes illa ad omnes labores libēter excipiendos exsuscitet. Quòd si spes incerta rerum caducarum tantam habet vim, vt omnē laborem leuē & tolerabilem efficiat; quid non molietur animo is qui spiritualia atq. diuina bona, & in præsenti & in futura vita piis proposita esse firmissima fide tenet? Hæc igitur nobis in sacra huius diei lectione, Dñs sub elegantissima cœnæ parabola

pro-

proponit, vt ad ea percipienda promptiores, alacrioresque reddamur. Vt autem hoc argumenti genus piè & religiosè tractare possimus, cælestem opem sacratissimę Virginis interuentu suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Hanc parabolam à Domino non ad turbas, vt ferè aliàs, sed in conuiuio ad Pharisæos fuisse prolatam, paulò ante hæc verba S. Lucas exposuit. Cùm enim ex conuiuis quidam dixisset; beatus qui manducabit panem in regno Dei, huius panis & regni occasione Dominus elegantissimam hanc parabolam proposuit his verbis. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos, & misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis vt venirent, quia iam parata sunt omnia.* Hora autem cœnæ est post Christi mortem, quando mortis Christi merito cælum reseratum est, & omnia redemptionis nostrę mysteria propalata. Itaq. dicere iam seruus potest; *Venite, quia parata sunt omnia.* Omnia inquam, quæ ad redemptionis & salutis nostræ causam necessaria sunt. Mittit verò Dominus seruum, vt ad hanc cœnam inuitatos vocet. Scitis seruum hunc prædicatorum ordinem esse. An hic igitur solus seruus vocat? Vocant etiam mala & incommoda omnia diuina dispensatione immissa, quę nos ab huius seculi amore auocant, & ad Deum ire compellunt. Vocant bella, fames, pestilentiæ: vocant innumeræ propè hæreses quæ hoc infelicissimo seculo inundauerunt, iramque Domini indignantis denũciant, qui tantum in nos communi hosti potestatis contulit. Vocant cuiusque nostrum orbitates, charorum funera, inopia, variaque morborum genera, quę luctuosam atque miserandam & mille incommodis affectam vitam nobis efficiunt. Vocant item diuersa ratione diuina dona, & beneficia, suauissimaque inuitamenta, quæ nos ad se amandum alliciunt; vt cùm videamus nos à mundo variis plagis & calamitatibus repelli, & ab auctore nostro blandissimis vocibus inuitari, à mundo persequente resiliamus, & ad Deum allicientem confugiamus. His igitur modis, aliisque compluribus, quamdiu in hac vita manemus, pius & misericors Dominus quos condidit homines, ad cœnam suam inuitare non cessat.

Quid igitur inuitati? *Cœperunt* (ait Euangel.) *omnes simul excusare.* Mira res, (inquit Gregor.) offert Deus, quod rogari debuerat: non rogatus dare vult, quod vix sperari poterat. Contẽptoribus verò paratas delitias refectionis æternæ denuntiat, & tamen simul omnes excusant. Ponamus ante oculos mentis mi-

Gregor. homil. 36

nima,

nima, vt possimus dignè pensare maiora. Si quispiam potens ad inuitandum quemlibet pauperem mitteret, quid fratres rogo, quid pauper ille faceret, nisi de eadem sua inuitatione gauderet, responsum humile redderet, vestem mutaret, ire quantocius festinaret, ne prior se ad potentis conuiuium alter occurreret? Homo ergo diues inuitat, & pauper occurrere festinat. Ad Dei inuitamur conuiuium, & excusamus. Hactenus Gregor.

Quibus autem se inuitati rationibus excusent, videamus. *Vnus dixit: Villam emi, & eo videre illam, rogo te habe me excusatum. Alius dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa, rogo te habe me excusatum. Alius dixit: Vxorem duxi, & ideò non possum venire.* His porrò excusationibus varia impedimenta & vitia, quibus homines addicti, diuina promissa negligunt, intelliguntur. In eo enim qui villam emit auaritia & studium pecuniæ designatur, quæ magnum homini ad salutem præstat impedimētum. Scriptum est enim, Nihil iniquius quàm amare pecuniam. Hic enim & animam suam venalem habet, quia videlicet pro paruo lucro animæ suæ salutem negligit, eamque æternę mortis supplicio addicit; quo quid esse indignius potest? Quàm multa autem mala ex hoc vno crimine oriantur, quæ homines à cælesti regno excludunt, Apostolus enumerat cùm ait, Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim malorum cupiditas: quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Quis igitur tantus amor, quæ tanta pecuniæ sitis, quæ non his Apostoli vocibus, imò non vocibus, sed fulminibus restinguatur? Hæc igitur pestis, non vno modo ab hac cœna homines retardat, sed tot modis, quot sunt scelera, ad quæ mentes hominum inclinat.

Alius verò se quinque iuga boum emisse ait, ideoque supplici prece se à conuiuio excusat. Per hæc autem quinque boum iuga, D. Gregor. quinque corporis sensus accipit. His namque sensibus quia interna comprehendere nesciunt, & ea quæ extra sunt, tangunt, rectè curiositas designatur, quæ dum alienam quærit vitam discutere, semper sua intima nesciens, studet exteriora cogitare. Graue namque curiositatis est vitium, quæ dum cuiuslibet mentem ad inuestigandam vitam proximi exterius ducit, semper ei sua intima abscondit, vt aliena sciens, se nesciat. Et curiosi animus quantò peritus fuerit alieni meriti, tantò fiat ignarus sui. Hactenus Gregorius. Hoc autem

vitium vsqueadeò ethnicis etiam hominibus inuisum fuit, vt clarissimus ille inter Philosophos Plutarchus iustum volumen aduersus illud conscripserit; cuius aliquot sententias hoc in loco referre non grauabor, quas vobis non ingratas futuras spero. Cur (inquit ille) ò homo inuidentissime, in alienis malis perspicaces habes oculos, in tuis cæcutis? Inuerte cognoscendi studium & istam curiositatem ab externis transfer ad ea, quæ sunt intra te. Si cordi est aggredi malorum historiam, habes affatim domi quid agas. Tantam reperies multitudinem erratorum in vita tua, malarumque cupiditatum in animo, nec minus negligentiæ in his quæ fuerat officij præstare. Hęc recenseto, hæc recognoscito, fenestras vnde prospectus pateat in vicinos, aditusque curiositatis obturato. Cæterùm alias aperito vias quæ ducunt in virorum conclaue, quod tibi domi est, in loca, in quibus versantur famuli. Illic habet istud percontandi studium, & curiositas negotium, nec inutile, nec improbum, verùm vtile ac salutiferum, cùm sibi quisque sic loquitur. Quo lapsus? quid feci? quod mihi munus omissum est? Nunc verò, sicut fabulæ narrant, Lamiam domi quidem canere cæcam, oculos habentem in vasculo quodam repositos: verùm vbi prodit foras reponere, ac tum oculatam esse: ita quisque nostrum foris, & in rebus aliorum, ob maleuolentiam sibi curiositatem velut oculum imponit. In nostris autem ipsorum erratis ac malis frequenter labimur præ ignorantia ad hæc, nec oculos habentes, nec lucem. Porrò autem curiosus pleraque quæ domi geruntur non animaduertit, videlicet attonitus studio negotiorum alienorum. Itaque mirè securi, ignarique eorum quæ ad nos ipsos pertinent, aliorum genus inquirimus, videlicet quòd auus vicini fuerit Syrus, auia verò Thressa. Ille verò debet talenta tria, nec vsuram persoluit. Quin & huiusmodi disquirimus, vnde illius vxor rediit domum? quid hic & ille soli in angulo collocuti sunt? Atqui nonnulli propriam vitam velut in amœnissimum spectaculum nō sustinēt intueri, nec rationem veluti lucem ad sese reflectere & circunducere. Verùm animus omni genere malorum scatens, horrens, ac metuens, quæ sunt intus, exilit foras, vagaturque circa aliena nutriens, ac saginans animi vitium. Et sanè in alienas ædes non est mos ingredi quemquam, nisi prius pulsarit foris: curiosius autem ad hæc ipsa clam subit pudicæ domus recteque constitutæ, nequaquàm libenter spectator futurus, etiam si quis vocet. Ea verò quorum causa clauis, repagulum ac vestibulum adhibentur, retegit, & effert in vulgus.

Simil.

vulgus. Atqui ventorum hi nobis sunt molestissimi, qui reuellunt pallia. Curiosus autem non pallia vicinorum nec tunicas, sed parietes detegit, fores reserat, & ad teneram vsque virginem non aliter quàm ventus penetrat irrepitque. Simul est in ædibus diuitum, in casis pauperum, in aulis regum, in thalamis nuper nuptarum, scrutans omnia omnium negotia, tum hospitum, tum præsidum. Hactenus Plutarchus. idemque paulò inferius addit, Itaque laudanda Locrensium lex, quæ siquis peregrè reuersus rogasset, Nunquid noui? cùm multa afficiebat. Quemadmodum enim coqui optant vberem pecudum prouẽtum, piscatores piscium: sic curiosi optant annonam malorum, ac negotiorum multitudinem, nouitatesq́. & rerum mutationes, quò semper habeant quod venentur mactentque. Cæterùm fieri non potest, vt curiositatem non comitetur maledicentia. Etenim curiosi, quæ libenter audiunt, libenter effutiunt: & quæ ab aliis studiosè colligunt, apud alios cum voluptate efferunt. Deinde verò idem Philosophus morbi huius remedium adhibere incipit his verbis. Simil.

Igitur ad huius morbi depulsionem plurimum fuerit, si consuescamus in hoc affectu temperare nobis. Quemadmodum enim venatores non sinunt canem aberrare, & quemlibet odorem persequi, sed loris retrahunt, reuocantque, olfactum eius seruantes purum & integrum, officio peculiari, vt acrius inhæreat vestigiis; sic oportet & curiositatem ad quiduis spectãdum audiendùmve excurrentem atque oberrantem cohibere atque retrahere, quò seruetur ad vtilia. Etenim sicuti leones & aquilæ dum ambulant, vngues vertunt retrorsum, ne aciem illorum & cuspidem deterant: sic existimantes curiositatem ad multarum rerum cognitionem aciem quandam & acumen habere, ne cõsumamus illud, nec hebetemus in rebus deterrimis. Secũdo verò loco consuescamus, si quando præterimus fores alienas, non introspicere, nec in ea quæ sunt intus oculis irrumpamus, curiositate manus vtente vice: sed illud Xenocratis in promptu sit, Qui negauit quidquam referre, vtrum pedes, an oculos inferas in ædes alienas. Et paulò inferius; Hoc etiam admonendum, ne redditam epistolam mox soluamus, quemadmodum faciunt plerique: qui, si manu sint tardiores, dentibus epistolæ vincula dilacerant. Cùm ego quondam Romæ differerem, Rusticus ille (quẽ pòst occidit Domitianus gloriæ illius inuidus) me loquentem audiebat, atque interim satelles accedens, Cæsaris epistolam illi reddidit. Atque orto silentio, meque Simil. Simil.

sermonem interrumpente, quo posset epistolam legere, noluit; nec prius resignauit, quàm ego finissem orationē, ac dimisissem auditorium. Qua quidem in re omnes, viri grauitatē admirati sunt. Hæc omnia fratres, ex Plutarcho aduersus curiositatis vitium, quod eo tempore apud Græcos ac præcipuè apud Athenienses vigebat, quos S. Lucas in Actis Apostolorum hoc morbo laborasse scribit: qui ad nihil aliud vacabant, nisi vt noui aliquid audirent. Nec minus tamen nos hoc eodem morbo laboramus; quocirca non temerè à nobis, neque (vt arbitror) inutiliter hæc omnia inducta sunt. Quæ tamē omnia paucis sanctissimi cuiusdam viri sententia complectitur, qui ait, Vt teipsum semper inspicias, ab omnibus aliis oculos auerte.

I.

Sed ad institutum redeuntes, ad illum veniamus, qui quoniā vxorem duxisset, se à conuiuio excusauit. Quo in loco diligenter obseruandum est, alios quidem supplici se oratione à conuiuio excusasse, dum vterque nuntio dixit; *Rogo te, habe me excusatum.* Qua in re quorūdam fidelium conditio designatur, qui illius quidem cælestis conuiuij desiderio tenentur, pondere tamen, hoc est, amore rerum terrenarum ad infima deprimuntur. Per eum autem qui vxorem duxit, eorum intemperantia notatur, qui sese vagæ libidini & carnis lasciuiæ dediderunt. Non enim nouum est re iusta iniustam aliquando propter operum similitudinem designari. Hi autem adeò fortibus à dæmone vinculis constricti tenentur, vt se ab illis extricare nisi magno diuinæ gratiæ munere non possint. Hinc apud Oseam legimus, fornicatio, & vinum & ebrietas auferunt cor. Vix potuit diuinus Vates, paucioribus verbis mali huius vim explicare. Vt enim ebrietas rationis arcem quæ hominis propria est occupat, hominémque sibi ita eripit, vt tunc à furente & insano nihil differat; ita morbi huius vis liberum hominis arbitrium atque iudicium obruit, vt vix in eo aliquid vel rationis vel libertatis maneat, hominemque ferè in pecudem transferat. Hinc D. Greg. Cùm luxuria (inquit) mentem occupauit, vix aliquod bonum cogitare permittit. Denique iidem ipsi sic animo affecti ac deprauati sunt, vt se, quamuis falsò, ad hoc vitium non allici, sed compelli suique iuris non esse dicant. Tanta huius pestis vis est. Hac igitur de causa iste qui vxorem duxit, nequaquam rogat se excusari, sed liberè & inuerecundè dicit se non posse venire. Quo verbo maximū illud vulnus humanæ naturæ ex originali peccato inflictum apertè designatur. Nulla enim in re concupiscētiam

tiam magis, quàm in hac cupiditate sæuire Theologi fatentur. Hinc apud Oseam legimus; Omnes adulterantes quasi clibanus corda eorum. Et quidam ex patribus, Ardor, inquit, luxuriæ ascẽdit in cælum, fœtor autem ad inferos vsq. descendit. Quam rem mores hominum non obscurè indicant. Quis enim (vt D. Hieronymus ait) gloriabitur castũ se habere cor? Imò verò quis gloriabitur castos se habere oculos, cùm S. ille Iob ita sibi ab oculis suis timeret, vt diceret, Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Confiteor vobis hodie fratres, latissimam esse hanc viam quæ ducit ad perditionem, paucissimosque ab ea ad castitatis viam deflectere: nec minus puto maximam hominum partem, quos sempiternus ille ignis cruciabit, hoc vitio contaminatos fuisse. Quòd si quis ab hoc igne liberari, & huic pestilenti morbo occurrere velit, sciat hoc genus dæmoniorum nõ eiici, nisi in oratione & ieiunio. Ieiuniũ quippè corpus inedia extenuat, ne escarum abundantia luxuriet atque lasciuiat. Oratio verò continentiæ donum à Deo impetrat, sine quo virtutem hanc retinere diu nemo poterit, quemadmodum Sapientiæ 8. legimus.

Iob 31. Matth. 17 Sapien 8.

Cùm igitur isti, qui ad cœnam inuitati fuerant, variis se rationibus excusarent; *Iratus paterfamiliàs seruo suo ait, Exi citò in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, cæcos, & claudos introduc huc.* In his verbis apertè Iudæis exclusis, qui prius inuitati fuerant, Gentium vocatio designatur; quæ variis animorum morbis obnoxiæ, omnium spiritualium bonorum inopes erant. Qua de causa in literis sanctis ligna syluarum appellantur, quę de vocatione sua lætari iubentur. Huiusmodi enim syluarum ligna infrugifera sunt, atq. ad solum ignem & incendium destinata, quales gentes erant. Hos vbi seruus vocauit, ad Dominum rediens ait; *Domine factum est vt imperasti, & adhuc locus est. Cui Dominus, Exi citò in vias & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea.*

Psal. 95.

Quid est, *Compelle intrare?* Virtus enim & iustitia via est atque porta, per quam aditus nobis ad hanc cœnam patet: virtus autem non est, quæ voluntaria non est; quemadmodum nec est peccatum, nisi sit voluntarium: quomodo ergo isti compelluntur, vt ad cœnam Dominicam veniant? Hoc compellendi verbum, fratres, immensam Dei bonitatem & in genus hominum charitatem declarat, & maximum item calamitosis hominibus (quorum maxima in mundo turba est) solatium præ-

bere poteſt: ideoque qua ratione iſti compellantur, paulò fuſiùs à me explicandum eſt.

August. Ad hoc igitur ex D. Auguſt. ſcire oportet, variis miriſq. modis Deum ad ſe homines trahere, quippè qui omnes velit ſaluos 1. Tim. 2. fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Quoſdam enim ex gratuita & immenſa bonitate ſua pręuenit in benedictionibus dulcedinis, qui maxima rerum cæleſtium dignitate & ſuauitate il- Matth. 13 lecti, facilè omnia propter eas deſpiciunt atque contemnũt. Sic enim mercator ille Euangelicus inuenta pretioſa margarita, abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam: quoniam re ipſa didicit, ſe feliciorem in hac etiam vita, illius fructu, quàm rerum omnium poſſeſſione futurum.

Sunt rurſus alij, quos Dominus non dulcedinis ſed amaritudinis calice ad ſe venire compellit; quos videlicet inopia premi, morbis intabeſcere, orbitatibus affligi, variiſque à fallaci mundo calamitatibus & incommodis vexari, & ab eo quodammodo repelli permittit: quorum tamen quidam nec adeò boni ſunt, vt has calamitates grato & alacri animo excipiant, nec adeò mali, vt de Deo querantur, & intoleranter atque iniquo animo hæc ipſa perferant. Sic enim iſti apud ſe philoſophari quadammodo videntur, Quam ego vtilitatem referam, ſi triſtitiæ & iracundię habenas laxauero, & mœrore conficiar? Primùm quidem calamitatẽ meam augebo, quam frequenter impatientia ipſa grauiorem reddit, ita vt interdum magis hominem impatiẽtia ſua, quàm ipſa calamitas torqueat. Deinde Deum ipſum (cuius prouidentia hæc omnia proueniunt) hac eadem impatientia offen- Eccli. 11. dam. Conſtat enim verum eſſe quod Eccleſiaſticus ait, Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt. Tertiò denique, patientiæ meritum amittam, quod tantò maius eſt, quãtò calamitas extiterit grauior. Certum enim eſt, boni operis difficultatem, meriti magnitudinem augere. Quò autem meritum fuerit cumulatius, eò maiora gratiæ, & charitatis, & virtutum, atque cæleſtium donorum munera percipiam. Quæ qui- Iaco. 1. dem bona tanta ſunt, vt Iacobus Apoſtolus omni gaudio circumfluere nos moneat, cùm in varias tentationes inciderimus. Hæc igitur prudentiſſimus quiſque vir ſecum philoſophatur: atque ita demum calamitatis neceſſitatem (quam ipſe quidem ferre noluiſſet) in virtutis meritum atque materiam vertit, cùm videat tam multa bona ex humili patientia ſequi, & tam multa incommoda ſecum impatientiam afferre. Hæc autem ipſa quæ diximus apertè Dominus per Oſeam teſtatur his verbis, Ecce

ego sepiam viam tuam spinis,& sepiam eam maceria, & semitas suas non inueniet, & sequetur amatores suos,& non apprehendet eos, & quæret eos,& non inueniet, & dicet; Vadam & reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis,quàm nunc. Quo in loco diuus Gregorius, Postquam, inquit,adultera anima vias suas spinis septas inuenit;postquam amatores suos apprehendere non valet, ad amorem viri prioris redit: quia plerumque postquam in hoc mundo non possumus obtinere quæ volumus, postquam in terrenis desideriis de impossibilitate lassamur,tunc ad mentem Deum reducimus, tunc placere incipit quod displicebat,& is cuius nobis amara fuerant præcepta,repentè dulcescit in memoria,& peccatrix anima,quę adultera conata est esse, nec tamen aperto opere potuit, decernit esse fidelis coniux. Qui ergo huius mundi aduersitatibus fracti,ad Dei amorem redeunt,atque à præsentis vitæ desideriis corriguntur;quid isti fratres mei, nisi compelluntur vt intrent? Hactenus Gregor. qui conuersionis huius testem inducit prodigum illum filium. Is enim qui patrem reliquit, & partem substantiæ quam perceperat, prodigè expendit, postquàm esurire cœpit in se reuersus dixit,Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus! Longè quippè à se discesserat quando peccabat,& si non esuriisset in semetipsum minimè rediisset; quia postquam terrenis rebus indiguit,tūc cogitare cœpit quid de spiritualibus amisit. Tales igitur sunt qui ad hanc cœnam à Domino compelli dicuntur: quia videlicet non omnino spontè,sed necessitate quadam per virtutis iter,quo ad eam perueniuntur gradiuntur. Gregor.

Est autē aliud compellendi genus mirum & nouū, quodque extremā hominis malitiam atq. infirmitatem, summamq. Dei nostri bonitatē & clementiam declarat. Quod quidem nō longa oratione,sed historia quadā scitu dignissima,quam Eusebius Cæsar.in Ecclesiastica historia memorat, vobis patefaciā. Quæ non exiguam philosophandi, admirandiq. materiam vobis tribuet.Sic igitur ait:Facinus apud nos admissum,fidelibus in Domino, quo illos erudiam,cōmemorabo: quod credo, si Sodomis certè gestum fuisset,etiā illos ad scelera sua pœnitentiæ lachrymis maturè eluenda admonuisset. Erat quidam Natalius cōfessor, non iam pridem, sed nostris iam penè temporibus: iste ab Asclepiodoto & altero Theodoto Trapezita (hi quidem ambo Theodoti coriarij, qui primus propter istam nouā prudentiam, imò verò amentiam, ex Christianorum cōmunione à Victore, Eccles. hist. lib. 5. cap. 27.

vt dixi, qui tūc erat Pōtifex, excludebatur, discipuli erāt) fraude ac dolo deceptus fuit: & ab illis duobus, quos suprà posui, salario quodam & mercede persuasus, vt illius erroris Episcopus crearetur: ea lege nimirùm, vt cētum quinquaginta denarios menstruos isti ei persoluerent. Qui quidem cùm se in illorum societatem dedisset, per visiones quasdam à Domino ad se demissas sæpenumerò admonitus fuit. Deus enim misericors, & Dominus noster Iesus Christus, Martyrem & testē suarum afflictionum extra Ecclesiam miserè disperire noluit. Cæterùm quoniam erat primæ apud illos Sedis Episcopalis appetitione tanquam hamo inescatus, & turpi quæstu (qui multis adfert perniciem) irretitus, & propterea lentius tardiusque Dei visionibus animum attendit: tandem per integram noctem à sanctis Angelis flagris & verberibus vsque adeò acerbè & grauiter cæsus fuit, vt cùm primo mane surgeret, cilicio & sacco indutus, cineribus aspersus, cum magno mœrore & lachrymis, ad pedes Zepherini Pontificis se supplicem abiiceret: & non modò ad cleri, sed ad laicorum etiam genua aduolueretur: ita, vti Christi misericordis Ecclesia illum magnopere commiserata, lamētis vnà se dederet. Attamē ille, licèt multis precibus vsus fuisset, & plagarum vibices, quas pertulerat, ostendisset; vix tanden in communionem Ecclesiæ receptus fuit. Hactenus Eusebius.

Claudit autē hanc parabolam formidabili quadam sententia Dominus; *Dico* (inquit) *vobis, Quia nemo virorum illorum qui vocati sunt. gustabit cœnam meam.* Nullum maius fulmen à diuina censura iactari potuit. Hoc enim verbo supplicium illud designatur, quod Theologi damni pœnam nuncupant: quæ est sempiternæ felicitatis, atque diuinæ visionis & glorię abdicatio, quæ damnatos homines magis quàm flagrantissimus ille ignis, qui eorum corpora & animas depascitur, cruciare dicitur. Huius verò tanti supplicij causa est stupenda illa hominum cæcitas & ingratitudo, qui Deo ipsos gratis ad opulentissimam cœnam tot modis vocanti (cuius rei gratia millies mortem ob hanc tantam Domini sui benignitatem oppetere deberent) non modò hoc non fecerunt, sed etiam singularem hanc gratiam & misericordiam inanissimarum rerum cupiditate furenter & ingratè repudiarunt. Quò enim Domini vocantis dignitas maior, quò gratia magnificentior, quò cœna splendidior, quò excusationis causa indignior, eò grauius extitit excusantium crimen, quod hac tanta pœna Dominus mulctandum decreuit: quemadmodum ipse per Esaiam minatur his verbis, Vocaui, & non respondistis

distis mihi: loquutus sum, & non audistis, & faciebatis malum in oculis meis, & quę nolui elegistis. Propterea hæc dicit Dominus; Ecce serui mei comedent & vos esurietis: ecce serui mei bibent, & vos sitietis: ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini. Hactenus de Euangelica lectione: nunc ad cœnam Dominicam veniamus. Esai.65.

TRACTATIO THEMATIS.

Diximus initio fratres, si meministis, vtilitatis spem esse quæ mortales omnes ad labores subeundos maximè acuat & exuscitet. Cæterùm vtilitas omnis quò præsentior est, eò magis animũ ad labores incitat, quod non perindè facit ea quæ diutius expectatur. Hinc Comicus ille, Ego (inquit) spem pretio nõ emam. Quam sententiam clarius exponit D. Ambros. his verbis: Difficile videtur hominibus vt spem periculis emant, damnoq. præsentium futuræ locum mercentur ætatis. Quocirca Dominus hoc humanæ mentis ingenium intelligens, non solùm futura, sed etiam præsentia bona virtuti constituit. Vndè omnia propter se relinquentibus, centuplum, hoc est, magnificentissima gratiæ bona in hoc seculo promisit, & in futuro vitam æternam. Et Apostolus: Pietas (inquit) ad omnia valet, promissionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ. Ambros.

Inter hæc autem præsentia bona, non in postremis gaudium spiritus, quo mirabili ratione piorum mens in hac vita reficitur & pascitur, intelligimus. Quam rem Dominus in sacra huius diei lectione sub splẽdidæ cœnę nomine (vt autor est D. Greg.) fidelibus proponit. Is namque cœnæ nomine dulcedinis internæ refectionem intelligit. Quamuis enim hoc in loco, Dominus hoc nomine, nouissimam illam cœnam quæ erit in patria, præcipuè designare velit; tamen nihil prohibet, quin simul intelligatur eodem significari spiritualem refectionem & conuiuium, quo in præsenti vita pascitur militans in terris Ecclesia. Vnde sicut vna est Ecclesia militans in terris, & triumphans in cælis, & vita æterna quæ post hanc vitam perficitur, hîc incipit per fidem: ita vnum quodammodo est conuiuium, quo pascitur militans, & quo triumphans Ecclesia: quandoquidem vnus est Deus quem hîc agnoscimus per fidem, quo posteà fruemur per speciem; vnus Christus, quem nunc velatum in sacramento suscipimus, quem postea reuelata facie intuebimur. Denique tanta inter vtrumque conuiuium affinitas est, vt cęlestem gloriam Theologi dicant esse gratiam consummatam, hanc verò spiritualem refectionem esse gloriam inchoatam. Est enim

velut gutta quædam à magna illa cœna in piorum animas decidẽs, quæ sic eas reficit & satiat, vt omnium terrenarum deliciarum esuriem & sitim in illis extinguat, quod illius nouissimæ cœnæ proprium est. Hanc porrò spiritualem refectionem, cœnæ quoque nomine significari non obscurè Dominus designauit, cùm in Apocal. Ioannes ait, Ecce ego sto ad ostium, & pulso. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Quo in loco Dominus de interna pulsatione, spiritualique cœna qua eos reficit, qui ipsi aditum patefaciunt apertè loquitur. Quia igitur in superiori concione de futura cœna diximus, de præsenti nunc dicere incipiamus: quamuis hoc argumenti genus ad pios magis, quàm ad alios, qui terrenis rebus affixi sunt, spectare videatur. Quia tamen Apostoli exemplo sapientibus & insipientibus debitores sumus, hodie mihi magis cum sapiẽtibus, quàm cum insipientibus agendum est. Magnam enim felicitatis partem qua isti in hac etiam peregrinatione fruuntur, aspirante Domino paucis explicare contendam. Quæ res insipiẽtibus quoque, hoc est, iis qui terrena sapiunt, non omninò inutilis erit, cùm ex hac doctrina intelligant, quibus ipsi hoc tempore deliciis & qua felicitate fraudentur.

Apoc. 3.

Partitio. Tria autem hac de re quàm breuissimè attingam. Primùm quanta sit huius diuinæ refectionis dignitas atque suauitas. Deinde, quomodo nonnunquam eadem diuina dispensatione piis etiam hominibus subtrahatur. Postremò, qua ratione eadem vbi intermissa fuerit, reuocanda sit.

I. Vt hinc igitur dicendi initiũ faciamus, scitis iam fratres, duas esse præcipuas hominis partes, corpus videlicet & animam, quarum altera corporea, altera spiritualis sit: ideoq. altera corporeo, altera spirituali cibo pro cuiusq. natura sustentãda. Cùm autem diuina prouidentia in rebus ad vsum vtriusque vitæ necessariis minimè deficiat, quemadmodum varia ciborum genera alendo corpori procreauit, ita ad spiritus vitam tuendam sua quoque alimenta & cibos destinauit. Inter quos principem locum sacra Eucharistia tenet; de qua idem Dominus ait, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Verè namque inter omnes spirituales animarum cibos, hic præcipuè spiritualẽ vitam alit, auget, roborat, atque conseruat, & ad vitam vsque perducit sempiternam: sicut idem Dominus ait, Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Quæ cùm ita sint, non est difficile diuinare, cur in mundo tantus languor, tanta imbecillitas, tot ani-

Ioan. 6.

Ibidem.

marum

marum morbi, tot hominum lapsus, tantusque veræ pietatis neglectus sit. In causa certè est, quòd hoc cælesti pane qui cor hominis confirmat, minimè reficiantur. Rectè enim diuus Bernardus: Væ (inquit) his qui vocantur ad opera fortium, & non aluntur cibo fortium. Cæterùm, quia non omnibus in promptu est, hoc suauissimo pane vesci, aliũ Dominus prouidit, quo pij homines singulis penè momentis refici possint. Hoc est autem gaudiũ spiritus, quod à charitate proficiscitur: quo mirabiliter piorum animæ in huius vitæ stadio pascuntur, oblectãtur, & roborantur. Qua de re sic D. August. Est (inquit) quędam voluptas cordis, cui dulcis est panis ille cælestis: cuius cibi imaginem retulit manna illud patribus exhibitum in deserto. Vt enim olim Dominus filiis Israël ad promissam terram pergentibus (quæ lacte & melle manabat splendidissimæque huius cœnæ imaginem gerebat) cęleste manna prouidit: ita quamdiu viri sancti in huius vitæ squalenti eremo peregrinãtur, nec ad illam viuentium terram perueniunt, in qua opulentissima illa cœna perfruentur, hoc illos spiritualis lætitiæ pabulo & manna suauissimo recreat & reficit. Porrò autem quemadmodum manna illud omnem saporis suauitatem continebat, ita spiritualis hęc lætitia instar omnium deliciarum est, quæ piorum hominũ mẽtes incredibili & incognita cæteris mortalibus suauitate lætificat & satiat, terrenorumque bonorum sitim mirabiliter sedat.

Bernard. August. Simil. Simil.

Hac autem felicitate, his deliciis sponsa in Canticis fruebatur, cùm cęlesti sponso diceret, Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguẽtis optimis. Vberum autem nomine lacteam diuinæ suauitatis escã intelligit; quam vino, hoc est, omnibus mũdi deliciis, non modò puriorem, sed etiam dulciorem esse constat. Verùm his tantis deliciis non quæuis anima, sed ea solùm fruitur quæ sponsæ nomen meretur. Quæ autem illa sit, D. Bernard. exponit his verbis, Da mihi animam quam frequenter cęlestis sponsus inuisere soleat, cui familiaritas visum, cui gustus famam, cui contemptus omnium, otium dederit: & ego huic incunctanter assigno vocem pariter & nomen sponsæ. Hanc ergo fidelem animam, quam sibi Dominus singulari dilectionis glutino copulauit, solet frequentissimè sponsus Christus insolita quadam & cælesti lætitia reficere, quò illam & in amore feruẽtiorem, & in bono opere diligentiorem, & in tentationibus superãdis potentiorẽ efficiat. Quã quidem lętitiam diuinus Psaltes à Dño petebat, cùm diceret; Lætetur, inquit, cor meum, vt timeat nomen tuũ. Sciebat enim mẽtem hominis spirituali hac

Cant. 1. Bernard. Psal. 85.

lætitia

lætitia perfusam, ad omnia religionis officia alacriorem & promptiorem reddi.

Psal. 30. Huius autem lætitiæ magnitudinem idē exprimit cùm ait, Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam absconditi timentibus te! Idem etiam ostendunt illa ex Actis A-
Actor. 9. postolorum verba, Ecclesia ædificabatur, ambulans in timore Domini, & consolatione Spiritus sancti replebatur. Replendi autem verbo huius diuinæ consolationis exuberantiam sanctus
Eccl. 15. Lucas designare voluit. Nec minus hoc ipsum illa Ecclesiastici verba innuunt, qui inter cætera diuina munera, quibus Dominus virum pium ornat, hoc etiam recenset, Iucunditatem & exultationem thesaurizauit super eum. Thesaurizandi autem verbo, paternam erga pios charitatem & indulgentiā Domini designauit; qui instar eius qui thesaurizat, gaudium gaudio, iucunditatem iucunditati, & lætitiam lætitiæ adiungere non cessat. Hæc est igitur spiritualis illa lætitia, ad quam sub refectionis nomine Saluator nos amantissimis verbis in Euangelio in-
Matth. 11 uitat cùm ait; Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. O immensam diuinæ bonitatis dulcedinem! ò aurea verba intimis animi sensibus infigenda! Ego, inquit, reficiam vos. Equidē fratres, in illa voce, Ego, singularem quandam emphasim inesse arbitror, quam apertissimè Domi-
Esai. 51. nus apud Esaiam declarauit, cùm dixit; Ego ego ipse consolabor vos. An non ergo in huius vocis conduplicatione emphasim esse liquet? Voluit enim vt hac repetitione consolantis atque reficientis omnipotentiam agnoscentes, eius siue refectionis, siue consolationis magnitudinem intelligeremus. Qualis enim illa consolatio, illa refectio, illa cœna erit, quæ ab omnipotēte Deo apparatur? Cùm tabulam aliquā à celeberrimo pictore, qualem
Simil. Raphaëlē, aut Michaëlē Angelū fuisse ferunt, depictā audimus, intelligimus protinus nihil tritū aut vulgare, sed insigne aliquid
Aliud. ab ea manu profectum esse. Cùm præterea Rex aliquis epulum principibus suis apparat (quod olim Rex Assuerus fecit) splendidum quiddam, quodque regiam magnificentiam referat, ac-
Alexand. cipimus. Alexāder ille Orientis Dominus, cùm priuato cuidam homini ab eo aliquid petenti, ciuitatem donasset, isque tantum illud munus fortunam suam minimè decere respondisset, ille contrà (vt erat magno animo) Non, inquit, quid te accipere, sed quid me donare deceat, considero. Si igitur ex dignitate personarum, earundem munera diiudicamus, qualis quæso erit illa cœna, qualis illa refectio, qualis illa consolatio, de qua summus

ille

Ille rerum omnium Dominus ait, Ego reficiam vos:&, Ego ego ipse consolabor vos. Hoc fratres quia nulla oratione explicari potest, prudentiæ vestræ cogitandum atque examinandum relinquo.

Dicet igitur aliquis forsan, Si tanta est spiritualis huius cõuiuij, quod in hac etiam vita piis exhibetur, suauitas, cur seculi homines qui tanto voluptatis amore tenentur, ad has epulas atque delicias non aspirant? Huic quæstioni prudenter admodum D. Gregor. respondet, insignem inter spirituales atque carnales epulas, atque delicias differentiam assignans. Sic enim ait, Corporales deliciæ cùm non habentur, graue desiderium in se accẽdunt: cùm verò habitæ eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. At contrà, spirituales deliciæ cùm non habentur, in fastidio sunt; cùm verò habentur, in desiderio, tantoq. à comedente ampliùs esuriuntur, quantò amplius comeduntur. In illis appetitus placet, experientia displicet: in istis appetitus vilis est, & experientia magis placet. In illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat: in istis autem appetitus saturitatem, saturitas appetitum parit. Augent enim spiritales deliciæ desiderium sui in mente dum satiant: quia quantò magis earum sapor percipitur, eò amplius cognoscitur, quòd auidius ametur. Et idcirco non habitæ amari non possunt; quia earum sapor ignoratur. Quis enim amare valeat quod ignorat? Proinde Psalmista nos admonet dicens, Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus. quasi apertè dicat, Suauitatem eius non agnoscitis, si hanc minimè gustatis. Hactenus Gregor. Ex cuius verbis liquet, cur carnales homines ad has epulas non aspirent, quia videlicet nunquam eas degustarunt, cùm contrà tamen de piis hominibus diuina sapientia dicat, Qui edũt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient. Hîc enim saturitas famem, maiusque edendi desiderium accendit.

Gregor.

Psal. 33.

Verùm id hoc in loco monendi sumus, quòd cùm cælestis ille paterfamiliàs hoc suauissimo pane pios homines reficiat, solet aliquando hãc eis dulcedinem subtrahere, & se quodammodo ab eorum oculis abscondere, & illud implere quod in Iob scriptum est, Visitas eum diluculo, & subitò probas illum: quod frequenter sine vlla ipsorum culpa contingit. Cur ita? Multæ sanè causæ à sanctis Patribus assignantur, quæ tamen omnes ad piorum vtilitatem referuntur. Primùm enim hæc ipsa destitutio atque derelictio, quemadmodum piorum animas vehementer cruciat, ita etiam ab omni labe & fæce peccatorum magnope-

Iob 7.

gnoperè purgat. Cùm enim illi huius diuini amoris dulcedine illecti, cunctis mundi voluptatibus atque deliciis renuntiauerint, intelligentes (vt diuus Bernardus ait) delicatam esse diuinam consolationem, nec dari admittentibus alienam, cùm hinc terrenas ipsi consolationes repudiauerint, inde verò spirituales eis à Domino denegentur, permanent sine vllo solatio vndique destituti, & velut inter cælum terramque suspensi, cùm nec terram ipsi attingere velint, & cælum contingere prohibeantur. Cùm autem, vt diuus Gregorius ait, esse sine delectatione animus non possit (nam aut in infimis delectatur, aut in summis) quid faciet animus ille qui vtrisque viduatus est? Certè angitur, æstuat, fluctuat, & variis cogitationibus laceratur, præsertim cùm sibi magis timere incipiat, vbi se videt hoc tanto præsidio destitutum. Scit enim scriptum esse, Vitam & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodiuit spiritum meum. Quomodo ergo non formidabit, cùm se videat hac cælesti visitatione & vigili custodia destitutum.

Bernard. Gregor. Iob 10.

Verùm hæc ipsa quæ diximus, nemo sentit, nisi qui est huic cælesti conuiuio assuetus. Assuetus certè diuus Bernardus erat, qui vel ad momentum hac diuini spiritus refectione carere maximum cruciatum ducebat. Vnde explanans illa Domini verba, Modicum & non videbitis me, sic ait, O modicum modicum, ò modicum longum! Pie Domine, modicum dicis quod non videmus te? Saluum sit verbum Domini mei, longum est, & multum valde nimis. Veruntamen vtrumque verum, modicum & non modicum, modicum meritis, & non modicum votis. Quod enim ad merita modicum est, ad vota æstuantis animæ non modicum sed longum est: vtpotè quæ omnem aduentantis sponsi celeritatem, moram computet. Porrò amans anima votis fertur, trahitur desideriis, maiestati oculos claudit, aperit voluptati. Hæc ille. Quò autem hic cruciatus maior, eò patientiæ meritum sublimius: magnorum quippè laborum patientia magnam à Domino mercedem expectat.

Bernard. Ioan. 16.

Nunc iam superest, vt quæramus quid agendum sit, cùm hac ratione à nobis Dominus abest, hoc est, cùm nos in hac ariditate spiritus & sterilitate relinquit. Nimirùm non aliud quàm studiosè atque dolenter absentem Dominum quærere, & has amoris atque doloris plenissimas voces effundere, Redde mihi Domine lætitiã salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Hoc enim modo se sponsa in Cãticis gessit, cùm dilectissimum sponsum diligenter quæsitum tandem inuenit. Ait namque, In

Psal. 50. Cant. 3.

lectulo

lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea; quęsiui illum, & non inueni. Surgam & circuibo ciuitatem, & quæram quem diligit anima mea. Quid est in lecto, & per noctes dilectum quærere? Lectulus animæ in quo ea molliter quiescit, diuinarum rerum contemplatio est, in quo placido somno & ineffabilibus deliciis inter amplexus sponsi fruitur. In hoc ergo lectulo quærit fidelis anima sponsum, & quærit per noctes quando mentis oculis ad omnes seculi curas & cogitationes clausis, in quodam interno silentio & spirituali caligine sponsum quærit: qui tamen interdum sic etiam quæsitus minimè inuenitur. Quid igitur? An protinus omninò cessandum est? Nullo modo. Sed ardentissimo studio atque desiderio cum eadem sponsa opportunè quærendus, quæ videlicet statim surrexit, & lustrata omni ciuitate sponsum auidissimè quęsiuit. Cuius studium & ardorem demiratus D. Bernard. Quid hoc, inquit, Bernard. desiderij & ardoris est, vt surgens de nocte fidelis sponsa, publicum non erubescat, percurrat ciuitatem, percontetur palàm, & passim de dilecto atque à vestigandis semitis eius nulla valeat ratione auerti, nulla præpediri difficultate, non tempestiuæ amore quietis, non sponsæ verecundia, non vel timore nocturno? Cedit enim fastus, vbi incalescit affectus. Nescimus quid agit, quia non sentimus quod sentit. Hoc ergo studio atque desiderio pudica sponsa quærere cælestem sponsum debet, clamans cum Propheta. Quæsiui vultum tuum, vultum tuũ Domine requiram, ne auertas faciem tuam à me. Psal. 26. Quid ni requirat? Neque enim subducto sibi tam dulci sponso interim aliquid aliud non dico desiderare, sed nec cogitare quidem sibi licere putat. Restat igitur, vt absentem studiosè requirat, reuocet abeuntem. Ita ergo reuocatur verbum, & reuocatur desiderio animæ, sed eius animæ cui semel indulserit suauitatẽ sui. His ergo piorũ desideriorũ vocibus & clamoribus vocatus Dñs tandẽ adest; qui piis votis atque desideriis nunquam deest. Neque enim à nobis longè abest, nec diu ieiunos manere nos patitur, ne cælesti hoc pane destituti deficiamus in via. Hinc eadem sponsa in Canticis illum stare ait post parietem nostrum, per fenestras & cancellos prospicientẽ: vt intelligamus eum non ita procul abesse, vt transmarinis nauigationibus ad illum quærendum opus sit. Cant. 2. Hinc regius Vates, Propè est (inquit) Dominus omnibus inuocantibus eum; omnibus inuocantibus eum in veritate. Psal. 144.

Quod si cùm ad illum clamas, nõ protinus exaudiris, nec cõsueta eius præsentiæ in te signa deprehẽdis, nihilominus tamen

pete,

pete, quære, pulsa, clama, & diuinas aures piis atque supplicibus querelis imple; non des requiem tibi, nec taceat pupilla oculi tui; & in summa ista ariditate orans perseuera, sciens scriptum esse: Melior est finis orationis, quàm initium. Quod enim orare incipientibus initiò negatur, fideliter perseuerantibus in fine tribuitur. Hoc igitur studio fiet, vt intermissa deuotionis suauitas & salutaris lætitia redeat; qua refecti & confirmati ad illam tandem cœnam venire mereamur, in qua cælesti pane satiabimur, & fonte vitæ ita potabimur, vt numquam amplius, neque esuriamus, neque sitiamus, nec perceptam suauitatem atque iucunditatem vlla vnquam temporum vicissitudine amittamus.

Eccl.7.

DOMINICA TERTIA POST PENTECOSTEN CONCIO PRIMA: IN qua post Euangelicæ lectionis explanationem, qua ratione rationalis ouis pereat, perditaque rursum per veram pœnitentiam inueniatur, disseritur.

THE. *Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat.* Luc. 15.



Agna nobis dilectissimi Dei bonitas & misericordia, magna pœnitentiæ virtus, magnaque peccatoribus verè pœnitentibus spes veniæ, atque consolatio in hodierna sancti Euangelij lectione proponitur. *Erant*, ait Euangelista, *Publicani & peccatores appropinquantes ad Iesum vt audirent eum*; qui etiam non ad audiendum modò, sed ad conuiuandum ab eodem recepti sunt. Qua in re mira Domini humanitas & lenitas, mira benignitas, mira charitas & humilitas elucet, mirumque salutis humanæ desideriũ; quãdo ille qui choris supereminet Angelorũ, peccatorũ mẽsam nõ dedignatur. Quã eius benignitatẽ cùm laudare Scribæ & Pharisæi deberent, canino dente obtrectare cœperunt. Mirum sanè est Pharisæos & Scribas (quorum hi de scripturarum scientia, illi de vitæ religione gloriabantur, eoque nomine populo insigniores erant) Domino præ omnibus aliis obtrectasse magis, & optima quæque eius dicta factaque damnasse.

nasse. Scribæ ergo & Pharisæi de scientia & sanctitate sibi placẽtes, illicitum iudicabant cum Publicanis & peccatoribus versari; & cum illis mensam habere communem; quæ magnũ est familiaritatis indicium. Vt autẽ in hac obmurmuratione Scribarum & Pharisæorum perspicuè apparet superciliosa & præpostera eorum religio; ita rursum hîc obseruandum, quàm meticulosa fuerit & subdola. Dominum enim coram monere miseri non audebant, siue quòd conscij essent propriæ maleuolẽtiæ, siue quòd illius in refellendis calumniis experti essent prudentiam; metuentes ne audirent ab eo quod nollent. Discipulos adeunt rudes adhuc: qui & maleuolentiam minus persentiscerent, & rationem facti quam quærebant, reddere nõ possent. Hos captant venenato susurro, sperantes se eos à præceptore quem sequebantur, abducere posse.

At Dominus, eorum calumniam intelligens, non asperè, sed humaniter ac blãdè pro more suo eorum obtrectationi respondet; quamuis non ignoraret verum esse quod ab Ecclesiastico dictum est: Calumnia conturbat sapiẽtem, & perdet robur cordis eius. Quid igitur ait? *Non est opus valentibus medico, sed malè habentibus.* Quid ergo? An ad solos malè habentes, hoc est, peccatores, non ad iustos venit Christus? Absit. Ad vtrosque sanè venit. Vtrique enim eius ope indigent: iusti quidem vt iustitiã suam tueantur. Et à quotidianis lapsibus (sine quibus hæc vita non transigitur) eripiantur. Verùm ad peccatores præcipuè sanandos venisse dicitur: partim quòd isti magis eius ope indigerent; partim quòd eius virtus in his sanandis maximè elucebat; partim etiam quòd medici gloria in horũ curatione magis cõspicua fit. Vt enim nautæ ars in tempestate, & medici in cõclamata ægritudine magis enitet: ita cælestis medici virtus in desperatis peccatoribus ad sanitatem conuertendis magis elucet. Plus enim miramur Latronem, Publicanum, Paulum, & Magdalenam pœnitentiam agentes, quàm multos ex veteribus patribus, qui iustitiam perpetuò retinentes, simili pœnitentia non eguerũt. Hac enim de causa Apostolus ait: iniquitate nostra Dei iustitiam commendari. Itaque ò peccatores, quos conscientiæ vestræ metus & sollicitudo angit, expergiscimini, quæso, diem festum agite, & leuate capita vestra: quoniã ad vos præcipuè sanandos se missum esse Saluator ait. O quantum fratres solatij, quantum fiduciæ hominibus nõ solùm peccatoribus, sed etiam iustis in his Domini verbis exhibetur: eo præsertim tempore, quo ij ad tremenda altaris mysteria accedunt. Cùm enim viri

Eccli. 7. Matth. 9. Simile. Rom. 3.

etiam iusti ſe peccatores eſſe credant, indigniſſimoſque ſe eſſe putent,qui maieſtatis Dominum intra pectora ſua recipiant,& hac de cauſa non paruo metu concutiantur; vix alia res magis illis animum addere, & ſalutarem hunc metum temperare poterit, quàm ſi has duas Domini ſententias ad mentem reuocauerint: *Non veni vocare iuſtos,ſed peccatores.Et,Non eſt opus valentibus medico,ſed malè habentibus.* Hic enim vir pius conuenire Dominum poterit, Veniſti Domine ad peccatores vocandos, veni ergo nunc ad me peccatorem,intra in me, & reuoca me ad te. Præterea,ſi non eſt opus valentibus medico,ſed malè habentibus,ego quidem malè habeo,tu verò medicus es: in qua ergo re poteris artis & gratiæ tuæ medicinam clementius quàm in me ſanando collocare? Ergo non vt ſanus, non vt integer, ſed vt malè habens, vt infirmus, vt variis animi morbis confectus, ad te venio, vt officio tuo fungaris,& vulneribus meis medicinam adhibeas. His ergo rationibus vir pius cùm ad ſacram illam menſam accedit,trepidantem atque nutantem animum ſuum fulcire, & in ſpem erigere poterit: atque hinc etiam ſalutarem audaciam ſumere, qua tantò frequentius ad hanc menſam accedat,quantò magis & infirmitatem ſuam agnoſcit,& hac ſe medicina plus indigere intelligit.

Matth. 9.

Quid deinde? Quod Phariſæi in crimen vocabant,Dominus inſigne opus miſericordiæ eſſe confirmat. Vndè apud Matthæum legimus: Euntes diſcite quid eſt, Miſericordiam volui, & non ſacrificium. Quibus verbis apud Oſeam Dominus miſericordiæ virtutem tantoperè commendauit, vt eam ſacrificio anteferret. Senſus enim eſt, Miſericordiam volui pluſquàm ſacrificium, quod ex ſequenti oratione colligitur. Et quidem ſacrificium ad Dei gloriam, miſericordia verò ad proximi miſeriam leuandam refertur. Ea tamen Domini benignitas eſt, ea erga genus hominum charitas, ea erga miſeros miſericordia, vt quæ ad eos iuuandos & ſubleuandos ſpectant, ſacrificiis nomini ſuo debitis anteponat. Quis igitur hanc tantam Domini benignitatem non agnoſcat, non miretur, non collaudet? Quis huic tantæ dilectioni vicem rependere non ſtudeat? quis amantem redamare non contendat? quis hoc exemplo ad proximorum dilectionem non accendatur, quos tantoperè ab immenſa illa bonitate diligi videt? Sed ò quantum miſeri ab hoc dilectionis affectu diſtamus, qui vſqueadeò in amorem noſtri incenſi ſumus, vt dum res noſtræ in tuto ſint, quæ aliorum ſunt prorſus negligamus; cùm vera tamen charitas (vt Apoſto-

Matth. 9.

Oſeæ 6.

1.Cor.13.

lus

lus ait) non quæ sua sunt, sed quæ aliorum quærat.

I.

Nec his Dominus argumentis contentus, duo singularia ad hoc ipsum comprobandum exempla subiicit. *Quis enim*, inquit, *ex vobis homo, qui habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis, nónne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam? Et cùm inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens, &c.* Quanta hic Domini benignitas, quanta bonitas, quanta charitas sub hac similitudine latet; quòd videlicet oues in deserto reliquit, quòd perditam ouem tanta diligentia quæsiuit, quòd tantum gaudium de ea reperta percepit, vt non ipse solùm, sed amicos & vicinos huius gaudij participes esse, sibique congratulari voluerit: quódque his maius est; supra humeros suos perditam baiulauerit. Quis non hic illam Apostoli sententiā agnoscat, qui de Domino Saluatore loquens ait, Qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucē, confusione contempta? Quid est autem sustinere crucem, nisi perditam ouem humeris suis portare; dum is peccata nostra in corpore suo tulit super lignum? Quo argumēto intelligere licet, quantò charius salus nostra Christo Domino constiterit quàm nobis. Ille enim morte & sanguine, nos pœnitentiæ lamentis, nobis eam comparamus. Tex. Heb. 12.

Quid verò quod sequitur? *Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis qui non indigent pœnitentia.* Quid hîc prius mirer? quid prius commendem? An flagrantissimam beatarum mentium erga nos charitatem, quæ de vnius homuncionis pœnitentia tantopere gaudent; an pœnitentiæ virtutem & dignitatem, quę vniuersam cælestis exercitus curiam noua lætitia exhilarat? an hominum socordiam & cæcitatem, qui nec hac tanta virtutis huius dignitate & commendatione ad pœnitentiam excitantur; cùm possint salutari tristitia sua, Angelorum choros eximia afficere lætitia? Dum enim hîc ex animo lugent commissa, diem festum Angeli agunt in cælesti curia. Hinc Bernard. lachrymas pœnitentium, vinum esse perhibet Angelorū. Hinc etiam D. August. Quoties, inquit, bene agimus, gaudent Angeli & tristantur dæmones: quoties verò à bono deuiamus, diabolum lætificamus, & Angelos nostros suo gaudio defraudamus. Gaudium est enim eis super vno peccatore pœnitentiam agente; diabolo verò super vno iusto pœnitentiā deserente. Cęterùm quæret aliquis, qua ratione verū sit, maius esse gaudium Bernard. August.

de vno peccatore pœnitentiam agente, quàm de nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia; cùm de maiori bono maius esse gaudium debeat; maius verò bonum sit, nonaginta nouem animarum, quàm vnius animæ salus. Cui quęstioni respōdemus, hîc non de essentiali, sed de accidentali & sensibili gaudio (vt ita loquamur) mentionem fieri, quemadmodum pater aliquis hoc genere gaudij magis lætatur de vnius filij restituta valetudine, quàm de multorum filiorum perpetua sanitate; quamuis omnes filios ex æquo diligat, aut sanos etiam magis diligat. Cogitandum enim est Dominū multis in rebus vsitato more locutum, deq́ue diuinis & spiritualibus rebus tanquam de
Cyprian. humanis disseruisse. Hinc D. Cyprian. libro De duplici martyrio, sic ait: Non hoc sic accipiendum est, quasi Deo & Angelis gratius sit, post lapsum redire ad pietatem, quàm citra lapsum perseuerare in innocentia. Sed scriptura suo more loquitur secundum affectus humanos; illud testatum esse volens, Deo gratissimam esse peccatorum confessionem, atq. interdum piorum hominum lapsus, quamuis enormes, diuina dispensatione vertuntur in summum Ecclesiæ profectum. Sic lapsus est Apostolorum princeps, sic Paulus doctor gentiū, sic Maria Magdalena; quibus nunc Ecclesia pręcipuè gloriatur: quorum lapsus cesserunt in stabilimentum atque solatium domus Dei. Hæc ille.
Gregor. in homil. D. verò Gregor. aliter hunc locum longa oratione explanat. Sic enim ait: Plus de conuersis peccatoribus, quàm de stantibus iustis in cælo gaudium esse Dominus fatetur; quia plerumque ij, qui nullis se oppressos peccatorum molibus sciunt, stant quidem in via iustitiæ, nulla illicita perpetrant, sed tamen ad cælestem patriam non anhelant; tantoq́ue sibi in rebus licitis vsum præbent, quantò se perpetrasse nulla illicita meminerunt. Et plerumque pigri remanent ad exercenda bona præcipua; quia valdè sibi securi sunt quòd nulla commiserint mala grauiora. At contrà nonnunquam ij, qui se aliqua illicita egisse meminerūt, ex ipso suo dolore compuncti, inardescunt in amorem Dei; se seq́ue in magnis virtutibus exercent, cuncta difficilia sancti certaminis appetunt, omnia mundi derelinquunt, honores fugiūt, acceptis contumeliis lætantur, flagrant desiderio, ad cælestem patriam anhelant; & quia se errasse à Deo considerant, damna præcedentia lucris sequentibus pensant. Maius ergo de pecca-
Simile. tore conuerso, quàm de stante iusto gaudium fit in cælo: quia & dux in prælio, plus eum militem diligit, qui post fugam reuersus, hostem fortiter premit, quàm illum, qui nunquam terga
præ-

præbuit, & nunquam aliquid fortiter gessit. Sic agricola illam amplius terrã amat, quę post spinas, vberes fruges profert, quàm ea quæ nunquam spinas habuit, & numquam fertilem messem produxit. Hæc ille. Simile.

Iam verò similitudo de dragma perdita, ad idem propositum referenda est. Dragmæ enim appellatione, quæ regum nomine insigniri solet, rationalis anima ad Dei similitudinem condita non incongruè designatur. Hanc porrò animam diaboli inuidia perditam, mulier, hoc est, diuina sapientia, euersa domo diligẽtissimę quæsiuit. Quid enim aliud Christus Dominus à primo natalis sui die ad extremum vsque spiritum fecit, quàm hãc dragmam perditam per omnes vias quærere? Quò enim eius doctrina, quò tot virtutum exempla, quò tot itinera pedibus confecta à Iudæa in Galilæam, & à Galilęa in Iudæã, quò postremò tot vincula, verbera, sputa, colaphi, alapæ, & opprobria tẽdebant, nisi vt hanc perditam dragmam inueniret? His enim laboribus, & meritis eam à diaboli potestate redemit.

Verùm hoc in loco fidelis anima monenda est, vt non cõtenta hac diuinæ sapientiæ diligentia, (qua nihil intentatum reliquit; vt dragmam inueniret) ipsa quoque diuinæ sapientiæ cooperetur; mentisque suæ domum euertat, vt se perditam inueniat. Euertat igitur primùm, diligenterque consideret, à quo condita, & in quem finem condita, ac destinata à conditore suo sit. Sic enim fine & veluti portu constituto, intelliget, quã viam tenere debeat; à qua deflectere, est frustrà à Deo conditum esse, frustrà & incassum viuere. Sic enim seculi homines conditionis & finis sui obliti, frustrà viuunt; atque vtinam tantùm frustrà, nec se præcipites in baratrum nunquàm inde extrahendi, miserrimè deturbarent. Euertat deinde domum hanc, & beneficia omnia, quæ de Domini benignitate percepit, sibi ante oculos ponat; vt videat quantum liberalissimo benefactori debeat, qui immeritam se atque indignã tot beneficiis cumulauerit. Euertat postremò, & omnia interni hominis latibula, hoc est, omnia anteactæ vitæ scelera perscrutetur; sanctique regis illius exemplo, recogitet omnes annos suos in amaritudine animę suę. Esaiæ 38. Hoc enim studio non dubium, quin perditam dragmam, hoc est, seipsam per veram pœnitentiam inueniat. Alij tamen, pro eo quod est, euertit, verrendi verbum posuerunt. Hoc enim facere solent, qui perditam domi pecuniam quærunt; vt simul cum ruderibus pecuniam inueniant. Et quidem hæc versio adeò his quæ diximus non repugnat, vt magnoperè etiam quadret. Si

quis enim peccando animam suam perdidit, nulla ratione commodius, quàm mentis suæ domum verrēdo inueniet: si tamen eo modo verrat, quo sanctus ille Propheta, qui de seipso ait; Meditatus sum nocte cum corde meo; & exercitabar, & scopebam, siue verrebam, spiritum meum. O si vel hoc vnum consilium ex tota hac concione referre velletis fratres, vt si quando (quæ est humana fragilitas) in peccatum lapsi fueritis, protinus ad pœnitentiæ verriculum confugiatis, vt contractas per peccatum sordes, hoc salutari verriculo expurgetis. Scitis enim verum esse quod D. Gregor. ait, peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pōdere ad aliud trahere. Et Ecclesiasticus: Peccator, inquit, adiiciet ad peccandum. Quo modo enim amissa gratia infirmus homo (& velut alter Samson capillorum fortitudine destitutus) oppugnantibus Philistæis, hoc est, tentantibus dæmonibus, resistere poterit? Hinc diuus Bernard. Time, inquit, amissa gratia, quoniam reliquit te custodia tua. His igitur exemplis & argumentis causam suam Dominus aduersus Pharisæorum calumniam tuetur: quibus ostendit nequaquam vituperandum, sed magnoperè laudandum esse, quòd cum peccatoribus versaretur, vt eos ad sanitatem adduceret, quod insignis misericordiæ opus erat.

Psal.76. Gregor. Eccli.3. Bernard.

Nemo tamen hinc occasionem arripiat, cum peccatoribus versandi. Alia enim perfectorum, alia imperfectorum; ac postremò alia magistrorum, alia discipulorum conditio atque professio est. Magistri quippè velut spirituales medici, inter ægrotos versari debent; vt eos exemplo vitæ, & magisterio doctrinæ ad sanitatem perducant. At discipuli, qui nondum altas in virtute radices iecerunt, cautè admodum inter huiusmodi ægrotos versari debent. Scriptum est enim: Qui tangit picem inquinabitur ab ea: Et qui communicat superbo induet superbiam. Cōtrà verò: Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit; amicus stultorum, similis efficietur. Vnde Apostolus, Si is, inquit, qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cū eiusmodi nec cibū sumere. Hac autē de causa, idem Apostolus Corinthium incestus vitio contaminatum, à fidelium consortio eiici præcipiens; Nescitis, inquit, quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Hoc autem fermenti verbo, appositissimè perditorum hominum ingenium, & nocendi vim significauit. Facilius enim improbus homo virum bonum corrumpet, quàm ipse à bono viro ad meliorem mētem perducatur. Est enim mali

Eccli.13. Pro.13. 1.Cor.5. Galat.5.

natura

natura ad nocendum potentissima; propterea quòd humana natura post communis peccati lapsum vehementer ad malũ prona sit; leuique flatu in id impellatur, ad quod ipsa sponte sua propensa est. Hinc virtus difficilis, studio & labore indiget, vitia sine præceptore discuntur. Vt enim terra sponte sua sine vllo cultu tribulos & spinas germinat; vberes autem messes, frugiferasque arbores sine diligenti cultu & labore non profert: sic terra mẽtis nostrę sine doctore & arte vitiorum spinas, virtutis autem fructus sine studio atque labore minimè referet. Hactenus de Euangelica lectione: nunc de oue perdita, & inuenta disseramus. Simile.

TRACTATIO THEMATIS vel alia Concio, II.

Huius ouis perditæ & inuentæ occasione, fratres, quemadmodum rationalis ouis, hoc est, anima nostra per lethale peccatum pereat, perditaque rursum se per pœnitentiam inueniat, in reliqua huius concionis parte explicare tentabo. Quæ quidẽ res cautiores nos ad hoc tantum periculum vitandum efficiet: Et viam monstrabit, qua si aliquando (quæ est humana fragilitas) in hoc tantum malum inciderimus, ab eo emergere valeamus. Quia verò lapsæ & perditæ animæ miseriam, nisi prius stantes & integræ felicitatem intelligamus, agnoscere non valebimus, de hâc primùm felicitate paucis disseramus. Partitio.

Inter innumera igitur stãtis & intęgrę animę priuilegia, quę ne multis quidẽ voluminibus comprehendi poterunt, hoc vnũ præcipuè cõmemorabo, quod aliorum caput & fundamentum esse videtur. Nempè omnipotẽtem Deum in tali anima sedem sibi atq. domicilium eligere, illamq. plusquàm paterna cura & prouidentia ad omnia vitæ officia dirigere, vt sic tandem in cælestis hæreditatis possessione cõstituat. Quamuis enim is vbiq. locorum sit (vt qui diuinitatis suæ magnitudine cælũ & terram impleat) verùm quemadmodũ cęlum illi sedes esse dicitur, quia cælestia ibi atq. diuina opera in beatis illis mẽtibus operatur; ita etiam in anima iusti singulari quadam ratione habitare dicitur, quia in ea singularia quædã sanctitatis & iustitiæ opera molitur. Quæ autẽ sint illa opera; quis quæso, enumerare queat, nisi omnia Scripturarum & Psalmorum carmina vnum in locum conducat? Singulis enim penè versibus singularia atque diuina munera piis in hac etiam vita proposita continentur. Sed, vt reliqua omittam, ad vnum Ecclesiastici locum animum aduer-

tite; in quo is paternæ huius curæ atque prouidentiæ officia e-
Eccli. 34. numerans, sic ait; Oculi Domini super timentes eum: protector potentię, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, vmbraculum meridiani, deprecatio offensionis, adiutorium casus, exaltans animam, & illuminans oculos: dans sanitatem, & vitam, & benedictionem. Singula hæc munera excutiamus fratres, inueniemusque iis omnibus miras diuinæ benignitatis opes & officia contineri. Hunc autem Ecclesiast. locũ alij hoc modo verterunt; Amatores suos respicit Dominus potens præsidium, firmamentumque validum, tegumẽtum ab æstu, vmbraculum à meridie, ab offensione tuitio, & à casu auxilium, animam euehit, oculos illuminat, medicinam & vitam affert, ac prosperitatẽ. Hoc est, Oculi Domini sunt semper in se metuentes intenti: nimirùm quia illi vicissim semper ipsum intuentur. Quod etiam regius
Psal. 33. Vates confirmat cùm ait, Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum. subdit deinde eius in illos beneficia: in quibus quinque paria ad idem pertinentia coniunguntur; quibus significatur omnia eorum mala à Domino depelli, & bona cuncta tribui. Primum autem est protector potentiæ, & firmamentum virtutis: hoc est, is est eorum protector potens, & forte firmamentum. Est enim protector, quia instar clypei defendit à malo: & firmamentum, quia ei tutò inniti licet; per quem ad fortia designanda pius homo firmatur & roboratur. Est etiam tegimen ardoris, & vmbraculum meridiani: quo significatur Deum suos instar tegumenti, & vmbraculi protegere ab huius vitę malis, & ab æstu carnalium cupiditatum; à quo omnia, tum
1. Tim. 6. corporis, tum animæ mala oriuntur. Radix enim malorum cupiditas. Qua de re sic regius Vates, Scapulis (inquit) suis obum-
Psal. 90. Esaiæ 4. brabit tibi, & sub pennis eius sperabis. Quod etiam per Esaiam Dominus pollicetur cùm ait, Et tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatẽ, & absconsionem à turbine, & à pluuia. Idem est etiam custodia ab offensione, & auxilium à casu: quo significatur Deum suos custodire, & adiuuare; ne fortè offendant ad lapidem pedem suum. Quod beneficium per-
Psal. 117. cepisse se sanctus ille rex aiebat, cùm diceret, Impulsus euersus sum, vt caderem, & Dominus suscepit me. Quo in loco deprecationis nomen, non pro precatione, sed pro alicuius mali depulsione accipitur. Sequuntur deinde bona, quibus Dominus timentium se mentes afficit cùm subdit, exaltans animam, & il-
Eccli. 34. luminans oculos. Exaltat autem eo modo, quo ipse per Esaiam
Esaiæ 58. pollicitus est cùm ait; Sustollam te super altitudines terræ, vt videlicet

delicet tanquam ex alto terrena cuncta contemnas, pedibusque tuis substrata videas. Illuminat autem oculos, cùm lucem nobis præfert: qua non humano sensu, sed diuino cuncta æstimemus & metiamur; & quid sequendum, quid fugiendum sit intelligamus. Idemque postremò dat sanitatem, vitam & benedictionem. Quibus verbis bona omnia, siue quæ ad spiritum, siue quę ad corpus pertinent, designãtur. Quæ omnia timentes Dominum ab ipso plenissimè recipiunt, vtpotè quibus omnia cooperantur in bonum. O igitur felices, nimiumque felices, qui talem vitæ suæ tutorem, custodem, atque rectorem nacti sunt! His ergo diuitiis pietas & iustitia à Domino cumulãtur. Nunc quid peccatum & iniustitia pariant expendamus.

Quisquis igitur se lethali crimine contaminat, cælestem hũc hospitem à se protinus fugat, teterrimumque hospitem septem spiritibus, quasi satellitibus stipatum intra se admittit: à quo miserandum in modum agitatur, & in tetra atque horrenda facinora furenter incitatur. Exemplo nobis esse poterit infelicissimus Saul rex, qui vbi in capitale inobedientiæ crimen incidit, à Deo protinus derelictus, dæmoniq. traditus fuit: à quo sic exagitatus, & ambitionis atque inuidiæ facibus inflammatus fuit, vt furore, & amentia percitus octoginta quinque sacerdotes Domini sacris vestibus indutos, nihilque commeritos ante oculos suos immanissimè trucidari pręceperit. Neq. hac ferali & sacrilega immanitate contentus, Nobe quoque sacerdotum ciuitatem ferro, & igne crudelissimè vastauit; senẽ & iuuenem, puerum atque lactentem, ouesque & boues, camelos & asinos deleuit: vt iam videas quò tandem perueniat animus diuina luce atque præsentia orbatus, dæmonisque potestati permissus. Quis enim hoc tam immane & inauditum facinus vel concipere animo potuisset, nisi qui à Deo derelictus dæmonum furiis traditus fuisset? 1. Reg. 15.

II.

Subiiciam aliud huius rei exemplum, specie quidem leuius, re vera tamen (si delinquentis personam attendas) non minus mirabile. Quis enim Dauide suo tempore aut sanctitate & innocentia, aut Prophetiæ spiritu, aut cælestibus donis præstantior? At is, vbi se adulterio maculasset, & hoc scelere à se Dominum abalienasset, in eam mentis cæcitatem incidit, vt non contentus ciuis optimi vxorem nefariè polluisse, ipsum etiam dolis & fraudibus è medio tollendum curauerit. In quo scelere non ad horam vel momentum, sed tandiu obcæcatus perstitit, 2. Reg. 11. & 12.

donec infans ex adulterio susceptus, natus est. Post cuius ortum Natham Propheta & infantis interitum, & sceleris immanitatem illi declarauit. Hoc igitur tantum scelus commisit Dauid; ille inquam Dauid, qui tam multis diuinæ gratiæ opibus insignitus erat; ille inquam Dauid, qui media nocte surgebat ad cõfitendum Domino; cuius oculi aurorã præueniebant, vt eloquia eius meditaretur; qui denique Spiritu sancto actus in singulis penè multorum Psalmorum versibus innocentiã, puritatẽ, simplicitatẽ & sanctitatem suã confitetur; & magnificẽtissima Dei munera sibi collata prædicat. Hic igitur talis atq. tantus vir, cùm alienã vxorẽ summa cum totius regni offensione turpi adulterio fœdasset, nec potuisset miserum Vriam ad se è castris accersitum callidè circũuenire; tandem datis ad militiæ principẽ literis ipsum è medio tollendum curauit. Si mihi, fratres, contigisset, cùm hæc Dauid animo agitaret, cùm has literas scriberet, vt eius lateri assiderem; rei nouitate stupefactus illũ percontarer: Quid quæso agis Dauid? quid moliris? quid scribis? Tu ne es ille Dauid Prophetarũ eximius, cuius ore toties diuinus Spiritus locutus est? cui incerta & occulta sapientiæ suæ manifestauit? cui

Psal. 50.

Dñs regnũ sempiternũ promisit? ex cuius sobole mundi Saluatorẽ nasciturum pollicitus est? quẽ ab humili pastoris officio arreptũ in sede regni amplissimi collocauit? Tu ne es ille, qui verè olim dicere potuisti, In via testimoniorũ tuorũ delectatus sum, sicut in omnibus diuitiis? &, Lauabo inter innocentes manus meas, & circundabo altare tuũ Dñe? Quomodo ergo qui adeò puras & innocẽtes manus semper habuisti, qui ita viros sanguinarios detestatus es, vt ne atrocissimũ quidẽ hostẽ Saulẽ (cuius non semel opprimẽdi facultas tibi fuit) vel contingere auderes, modò manus istas innocentis hominis sanguine cruẽtare paras? Quid quæso agis? quid designas? quid sacrilego isto calamo exaras? Quonã modo & pristinæ vitæ tuæ, diuinorumq. beneficiorũ, atq. tui deniq. ipsius oblitus, tantum nefas animo concepisti? Intelligite quæso fratres, vel hoc vno argumento qualis sit illius animæ status, quam diuinus spiritus & cælestis gratia dereliquit. Vt enim ardenti lãpade in obscuro loco accensa, omnia quæ ibidẽ latent conspicua fiũt; extincta verò, corpora etiã ingẽtia minimè videtur: ita quãdiu diuinæ gratiæ lux animę nostræ prælucet, minutissima etiã delicta, & cernimus & dolemus: at, vbi hæc lux per lethale peccatũ extincta est, grauissima etiã & execranda scelera nec videmus, nec alicuius momenti esse putamus: adeoq. totus ipse homo omnibus in rebus permuta-

Luc. 1. Psal. 131. Psal. 118. Psal. 25. Simile.

tur,

tur, vt vix credas eundem esse. Nec verò idem omnino esse dicendus est. Anteà enim Dei filius, modò diaboli mancipiũ: anteà diuini spiritus domicilium, modò verò dæmonis habitaculũ effectus est: anteà diuinã effigiem, modò verò diaboli imaginem refert. Quod in Dauide apertissimè videre licet, qui vel leuissima delicta ante hunc animæ lapsum diligentissimè vitare curabat: nunc verò bibit quasi aquam iniquitatem. Quã quidem ruinam magno generis humani beneficio Dominus permisit, vt esset hominibus testatum in quas foueas mens humana, diuina gratia per lethale peccatum orbata præcipitetur.

Hæc igitur tanta malorũ vis ex pestilenti radice peccati deriuatur: quod quamuis fidem & spem nõ adimat, cæteris tamen donis cælestibus, & diuina gratia priuat: qua sublata, præceps homo in quæuis flagitia cæco impetu rapitur. Est item velut spirituale quoddam frænum, quod cupiditatum nostrarum libidines & ferinos motus cohibet; quo amisso, soluta vinculis cupiditas rabido impetu in quæuis flagitia concitatur. His exemplis fratres, errabundæ ouis periculum animaduertere potuistis: quæ vbi à Dominico grege, & pastoris sui præsentia (quæ illam ductu suo & pastorali prouidentia regebat) abscessit: & in luporum, hoc est, in teterrimorum Dæmonum prædam cessit, in hęc tanta mala quæ audistis præcipitatur.

III.

Nemo tamẽ, quamlibet perditus sit, quamdiu in vita manet, de salute sua, Dominiq. misericordia desperare debet. Venit enim filius hominis (vt ipse ait) quærere, & saluum facere, quod perierat. Venit pius pastor relictis nonagintanouem ouibus in deserto, vt errabundam ouem ad cælestis vitæ caulas reuocaret. Hoc enim significauit ipse cùm dixit, Non enim veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Quo vno verbo recuperandæ salutis viam perditis ouibus ostendit: quæ non alia quàm hæc ipsa pœnitentia est: (de qua toties in sacra huius diei lectione meminit) quæ si non ficta, sed vera sit, homini pristinã Dei amicitiam & gratiam restituit. Quod eiusdem Dauidis exemplo discimus; qui hac salutari pœnitẽtia, & admissum scelus expiauit, & infensum sibi Dominum placauit; ac tãdem quẽ turpiter peccando perdiderat, humiliter posteà lugendo reperit.

Luc. 19. Matth. 9.

Sed illud hoc in loco diligentissimè curandũ est, ne sera valdè pœnitentia sit; ne fortè vulnera ita menti hæreant, vt penè insanabilia reddantur. Rectè enim Ecclesiasticus, Languor, inquit, prolixus grauat medicum, ac breuem languorem præscindit me-

Eccli. 10.

Dissimil. medicus. Constat enim multum inter se, morbos animæ, corporisque distare. Hi namque quò diuturniores, eò & molestiores sunt: at illi contrà ipsa diuturnitate iucundiores fiunt. Voluptatis enim diuturna consuetudo in naturam propè versa, eò est ad superandum difficilior, quò ad fruendum iucundior. Quis enim facilè in naturam versa relinquet? Hinc fit, vt qui hoc modo assueti sunt, difficillimè ad sanitatem perducantur. Hinc illa Seneca in Trag. Poëtæ vox, Quisquis initio obstitit, pepulitque amorem, tutus ac victor fuit. Qui blandiendo dulce nutriuit malum, serò recusat ferre quod subiit iugum. Eos autem qui sic vitiis assueti sunt, Aristoteles insanabiles appellat. Cùm enim duo peccātium genera statuat, vnum eorum, qui cupiditatum vehementia victi, flagitio succumbunt; alterum eorum qui consuetudinis violentia ducti, in eisdem sordibus volutantur: illos ἀκρατεῖς Græca voce, hoc est, incontinentes, hos verò ἀκολάστους, hoc est, insanabiles appellat: quòd videlicet non facilè corrigi & emendari disciplina possint; quippe qui diuturnitate peccandi pudorem penitus amiserunt: sceleris enim cõsuetudine animum habent efferatum, & ad omnia penè facinora propensum.

Quare ne in hoc tantum præcipitium prolabamur, omnis celeritas adhibenda est; vt ab hoc tanto incendio resiliamus. Hoc autem nobis ad viuum exprimit festinatio illa, quam Dominus in liberatione ab Aegyptiaca seruitute quotannis celebrāda voluit adhiberi. Exod. 12. Nam & calceos induere, & lumbos præcingere, & baculos manibus tenere, & festinanter agnum edere, facilè declarant, nihil in hac re cunctandum, nihil de die in diem differendum; sed omnem celeritatem adhibendam, vt Aegypti, hoc est, peccati fines relinquamus, & hostis immanissimi nos pertinaciter insequentis sæuitiam fugiamus. Quid verò illud, quòd carnes agni eadem die comedendas præcepit, nihilque in posterum diem reseruandum; nisi quòd omnem procrastinandi moram à nobis penitus auertere voluit, illudque diuini spiritus cõsilium hoc symbolo mētibus nostris infigere: Eccli. 5. Ne tardes conuerti ad Dominum, nec differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te?

Laudat meritò D. Chrysostomus celerem Niniuitarum pœnitentiam; qui cùm quadraginta dierum inducias ad eam accepissent, nihil in alterum diem distulerunt; sed vbi primùm minantis Prophetæ vocem audierunt, Ionæ 3. protinus ieiunium, saccum, & cinerem arripuerunt; vt cilicio & cinere impetrarent, quod purpura & auro perdiderant. Hanc ergo nos, fratres, celeritatem

imite-

imitemur; quo amissam vitio nostro Domini præsentiam, diuinamque amicitiam recuperare possimus. Amissus enim capitali crimine Christus, nisi per veram pœnitentiam inueniri non potest. Cuius tanta dignitas est, vt idem ipse Dominus in hac sacra lectione ad hoc se venisse dicat, vt peccatores vocaret ad pœnitentiam. Vt enim nemo aduentus atque redemptionis eius beneficio fretus, ocij atque negligentiæ occasionem arriperet, in hoc se venisse ait, vt nos ad pœnitentiam vocaret. Non enim vt in peccato permaneremus aduenit; sed vt per eam cõmutati meliora eligeremus. Pœnitentia enim vulnerũ medicina, morborum remedium, ianua vitæ, clauis paradisi, peccatorũ venia, secundaque post naufragium tabula est; quæ nos ad cælestis regni portum, in quo vera salus, sempiterna quies, æterna beatitudo regnat, felici cursu perducit.

IN EADEM DOMINICA III. POST PENTECOSTEN CONCIO II. in qua post Euangelicæ lectionis explanationem, occasione murmurationis Pharisæorum de oblocutionis & detractionis vitio agitur.

THE. *Erant appropinquantes ad Iesum Publicani & peccatores vt audirent illum: & murmurabant Scribæ & Pharisæi dicentes, quia hic peccatores recipit & manducat cum illis.* Lucæ 15.



NTER eximias virtutum laudes, quas sacræ literæ de Domino saluatore prædicant, eloquentia quoque eius numeratur: non illa quidem fucata, & variis pigmentis expolita, sed diuina quadam vi ad animos permouendos & illuminandos accommodata. Quam eius eloquentiam regius Propheta miratur cùm ait, Speciosus forma præ filiis hominũ, diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum. Cuius rei testes non Mariam Magdalenam citabo, quæ ab ore Domini loquentis ita pendebat, vt sui atque omnium rerum oblita, immobilis ad eius pedes permaneret. Nec Apostolum Petrum inducam, qui non minori affectu cùm discipulis Dominus libe-

Psal. 44.

Lucæ 10.

ram

ram à ſe recedendi facultatem conceſſiſſet, vnus pro omnibus reſpondit; Quò ibimus Domine? verba vitæ æternæ habes. Sed ipſos etiam Domini hoſtes citabo: qui cùm ad illum ex ſacrilego ſacerdotum pręcepto capiendum veniſſent, illumque ad populum concionantem offendiſſent, vſqueadeò illius doctrinæ dulcedine illecti, & ſtupefacti ſunt, vt ad dominos ſuos re infecta redeuntes, & ab eis rogati cur non illum vinctum adduxiſſent reſponderint; Nunquam ſic locutus eſt homo vt hic loquitur. In hodierna quoque ſancti Euangelij lectione S. Lucas ſimile huius rei teſtimonium inducit cùm ait, *Erant appropinquantes ad Ieſum Publicani & peccatores, vt audirent illum.* Illud igitur genus hominum, quorum mens tota auiditate lucris quauis arte quæſitis inhiabat, illud item quod nulla ſalutis animæ ſuæ ratione habita, iniuſtitiæ & libidini ſeruiebat, in doctrina Domini audienda intentiſſimum erat, illique vſque ad familiaris conuictus & menſæ communionem adhærebat. Orpheum iactant fabularum ſcriptores cantus & citharæ ſuæ dulcedine & implacabiles tigrides demulſiſſe, & quercus etiam egiſſe. Qua quidẽ hyperbole eruditi viri non tam muſices, quàm eloquẽtię vim & potentiam (quæ ferrea quoque pectora interdum mollit) indicare voluerunt: veriſſimè enim ab Eccleſiaſtico dictum eſt; Tibia & cithara ſuauem faciunt melodiam, & ſuper vtraque lingua ſuauis. Hæc ergo ſuauiſſima Domini lingua, ex qua mel & lac Sponſa in Cantico ſe percepiſſe ait, Et tigrides & quercus, hoc eſt, & Publicanorum & peccatorũ corda ita illexit atque molliuit, vt poſt ſe traheret, & in doctrinæ ſuæ admiratione ſuſpenſos teneret.

Ioan. 7. Eccli. 40.

Quorũ exemplum Phariſæi, qui religionis nomine inſignes habebantur, adeò ſecuti non ſunt, vt etiam ſanctum illud opus in crimen vocantes, hoc Domino Saluatori probrum obiicerẽt: *Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Eſt quidem hoc improbitati familiare, vt quæ bona opera imitari propter improbitatem dedignatur, improbet & accuſet. Quod in his quotidie videre licet, qui cùm ipſi à frequenti ſacramentorum vſu propter inertiam & ſocordiam ſuam abſtineant, illorum pietatem, & religionem, qui ea frequentiùs ſumunt, maledictis conſcindere non verentur. Qua in re illud etiam diligenter animaduertendum eſt, quantum ſuperbiæ virus homini noceat, & quàm magnum homini ad ſalutem impedimentum præſtet. Phariſæi omnes quidem tales erant ferè, qualis vnus ille, quem Dominus deſcripſit (vt ab vno diſceremus omnes) qui iuſtitiam

Luc. 15.

ſuam ante Dominum iactans in hunc modum orabat: Deus gratias ago tibi quia non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, adulteri, iniuſti, velut etiã hic Publicanus: ieiuno bis in ſabbatho, &c. Publicani enim & peccatores horum nihil dicere poterant, non tamen ſuperbia illa Phariſaica tumebant. Et tamen videmus plus illis hoc ſuperbiæ vitium quàm iſtis omnia ſua vitia nocuiſſe. Quæ res vel ex eo patet, quòd iſti quidem Domino adhærebant, illiusque doctrinam intentis animis audiebant, quò illis aditus ad veram iuſtitiam patefiebat, quod Phariſęi tumore ſuo excæcati adeò non faciebant, vt etiam facientibus inſultarent, & inſignem Domino pietatẽ & charitatem improbarent; quod quidem ſceleratæ & obcæcatæ mentis non leue argumentum erat. Qua ex re illud colligimus fratres, longius quodammodo à ſalute ſuperbum hominem diſtare, quibuſcunque aliis operibus cumulatus fuerit, quàm cæteris vitiis inquinatum, ſi minus ſuperbia tumeat. Quam rem non hoc exemplo ſolùm, ſed illa quoque Dom[ini] voce confirmare licet, qua eiſdem Phariſæis dixit; Amen di[co v]obis, quia Publicani & meretrices præcedent vos in regno [D]ei. Qua ſententia quid quęſo dici formidabilius, & ad ſuperbiæ deteſtationem horribilius potuit? Quid enim abiectius inter homines quàm meretricia vita? Scriptum eſt enim, Omnis mulier fornicaria, quaſi ſtercus in via ab omnibus prætereuntibus conculcatur. Et tamen hac meretricia turpitudine Phariſæorum vita periculoſior erat, quanuis à multis perditorum hominum ſceleribus immunis eſſe videretur: quia teterrimo ſuperbiæ vitio inquinata erat. Videte ergo quantum vobis fratres, ab hac occultiſſima peſte cauere debeatis; pro qua depellenda orare aſſiduè Dominum cum Propheta debetis, Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo. Pro quo D. Hieronym. vertit, A ſuperbis quoque libera ſeruum tuum. Si non fuerint dominati mei, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo. Maximum appellat ſuperbiæ delictum, quòd omnis peccati caput ſit, ideoque nil mirum ſi tantam homini perniciem afferat.

Luc. 18. Matt. 21. Eccli. 9. Pſal. 18. Hieron.

Cęterùm hanc Phariſęorum calumniam Dominus adeò à ſe non depulit, vt etiam propoſitis exemplis opus ſuum commendauerit. Qua quidem re magnam peccatoribus cunctis ſperandæ veniæ materiam præbuit, magnosque ad pœnitentiã huius miſericordiæ ſuæ oſtenſione ſtimulos nobis addidit. Quę enim vox, quæ oratio, quod præconium peccatorum auribus inſonare

insonare dulcius potuit, quàm hæc de diuina benignitate prædicatio: *Hic peccatores recipit, & manducat cum illis?* Quid quòd non solùm recipit veniētes, sed vocat etiam recusantes cùm ait; Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis; onere videlicet peccatorum (quod talento plumbi grauius est) & ego reficiam vos! Sit ergo benedictum nomen tuum Domine, & prædicetur inter gentes hæc aduersum te iactata calumnia: *Hic peccatores recipit & manducat cum illis.* eos videlicet non modò in gratiam recipiens, sed spiritualibus etiam deliciis pascens. Sed exempla videamus quibus causam suam Dominus tuetur.

Luc. 15.

Matt. 11.

I.

Quis ex vobis, inquit, *homo qui habeat centū oues, & si perdiderit vnam ex illis, nónne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat? &c.* Hoc planè officiū summus ille pastorum princeps cumulatissimè præstitit: qui ex sublimi illa regia (in qua inter Angelorum ordines versabatur) in huius seculi desertum veniens, terras lustrauit, & per vicos & castella gradiens, errabundas oues diligentissimè quærebat, vt eas ad cælestis patriæ caulas reuocaret. Idem etiam inuentam ouem humeris suis clementer imposuit, vt ipsa tandem ad quietis & securitatis locum alieno labore perueniret. Hinc Esaias, Sicut pastor, inquit, gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit. Hac autem prouidentia & charitate quid blandius? quid clementius? Solent serui emptitij laboribus suis dominorum quietem, & ocium sustentare: dum operarum suarum mercedem, quam diurnis laboribus acquisierunt, illis impendunt. Seruitutis enim iure laborem sibi solum vendicant, laboris autem & operis fructū dominis assignant. Quid igitur clemētius, quid mirabilius, quàm ad hanc seruorum sortem & imaginem Angelorū & hominum regem descendisse? Quid enim aliud fecit, cùm pro nobis crucis supplicium pertulit? Excepta enim corporis & nominis sui gloria, quem sibi ex ea re fructūm, quod lucrum, quam nouam siue gratiam, siue gloriam quam anteà non haberet, hoc sibi supplicio comparauit? Mihi igitur laborauit, mihi fleuit, mihi acerbissimos illos dolores pertulit, mihi sanguinem fudit, pro me summum illud mortis suæ sacrificium Deo patri obtulit, vt ego eius morte viuerem, eius sanguine redimerer, eius lachrymis peccata mea diluerem, eius deniq. laboribus æternam requiem inuenirem. Laborem ergo piissimus salutis meæ minister sibi desumpsit, laborū verò fructus amplissimos mihi cōtulit. Hoc

Esaiæ 40.

igitur

igitur est illum fieri ministrum salutis meæ, hoc boni pastoris officio fungi, qui errantem super humeros ouem baiulat, cùm ipse sibi & itineris & oneris ferendi laborē assumat. Hoc autem fecit cùm innocentissimus Dominus peccata nostra portauit in corpore suo super lignum, vt nos peccatis mortui iustitiæ viueremus. 1. Pet. 2.

Et quamuis tanti illi salus nostra constiterit, magis de salute nostra lætus, quàm de pretio & morte sua sollicitus, beatas illas mentes ob inuentam ouem ad commune gaudium & lætitiam inuitat dicens; *Cōgratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat.* En aliud flagrantissimum charitatis argumentum; sibi petit, non inuentæ oui congratulari, quasi ipse perditus fuisset, & inuentus; cùm tamen oui beneficium præstitum esset, quæ à ferarum dentibus erepta fuit, cui magis gratulandum esse videbatur. Itaque pius & amantissimus pastor, quemadmodū ouium suarum damna, sua magis quàm illarum computat; ita earundem lucra, sua magis quàm illarū ducit; ideoq. sibi magis quàm illis gratulari petit. Qua ex re apertè liquet, magis nos ab illo diligi quàm à nobis ipsis diligamur, quandoquidem magis ille & lucris & damnis nostris, quàm nos ipsi commouetur.

Neque ille solùm gaudet; *Sed gaudent etiam Angeli in cælo super vno peccatore pœnitentiā agēte magis quàm super nonaginta nouē iustis qui non indigent pœnitētia.* Fidelis planè sermo, & omni acceptione dignus. Quòd si quis modò, dum verba Dei audit, & vel amore diuinæ huius benignitatis quam modò proposuimus illectus, vel mortis, aut extremi iudicij, aut gehennæ metu perterritus, scelera sua detestetur, & in secreto cubiculi sui doloris lachrymas & gemitus fundit, lachrymæ à maxilla in cęlum conscendunt, & in cælesti illa regia inter Angelorum choros prædicantur: vt omnes in communi lætum diem agāt, quòd nouus felici illorum consortio ciuis additus sit, & in cælis, chirographo diaboli disrupto, conscriptus. Quis hoc credere potuisset, nisi Veritas ipsa testata esset? Quin igitur festinatis, fratres, hoc tantum gaudium cælesti curiæ præbere, quæ Deum laudat, & festum diem celebrat, cùm vos in terra pœnitentiæ lachrymas funditis? Et quali quęso gaudio? *Magis*, inquit, *quàm super nonaginta nouem iustis qui non indigent pœnitentia.* Quid hoc est? Quonam modo vnius noui iusti gaudium tot iustorum gaudio antefertur? Certè quia cùm hoc gaudium nouum sit, nouitate sua miro modo beatas illas mentes allicit, & oblectat. Adde etiam, quòd quemadmodum dulcior post famem cibus, Simile.

& post æstuantem sitim potus est, ita post amissæ ouis iacturam percepta de ea inuenta lætitia maior existit. Quam rem non obscurè Dominus designauit, qui frugi filio deperditi felicitate & conuiuio quærenti respondit; Epulari & gaudere oportebat, quoniam hic frater tuus mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est. Quæ causa etiam est, vt (quemadmodum D. Thomas ait) gaudium spiritus quod verè pœnitentes de percepta salute & noua rerum diuinarum luce & cognitione percipiunt, sæpè vehementissimum sit: vt hæc etiam ratio vos fratres ad veram pœnitentiam & melioris vitæ propositum inducat, quò simili gaudio, quod omne mundi gaudium superat, perfruamini.

Luc. 24. Thom.

Alia quoque non dissimili comparatione hoc Angelorum gaudium super vno peccatore pœnitētiam agente describit his verbis: *Quæ mulier habens dragmas decem, & si perdiderit vnā ex illis, nónne accendit lucernam, & euertit domum, & quærit diligenter donec inueniat eam, & cum inuenerit conuocat amicas & vicinas dicens; Congratulamini mihi, &c.* Ad hunc igitur modū ęterna patris sapiētia, quę hîc femineo nomine designatur, cùm ex decem electorum choris naturam humanam, quæ velut dragma decima erat, decidisse per peccatum vidit, lucernam accendit: hoc est, naturam diuinam humanæ copulauit. In splendore enim lucernæ diuinitas, in cera verò sacra humanitas designatur: Quod quidem sacramentum confitentur, qui morituri lucernam manibus tenent. Deindè pia mulier euertit domū, hoc est, supera & infera omnia è sedibus suis conuellit & inuertit, vt sic tandem euersis omnibus, pretiosam dragmam inueniat. Quid igitur? An non hoc ipsum diuina sapientia fecit? An non ipse per Prophetam ait, Adhuc modicum & ego mouebo cælum & terram, mare & aridam: & commouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domū istam gloria. Omnia igitur se euersurum promittit, vt aduentu suo desideratam dragmam inueniat. Mitto nunc admirādam illam rerum commutationem, qua Dominus aduentu suo deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles, esurientesq́ue Gentiles impleuit bonis, Pharisæos autem & Scribas qui sibi diuites videbantur, dimisit inanes. Ad illam venio, in qua tāta rerum omnium commutatio facta est, vt quod summum erat, in infimo loco, infimum autem in summo fuerit collocatum. Quid enim summum nisi Dei filius, quid infimū nisi Crucis supplicium? Ille igitur summus Dei filius ex altissimo cæli cardine dilapsus,

Osee 1. Lucæ 1.

pſus, ad hoc latronum ſupplicium deſcendit, imo & Barabba inferior eſt iudicatus. Barabbas enim eo ſuperior & vita dignior à furente populo pronunciatus eſt. Quæ igitur maior rerum inuerſio? Verùm tanto Dei filius huius perditæ dragmę, hoc eſt, humanæ ſalutis amore flagrauit, vt non dubitauerit eius gratia ſeſe ad infimum rerum omnium locum demittere. Quo argumento intelligere licet fratres, quanta animæ exiſtētis in gratia dignitas, quanta pulchritudo, quam prudentiſſimus ille rerum æſtimator tanti fecit, vt pro ea mori, & omnia inuertere non dubitauerit. O vtinam tam chara nobis ſalus noſtra, quæ ad nos pertinet, extitiſſet, quæ tam chara illi fuit, ad quem ea minimè pertinebat! Hactenus de Euangelica lectione, nunc ad id quod initio propoſuimus redeamus. Matt. 27

TRACTATIO THEMATIS vel alia Concio.

CVM Hieremiā Dominus ad prophetici muneris functionem elegiſſet, hoc illi officiū demandauit, vt euelleret, & deſtrueret, ædificaret, atque plantaret. Nemo autē tam ſine mēte erit, vt credat his verbis aut de arborum vel domorū deſtructione, aut ædificatione tractari. Neq. enim prophetici muneris eſt arbores euellere, aut plātare, ſed prauos hominum mores conuellere, & pro illis virtutum & bonorum operum germina conſerere. Ad hoc igitur in Eccleſia Prophetæ, ad hoc paſtores & Doctores, ad hoc omnia ſacra volumina, atque adeò omnia quæ in Eccleſia geruntur, deſtinata ſunt. Huius igitur officij particulam quandam in præſenti cōcione perſequi decreui. Occaſione namque detractionis, qua Phariſæi & Scribæ Domino detrahebant, peſtilentiſſimū detractionis vitiū à veſtris moribus euellere hodie Domino aſpirāte cōtendam: atque eò libentius, quò latius apud omnes omnium ordinum homines hoc vitium ſerpit. Et ne in id ego detractionis crimen quod impugnare volo incidam, dum omnibus hoc crimen impingo, D. Hieronymum in huius rei teſtem citabo. Is enim in epiſtola ad Celantiam ſic ait: Detractionis vitium multos lędit. Pauci ſunt admodum qui huic vitio renuntient, raroque inuenies, qui ita vitā ſuam irreprehenſibilem exhibere velit, vt non libenter reprehendat alienam, tantaque huius mali libido mentes hominum inuaſit, vt etiam qui procul ab aliis vitiis receſſerunt, in iſtud tamen tanquam in extremū diaboli laqueum incidat. Hactenus Hieron. Ierem. 1. D. Hier.

Quamuis autem (vt vir Sanctus ait) vix quiſquam ab hac peſte immunis ſit, quidam tamen corruptæ naturæ vitio propenſiores ad hoc malum exiſtunt. Quemadmodum enim quidam ſic affecti ſunt, vt mel & dulcia cuncta faſtidiant, aceto autem, rebusque aceti acrimoniam referentibus gaudeant: ita quidam hoc ingenio ſunt, vt nihil ex candidis aliorum moribus ſuaue aut iucundum audire velint, ſed ea ſolùm quæ bene inſtitutis animis acerba & moleſta ſunt. Sicut enim muſcæ in exulceratis iumentorum corporibus ſana prætereuntes vlceribus inſident; ita iſti quæ in aliorum vita integra ſunt prætereuntes, vlceribus vitiorum imminent, illisque oblectantur atque paſcuntur.

Simil.

Simil.

Cæterùm, ſi vt hoc vitium eſt tam multorum commune, ita eſſet & leue, minor eſſet querela, quod tamen dici non poteſt, cùm Dominus apud Ezechielem inter horrenda populi ſui peccata, viros quoque derractores in eo fuiſſe recenſeat. Sed dicet aliquis forſan: Quantùm in vno verbo, quod quis familiariter cum amico agens effutit, deformitatis eſſe poteſt, vt illud inter ingentia crimina debeat computari, cùm hîc neque res aliena diripiatur, neque pudicitia violetur, neque innoxius ſanguis effundatur? Nuda enim verba, quid niſi verba ſunt? quæ nullum ſanguinolentum vulnus infligunt. At contrà nos dicimus, quòd quemadmodum in magnis fluminibus vbi lenior aquæ ſuperficies eſt, ibi plus periculi eſſe dicitur; ita quantò crimen hoc (quod in ſola verborum licentia conſiſtit) minus atrox apparet, tantò non modò frequentius, ſed etiam nocentius eſt. Nec enim priuatis modò perſonis, ſed publicis etiam, & interdum quoque regibus & nationibus, diſſidiorum atque bellorum exitialium materiam præbet. Quod planè Eccleſiaſticus teſtatur cùm ait, Lingua tertia multos commouit, & diſperſit illos de gête in gentem, ciuitates muratas diuitum deſtruxit, & domos magnatorum effodit. Virtutes populorum concîdit, & gentes fortes diſſoluit. Has ergo virulenta lingua ſine ferro & ſanguine ſtrages edit. Quo nomine eadem variis terriſque nominibus in literis ſanctis appellatur. Quandoque enim veneno, & quidem pernicioſiſſimo regius Vates eam ſimilem facit, cùm de detractoribus loquens ait, Venenum aſpidum eſſe ſub labiis eorum. Sicut enim latenter hominibus homines veneno vitam eripiunt, ſic detractor clanculariis delationibus, abſentibus perniciem infert, dum eorum famam lacerat. Qua etiam de cauſa Ieremias maledicorum linguam ſagittæ comparat cùm ait, Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta eſt. Sicut enim ſagitta

Ezech. 22.

Simil.

Eccli. 28.

Pſal. 13.
Simil.

Iere. 9.
Simil.

gitta longè à se distantes petit, & sauciat, ita maledicus homo acre vulnus absentibus infligit, cùm eorum existimationem lædit.

Iam verò detractor ipse quàm fœdis rebus similis esse perhibetur? Quidam enim illum coruis & vulturibus comparant: qui semper cadaueribus inhiant, & hominum strages amant, & sana corpora relinquentes, putrida quærunt, quibus solis aluntur & oblectantur.

Quòd si liberius mihi loqui liceat, non modò coruis atque vulturibus, sed suibus etiam appositissimè tales comparari possunt. Si enim sus amœnissimum hortum ingrediatur, in quo rubentes rosæ, candentia lilia, purpureæque violæ amœnitate sua oculos, & odoris suauitate nares oblectent, ille neque florum specie, neque odoris fragrantia delectatus, oculis omnia lustrat, si fortè putidum cœnū, aut lutulentam lacunam deprehendat, quam vbi olfecit, illam rectà petit, ad illam velociter accurrit, atque in eam ingressus ibi se totum, quantus est, proiicit, inque latus vtrumque velut in molli lecto se versat ac voluit: neque hac corporis volutatione contentus, os, rictum, & nares cœno immergit, ibique voluptuosè ac mollissimè quiescit. Ad hunc ergo modum homines natura & ingenio praui atque maledici, aliorum virtutes velut flores amœnissimos fastidiunt, & ne attingere quidem volunt: solis enim aliorum putidis vitiis nutriūtur, de illis sermonem conferre, de illis agere nunquam desistūt: Hic eorum cibus, hic potus, hæ delitiæ & voluptates, nec vlla res illis gratior aut iucundior est. Si verò sermo incidat de aliquo insigni viro, cuius eximias virtutes aliquis fortè commemorare incipiat, isque inter tot eius laudes fortè aliquod (vt est humana fragilitas) erratum agnouerit, illud protinus in medium profert, quo eius dignitati & nominis claritati tenebras offundat, vel certè labem illi aliquam & ignominiæ notam inurat. Hoc enim solùm illi gratum, cætera ingrata & iniucunda sunt. Sic Pharisæi olim, prætermissis innumeris Domini Saluatoris laudibus, atque miraculis, hoc solùm intuebantur, quòd sabbathis curaret, quòd peccatores reciperet & manducaret cum illis, cùm hæc tamen Dominus ad eorum salutem clementissimè moliretur.

Simil.

Ioan. 5. Matth. 9.

Est & aliud maledicorum genus, blandius quidem illud, sed hoc ipso nocentius, quod sub lenitatis specie serpit: illorum videlicet, qui blandis fictis sermonibus coram agunt, qui tamen quos præsentes laudibus honorant, absentes traducunt, & caninum

num in illos dentem infigunt. Hos autem nõ tam suibus quà scorpionibus similes esse dicimus (quòd virulentissimum i secti genus est) quos aiunt, cùm maximè ore blandiuntur, ca dæ aculeo lethale vulnus infligere.

Simile. Alij verò maledicos aptissimè rabiosis canibus compara qui obuios quosque lethali morsu petunt, eodemque mor inficiunt: quando illos aut adiuuare detrahentem, aut plausu e

Prouer. 6. cipere quæ dicuntur impellunt. A quo nos crimine Salomon uocat his verbis, Cum detractoribus ne miscearis: quoniam r pentè veniet perditio eorum, & ruinam vtriusque quis nou hoc est, detrahentis pariter & audientis.

Inter varia autem detractionum genera pessimum est, cù piis hominibus detrahimus, & illis præsertim, qui nondum al in virtute radices iecerunt: qui cùm ab improbis maledictis, in properiis, confictisq. ignominiosis nominibus petuntur, vel i stitutum iter deserunt, vel illud valdè timidè ingrediuntur. A

Matt. 18. uersus hos autem fulminat in Euãgelio Dominus cùm ait, Q scandalizauerit vnum ex his pusillis qui in me credũt, expedi vt suspẽdatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in pr

Iaco. 3. fundum maris. Hac autem de causa linguam Iacobus Apos lus ignem esse à gehenna inflammatum ait, quòd videlicet e flatu suo dæmones inflamment. Sed quidam tamen hunc ign gehennæ igne nocentiorem esse aiunt, quòd hic solos impr bos torqueat, linguæ autem ignis non reprobis solùm, sed p interdũ noceat, cùm illis indignationis & iræ occasionem pr beat. Hæc omnia fratres, non obscurè declarant, quanta huius teterrimi vitij deformitas, quòd tam multis rebus ad fœdis atque horrendis comparatur.

III.

Nunc vellem quidem intelligere fratres, cùm tam multa si quæ nos ab hoc pestilenti vitio deterreant, quid dulcedinis suauitatis homines in eo deprehendant, vt tam multi sint q hoc morbo laborent. Magnis enim criminibus, magnæ interd vtilitates & lucra proposita esse solent, quibus perditi homin ad facinora excitantur. Homicida dulcedine vindictæ, auaru spe pecuniæ, adulter inconcessæ voluptatis amore, ambitiosu inanis gloriæ cupiditate, ad malum alliciuntur. At maledicu quam quæso sibi ex maledicentia vel vtilitatem, vel volupta tem, vel gloriam captat? Quædam enim scelera videmus De quidem ingrata, quæ tamen hominibus gratia esse solent, qua lis effusio immoderata, & prodigalitas est. At hoc vitium & De

& homi

& hominibus inuisum est, quodque magis maledici hominis existimationem lædit. Quid enim homines maiori odio quàm maledicam linguam siue in viro, siue in femina prosequuntur? Hinc Sapiẽs. Terribilis, inquit, est in ciuitate sua homo linguosus. Et iterum, Abominatio, inquit, est hominum detractor. Parum enim videbatur abominabilem eum appellare, abominationem appellauit. Perindè enim illum homines execrantur & fugiunt atque pestis morbo ictum, aut rabie furentem canem, aut leonem è cauea & vinculis emissum. A maledica enim lingua nemo se tutum arbitratur. Linguam enim quæ aliis non pepercit, neque ipsi parcituram putat: & ita quisque in alieno periculo suum timet. Vnde quemadmodum qui iter faciunt, si iuxta iter aut colubrum, aut viperam cernunt, lignis, lapidibus, & ferro, ne aliis noceat interimere solent; ita maledicorum vitam & linguã excindi & è medio tolli cuncti homines vellent. Denique vitium hoc non tam hominum, quàm dæmonum esse videtur. Dæmones quippè nullo proposito emolumento ideo nocent vt noceant: hic enim illorum fructus est. Cùm igitur maledicus (vt antè diximus) nullum ex maledicentia fructum referat, ideo dæmonum more hominibus nocet vt noceat.

Eccli. 9. Prou. 24. Simil.

Auget autem pestis huius periculum maledicendi facilitas. Neque enim ad maledicendum necesse est parietes suffodere, aut arma mouere, aut sanguinem fundere, cùm ad hoc lubrica lingua satis sit, quæ vno verbo non sanguinem fundit, sed famam, quæ multis vita ipsa charior est, aufert.

Aduersus autem huiusmodi linguam regius Vates diuino furore incensus: Quid, inquit, detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis. Quia enim lingua tua velut sagitta fuit à longè feriens, ferient te quoque sagittæ potentis acutæ, hoc est, diuini in te furoris tela iaciẽtur: & quoniam lingua tua velut ignis accensus aliorum famam exussit, tu quoque gehennæ ignibus inflammaberis, quemadmodum diues ille epulo, qui cùm inter flammarum globos volutaretur, aquę guttam ad refrigerandam linguam postulauit, nec accepit. Quem diuus Gregorius ideo acrius in lingua cruciari ait, quòd per linguam grauiùs deliquisset. Quod in conuiuiis fieri solet dum homines dapibus & vino inflammati, minusque sui compotes, licentiùs laxare linguam solent. Quod intelligens B. Pater August. in conuiuij loco contra hanc pestem duo hæc carmina scripserat.

Psal. 119. Luc. 16. Gregor. August.

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam;
Hanc mensam indignam nouerit esse sibi.

Vnde si detractio fortè incidisset, dicebat quòd vel tacerent, vel versus ipse deleret, aut certè de mensa recederet. Tanto odio crimen hoc vir sanctus prosequebatur.

Apoc. 16. Inter cætera gehennæ supplicia hoc etiam memorat in Apocalypsi Ioannes, quòd improbi quidam linguas suas præ rabie commanducarent, horrendaque in Deum conuitia iactarent. Quod quidem supplicium, non aliis modò, sed etiam maledicorum linguis accommodatum esse videtur. Quocircà si quis ab hoc tam tremendo cruciatu immunis esse cupit, linguam contineat, eique frænos iniiciat. Ad hoc autem religiosam illam Celantiam (cuius superius mentionem fecimus) longa oratione D. Hieronymus hortatur; quam hoc in loco ascribere libuit. Nulli, ait, vnquam omnino detrahas, nec aliorum vituperatione te laudabilem videri velis. Magisque vitam tuam ordinare disce, quàm alienam carpere. Ac semper scripturæ memor esto dicẽtis; Noli diligere detrahere: ne eradiceris. Tu verò hoc malum ita effuge, vt non modò ipsa non detrahas, sed ne alij quidem detrahenti aliquando credas. Nec obtrectatoribus auctoritatem de consensu tribuas, ne eorum vitium nutrias annuendo. Noli (inquit scriptura) consentaneus esse cum derogantibus aduersus proximum tuum, & non accipies super illum pecca-

Eccli. 28. tum. Et alibi: Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam. Vnde & beatus Dauid diuersas innocentiæ species iustitiæque dinumerans, de hac quoque virtute non tacuit dicendo;

Psal. 14. Et opprobrium non accepit aduersus proximos suos: propterea quòd ipse non solùm aduersatur, sed etiam persequitur detrahentem. Ait enim, Detrahentem secretò proximo suo, hũc per-

Psal. 100. sequebar. Est sanè tale hoc vitium quod vel in primis extingui debeat, & ab eis qui se sanctè instituere volunt, prorsus excludi. Nihil enim tam inquietat animum, nihil est quod ita mobilem mentem ac leuem faciat, quàm facilè totum credere, & obtrectatorum verba temerario mentis assensu sequi. Hinc enim crebræ dissensiones, hinc odia iniusta nascuntur. Hoc est quod sæpè de amicissimis etiam inimicos facit, dum concordes quidem, sed credulas animas mali loqua lingua dissociat. At cõtrà, magna quies animi, magnaque est morum grauitas, non temerè de quoque sinistri quid audire. Beatusque est qui ita se contra hoc vitium armauit, vt apud eũ detrahere nemo audeat. Quòd si hæc in nobis esset diligentia, ne passim obtrectatoribus crederemus,

deremus, iam omnes detrahere timerent: ne nō tam alios, quàm seipsos viles detrahendo facerent. Sed hoc ideò malum celebre est, idcirco in multis feruet hoc vitium, quia penè ab omnibus libenter auditur. Hactenus Hieronymus. Sed quoniam (vt Salomon ait) Domini est gubernare linguam, quisquis hoc præstare cupit, donum hoc ab auctore bonorum omnium cum Propheta postulans assiduè clamet, Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circunstantiæ labiis meis. Neque ab hoc clamore conquiescat donec hanc à Domino gratiam impetrauerit. Illud etiam Iacobi Apostoli sibi ante oculos ponat, Si quis putat se esse religiosum, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio. Cùm autem idem Apostolus dicat eum qui linguam moderatur, omnes etiam vitæ actiones componere ac moderari posse, qui eò vsque processit, vt linguam continere, & cum ea omnes vitæ actiones regere queat, meritò cælestem gloriam & sempiternæ felicitatis coronam his virtutibus promissam de misericordia Domini sibi polliceri poterit.

Pro. 15. Psal. 140. Iacob. 1.

DOMINICA QVARTA POST PENTECOSTEN CONCIO PRIMA: IN qua post Euangelicæ lectionis explanationem, verba Thematis paulò fusius explicantur.

THE. *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo, &c.* Luc. 5.



HAEC Petri verba illorum præcipuè temeritatem & stultitiam arguunt, qui humanis consiliis & industria freti, inconsulto mundi principe, ac moderatore Deo, res suas aggrediuntur. Est autem hic communis omnium ferè mortalium error, ex quo innumera penè mala atque incommoda oriuntur. Aduersus quem tota sacræ huius lectionis historia acriter pugnat. Aduersus quem etiam nos hodie aspirante diuina gratia dimicare debemus: si prius tamen Euangelicam lectionem, quæ huius doctrinæ fundamentum est, explanauerimus. Vt autem vtrumque præstare vtiliter & religiosè valeamus, cælestem opem sacratissimæ Virginis interuentu suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Duo nobis hodie mysteria dilectissimi, in sacra huius diei le-ctione proponuntur: quorum alterum imitari, alterum admi-ri debeamus. Populi enim ardor & studium quo ad Dominu irruebat, vt audiret verbum eius, nobis ad imitandum exhib-tur. Miraculi autem patratio (quo Petrus & socij qui in ma Tiberiadis piscabantur, ad aliud nouum piscationis genus v-cati sunt) admiratione dignissimum est. Vtraque igitur in re præsenti concione philosophandum nobis est. Ait igitur sa-ctus Euangelista.

Cùm turbæ irruerent in Iesum, vt audirent verbum Dei, i-stabat secus stagnum Genezareth. Hæc verba non leuiter à no prætereunda sunt. Quod enim turbæ irruerint in Iesum, m-gnum (vt diximus) earum studium, ardensque desiderium di-næ gratiæ indicat, quam per Christi doctrinam haurire cupi-bant. Quod quidem desiderium à diuino spiritu proficisci co-stat. Si enim cogitare rectum aliquid non possumus ex no-quasi ex nobis, sed omnis sufficientia nostra (vt Apostolus a-ex Deo est; multò minus nec desiderare, in quo maius aliq-

2.Cor. 3. reperitur. Hinc D. August. Desiderare, inquit, auxilium grat-

August. initium gratiæ est. Hic autem esse solet communis diuinæ pr-uidentiæ ordo, vt cùm dona sua hominibus impartiri cupit, e-rundem prius donorum desiderium accendat. Hoc enim de-derium, hominis mentem exsuscitat, eumque petere, quære-pulsare, & nullum non mouere lapidem facit, vt id tandẽ qu-desiderat assequatur. Vnde meritò sancta desideria floribus c-parantur: quia quemadmodum arborum flores antecedere fr-ctus solent; ita sancta desideria futuram cælestium donoru-

Simil. vbertatem designant. Quocircà fratres, quicumque veheme-ter diuinæ gratiæ desiderio flagratis, magnam de diuina mis-ricordia spem concipere debetis.

Hæc namque desideria viam nobis ad gratiam & charitate-

Bernard. munire docet Bernard. in Epistola quadam his verbis, Sicut fi-des ducit ad plenam cognitionem, sic desiderium ad perfecta-dilectionem. Et sicut dicitur; Nisi credideritis non intelligeti-sic dici æquè non absurdè potest, si non desideraueritis, non pe-fectè amabitis. Hæc ille. Quanta porrò sanctorum desiderio-

Sapien. 6. rum vis sit, Sapiens breuiter declarat, cùm ait, Initium sapienti-verissima est disciplinę concupiscentia. Quòd autem ait verissi-mam disciplinæ concupiscentiam, apertè indicat esse quoqu-falsam atque fallacem cõcupiscentiam: qualis eius est, de quo i-

Prouer-

Prouerbiis legimus; Desideria occidunt pigrum: Noluerunt enim quicquam manus eius operari. Desiderat enim sic sapientiæ opes: sic tamen desiderat, vt nolit propter eas vllum subire laborem. Qui quidem morbus adeò latè patet, vt vulgò dici soleat, cælum quidem bonis operibus, gehennam autem hisce desideriis esse refertam. Vera autem concupiscentia nihil negligit, nihil omittit, non parcit labori, non studio, modò id assequatur quod concupiscit. Denique (vt hoc in loco dicitur) *Irruit in Iesum.* Hoc autem modo nos desiderare & quærere D. Bernard. admonet his verbis, Si nolumus frustrà quærere Dominũ, quæramus veraciter, quæramus frequenter, quæramus perseueranter, & nec quæramus pro illo aliud, nec cum illo aliud, sed nec ab illo ad aliud conuertamur. Faciliùs est enim cęlum & terram transire, quàm vt sic quærens non inueniat, sic petens non accipiat, & sic pulsanti non aperiatur. Hactenus ille. Pius ergo Dominus piis turbæ desideriis annuens, quamuis locus ille parum idoneus ad docendum esset, hanc tamen occasionem tradendæ doctrinæ prætermittendam non putauit. Pro. 21. Bernard.

Itaque pro suggesto nauiculam conscendit, ibique aureo illo ore cælestis sapientiæ thesauros spargere in populum cœpit, quibus auditorum animos piis desideriis ad audiendum paratos, velut suspensos, atque extra se positos ab ore docentis tenebat. Qualem enim eius doctrinam, qualem eloquentiam fuisse putamus, qui verbum est & sapientia Patris: quorum altero plenissima scientia, altero suauissima eloquentia designatur? In Ecclesiastico legimus; Tibiæ & Psalterium suauem faciunt melodiam, sed super vtraq. lingua suauis. Si igitur homiuũ suauiloquentia tantam ad permulcendas hominum aures vim habet, qualis quæso suauiloquentia esset eius, qui verbum est & sapiẽtia Patris? Vellem fratres hoc in loco huius diuinæ eloquentiæ vim & suauitatem aliquo exemplo (si id quidem fieri commodè posset) vobis ob oculos ponere. Cicero, quem Romanæ eloquentiæ principem esse aiũt, eam eloquendi vim, quæ admirationem non haberet, nullam esse iudicabat. Quam rem ipse exemplo suo confirmauit: qui cùm aliquando causam ageret; totum theatrum in sui admirationem rapuit. Itaque in causa Cornelij sic dixit, vt populus Romanus admirationem suam, non acclamatione tantùm, sed etiam plausu confiteretur. Atque ego (inquit Fabius) illos qui aderant credo nec sensisse quid facerent, nec sponte iudicioque plausisse: sed velut mente captos, & quo essent in loco ignaros, erupisse in hunc voluntatis affectum. Eccli. 40. Cicero. Fabius.

affectum. Hoc igitur exemplo fratres, vtcumque intellige
poteritis qualis in cælesti magistro eloquendi facultas esset.
enim humana ars & industria eò vsque progressa est, vt homin
adeò potenter extra se raperet; quid de illa plenitudine diuin
tatis & sapientiæ humano ore loquentis intelligendum er
Quis enim dubitare potest, tantùm à diuina facundia hum
nam superari, quantùm diuinæ maiestatis amplitudo, human
facultatis mensuram superat? Quod si humanis diuina comp
rare aliqua ratione licet, simile quiddam, sed multò tamen di
Luc. 11. similius Domino Saluatori accidisse Lucas Euangelista mem
rat. Loquente enim ipso ad turbas, extollens vocem quæda
mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portauit, & vbe
ra quæ suxisti. Num igitur mulier hæc in confertissima turb
posita, sublata in altum voce, in loquentis Domini laudes pr
rumpere potuit, nisi ineffabili dicentis suauitate illecta, & vel
extra se posita, neque vbi esset, neque quomodo loquendum e
set attenderet? Si enim hucusque humana eloquentia peruen
quò tandem eius eloquentia peruenisse putanda est, in cui
Psal. 44. labiis omnem gratiam fuisse diffusam Propheta canit? Pr
terea si D. Ioanni Chrysostomo, propter singularem eloquen
tiam oris aurei nomen impositum est; quod quæso nomen diui
næ sapientiæ, humano ore loquenti imponere licebit? Cert
idem ipse Dominus apud Prophetam, os suum non quiden
Esaiæ 49. auro, sed acuto gladio comparat cùm ait: Posuit os meum Do
minus quasi gladium acutum; qui videlicet intimos animi sen
sus penetraret, malorum omnium radices abscinderet, spiritum
à corporis contagione diuelleret, ignitique amoris vulnera in-
Luc. 24. figeret. Hunc enim ignem perceperant illi qui dicebant, Nón-
ne cor nostrum ardens erat in nobis, cùm Iesus loqueretur in
via, & aperiret nobis scripturas? Quo etiam igne sponsa incensa
Cant. 5. erat cùm diceret, Anima mea liquefacta est, cùm locutus est di-
lectus meus. Quæ cùm ita sint, facilè diiudicare licebit fratres,
qualis esset turbæ huius admiratio atque suauitas, cùm deside-
rio verbi Dei accensa, ipsum Dei verbum atque sapientiam de
regno cælorum mirabiliter disserentem audiret. Hoc igitur tan-
tum præmium piis desideriis à Domino persolutum est. O si
nos fratres hoc animi ardore ad sacras conciones conflueremus!
Verùm longè hoc à moribus nostris abesse constat. Multos nã-
que videmus ad ludos, ad crapulam, & ebrietatem magis, quàm
Gregor. ad sacras conciones irruere: qui (vt D. Greg. ait) ne aure quidem
corporis verbum Dei audire dignantur: vel si fortasse audiunt,
aliud

aliud oculis, aliud corde, aliud etiam verbis, cum multorum offensione agunt: quibus magis expediret non audire, quàm hac ratione audire. Alij verò sic audiunt, vt nequaquam salutares sententias, & vitæ documenta inde sibi haurire velint: verbum quippè Domini (vt Ezechiel ait) versum est eis in carmen musicum, quod suaui dulcique sono canitur: quandoquidem isti non vim sententiarum, sed vocum tantùm dulcedinem & sonum attendunt. Qui similes mihi iis esse videntur, qui libris serico & auro vestitis & ornatis, literisque minio, variisque imaginibus depictis puerorum more gaudent; quid verò intus contineatur, non modò non aduertunt, sed nec legere quidem student. Tales igitur sunt qui ad solam concionis elegantiam, & verborum flosculos attenti, cætera vel negligunt, vel ad se pertinere minimè putant. De quibus in Ecclesiastico dicitur: Cor fatui, quasi vas confractum omnem sapientiam non tenebit. Quasi in percussura cribri puluis, sic aporia, id est, scoria in cogitatu illius. Cribrum enim solas retinet paleas, triticum autem effluere sinit.

Ezech. 33.
Simil.
Eccli. 21.
Idem 27.
Simile.

Sunt rursùs alij, quorum pectora sic generis humani hostis obsedit, vt nullius diuinæ vocis fulminibus perterreantur, vel parùm animo commoueantur. Qua autem ratione eorundem aures obstruat, proposito hoc exemplo indicabo. Bombyces, hoc est, vermes illi, qui serica fila nectunt, ita tonitruorum sonitu grauantur, vt interdum etiam moriantur. Quo fit, vt qui eos nutriunt, tympana frequenter pulsent, vt sonitui molliori assueti, à grauiori tonitrui sono non lædantur. Tales mihi multi sacrarum cōcionum auditores hac ætate esse videntur, qui quotidianis concionibus audiendis sine vllo animi motu assueti, si quis concionator à Deo actus, grauius aliquid & formidabilius intonet, non ideo magis animo permoueantur: vtpotè qui negligenter audiendi consuetudine penè insensibiles ad verbi Dei tonitrua effecti sint. Adiiciam huic exemplum aliud. Fabrorum ferrariorum ars eò vsque hac nostra ætate processit, vt thoraces æreas ita temperauerit, vt nullis hostium telis, nec pilis etiã sulphureo puluere iactis cedant. Simile quiddam antiquus hostis excogitasse videtur: qui quorundam improborum corda ita obdurauit, vt nullis diuini verbi fulminibus penetrari aut concuti possent. Iis igitur frustrà prædicatur, frustrà Christi crux, gehēna, mors, Deique iudicium, cæteraque similia diuini verbi iacula in illos torquentur. In quanto autem isti salutis periculo versentur, ex his Philosophi verbis colligi poterit. Quemadmodum

Simile.
Simile.
Simile.

dum,inquit, in medicina fieri dicunt, vt corpora non pura quò magis nutriueris,eò magis lædas;materiam nimirum corruptis humoribus suggerens: sic prauis opinionibus præoccupatam animam, quò plus docueris, eò magis lædes, maiores subinde malè & perperam sentiendi occasiones suppeditans.

Qua igitur ratione vtiliter audiemus? Certè quemadmodum turba hæc: vt videlicet ardenti in Iesum desiderio irruamus quò eum audiamus,hoc est, si studiosè consideremus, hoc verbum quod apud vos prædicamus, non verbum hominum, sed Dei verbũ esse. Sic enim maiori studio & reuerentia audiemus. Hac enim ratione Apostolus memorat, Thessalonicenses verbũ Dei audiuisse. Sic enim ait, Gratias agimus Deo, quoniam cùm accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non vt verbum hominũ, sed (sicut verè est) verbum Dei, qui operatur in vobis qui credidistis. Quicunq. igitur hoc modo verbum vitæ audit, vitam quoque animæ suæ simul cum verbo haurit.

1.Thes. 2.

I.

Cùm ergo turbæ hoc modo ad verbum Dei audiendum in Iesum irruerent, cælestis magister officio suo fungi cœpit, qui nullum tempus, nullumque locum, ad illud exequendum parum opportunum existimabat. Itaque nonnunquam in synagoga, aliquando in monte, quandoque in loco campestri modò verò in littore maris docendi munus obibat. Ergo pro suggesto, aureo, sericoque ornamento instrato, nauiculam ascendit, vt à populi tumultu & compressione liber, hoc officio fungeretur. Rogauit autem Petrum, qui ei nauiculæ præerat, vt eam paululum à terra subduceret. In quo Domini suauitas & lenitas apparet: qui Petrum rogat, cui præciperetanquam omnium Dominus potuisset.

Non vacat autem mysterio, quòd paululum à terra nauem subduci voluit. Quod quidem D. Augustin. sic explicat, vt concionatorem instruat, ne vel terræ nimium adhęrere, vel longiùs à terra in docendi officio discedere velit; hoc est, vt neque terrena docens voluntati se carnalium hominum, qui terrena tantùm sapiunt accommodet, neque rursum nimis alta, aut difficilia, quæ auditores assequi non valeant, docere studeat. Sic enim se Paulus ad populi captum accommodabat, qui cùm sapientiam loqueretur inter perfectos, lacteum cibum infirmis ministrabat.

August.

Vbi ergo Dominus turbas in nauicula Petri docuisset, ait illi: *Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.* Pius atq. benignus

nignus Dominus, ne illud quidem adeò exiguum Petri obsequium, præmio vacare voluit. Si enim tanta eius largitas & magnificentia est, vt nec calicem quidem aquæ frigidæ sine mercede relinquat, quid mirum, si hanc adeò promptam Petri voluntatem magnificentissimè remunerare voluerit? Nec enim is mercatorum more paria paribus refert, sed diuina largitate, parua magnis compensat. Hanc autem modò Petro mercedem tribuit, vt pro nauicula vna ad docendum commodata, duas illi piscibus onustas largiretur. Itaque ad illum ait.

Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Cui Simon Petrus. *Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete.* In his verbis Petri obedientia maximè commendatur. Cùm enim illum Dominus ad nouam piscationem inuitaret, is quidem simplici animo domini iussa capessit. Potuisset enim Petrus humana vsus prudentia, domino his, quæ modò protulimus verbis respondere. Præceptor tota hac nocte (quod commodissimum ad piscandum tempus est) omnia maris huius loca, quæ ad piscandum magis idonea videbantur, perlustrauimus, nihilque deprehendimus; quomodo ergo nunc in meridiana luce aliquid prehendere poterimus? Quorsum ergo pelagi fortunam iterum frustrà tentabimus; præsertim cùm iam captura piscium desperata, retia & lauerimus & plicuerimus? Hæc Simon respondere potuisset. Verùm is nominis sui memor (Simon enim interpretatur obediens) nihil respondet, nihil contra præcipientem allegat: sed simplici, atque alacri animo Domini mandatum exequitur. Hoc enim perfectæ & indiscussæ obedientiæ proprium est. Cuiusrei memorabile exemplũ Cassianus memorat. Sãctus enim ille Ioannes Aegyptius, cuius consilio magnus imperator Theodosius, sæpè in rebus gerendis vtebatur, tantùm hac virtute excelluit, vt seniore (sub cuius ille disciplina, prima virtutis tyrocinia exercebat) præcipiente, vt aqua è longinquo aduecta, putre quoddam lignum irrigaret, ille nihil discutiens, multis diebus senioris præceptum executus est. Hoc enim (vt diximus) maximè proprium veræ obedientiæ est, clausis humanæ rationis atque prudentiæ oculis, maiorum præceptis obtemperare. Itaque ratio, quæ inter animæ vires principatum obtinet, officio suo in hac parte fungi non debet. Vt enim iumentorum oculos claudimus, quæ pistrini seruitio destinamus; ita mentis oculos claudere oportet, cùm ad aliquid agendum ex maiorum imperio ducimur. Triplicem enim obedientiæ gradum sancti

Cassian.

Simile.

Obedientiæ gradus tres.

patres

patres aſſignant, quorum primus ſeruilis eſt, cùm corpore tantùm, non voluntate ac ratione, maiorum præceptis obtemperamus. Secundus, cùm corpore ſimul ac voluntate, intellectu tamen reclamante, maiorum iuſſa perſequimur. Tertius autem, qui perfectiſſimus eſt, cùm nō ſolùm corpore exequimur quod præcipitur, ſed voluntate etiã amplectimur, & intellectu quoq; (quamuis id minus appareat) probámus atque laudamus. Ad quem gradum hæc Petri obedientia pertinet, qui non ſolùm alacri & prompto animo, ſed rationis quoque approbatione, Domini imperium executus eſt. Cuius obedientiæ fructũ idem Dominus oſtendit, quando Petrus vno retium iactu duas nauiculas piſcibus impleuit; cùm totius noctis labore ne vnum quidem piſciculum capere potuiſſet.

Denique tanta piſcium vis capta eſt, vt eorum pondere retia rumperentur. Quæ res plurimùm quidem ad miraculi magnitudinem facit, nec minus tamen ad ſignificationem myſterij. Hac enim ruptura deſignatur tantam hominum vim in Petri rete, hoc eſt, in Eccleſiam per fidem ingreſſuram; vt multi eorum poſteà à fide ſemel ſuſcepta degenerantes, Eccleſiæ vnitatem ſcinderent, dum vel à Romani Pontificis obedientia deſciſcũt (quod ſchiſmaticorum eſt) vel à fidei integritate, quod eſt hæreticorum. De his autem Ioannes in Epiſtola ſua, Ex nobis, inquit, exierunt: ſed non erant ex nobis: Nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum.

1.Ioan.2.

Quid hîc Petrus? Tanto eius animus hoc magno piſcium prouentu ſtupore repletus fuit, vt ad genua Ieſu procidens clamaret, *Exi à me Domine, quia homo peccator ſum.* O ſi nos fratres, tanto ſtupore, ac timore compleremur, cùm ad altare Domini, & ſacram Euchariſtiam ſumẽdam accedimus! Petrus necdum eo tempore ex reuelatione ſummi patris Dei filium agnoſcebat, diuinam tamen poteſtatem in externa illa hominis ſpecie latentem ſic admirabatur, vt indignum ſe eius præſentia ducens, & ad eius genua procideret, & à nauicula ſua exire rogaret. Quã in re Centurionis fidem, tantoperè à Domino laudatam, in his verbis cernimus, qui indignum ſe putabat, vt ſub tectum ſuum Dominus ingrederetur. Nos autem fratres, fidei lumine inſtructi, certiſſima fide tenemus, totam diuinitatis plenitudinem, ſub illa panis & vini ſpecie latêre, cùm tamen multi ſic ſe gerant, cùm in templis aſſiſtunt, quaſi in foro inter æquales ſuos agerent. Quid verò illos referam, qui in templis prophana negotia tractant? quid illos, qui ſcurrilia verba iactãt?

quid

quid illos, qui curiosè omnia circumſpiciunt? quid qui temerario & ſacrilego auſu, in ſacro loco impudicè vident, & vidētur? & vbi peccata expiare deberent, peccata peccatis addunt, & cum magna ſua pernicie in venenum medicamenta conuertunt? At, quàm malè hæc hominum licentia, cum loci dignitate cohæret: Domum enim Dei decet ſanctitudo (vt Propheta canit:) & in templo eius omnes dicent gloriam. Pſal. 92. Pſal. 28.

Hoc etiam exemplo liquet, cùm ad hoc ineffabile ſacramentum accedimus, quo timore, quā reuerētia, quā deuotione, quā animi ſubmiſſione, quā vitæ puritate, & vera cordis contritione accedere debeamus: in quo vnicum Dei filium, paternæ gloriæ ſplendorem latere non dubitamus. Nec tamen cùm hoc timore corripimur, Deum à nobis abalienamus: quin potius quò magis hoc ſalutari metu concutimur, hoc magis eius beneficio digni efficimur. Sic enim hoc in loco Petrus cùm ſe Domini conſpectu indignum iudicat, nō modò ab eo nō reiicitur, ſed etiam ad Apoſtolatus dignitatem cooptatur. Itaque ait ad illum Ieſus, *Noli timere: ex hoc iam homines eris capiens*; hoc eſt, pone metū; quo tuæ conſcius infirmitatis, ac meam expertus virtutem, totus perculſus es. Non enim exerui illam, vt vos à me abſterrerē; ſed potius vt quid poſteà per vos futurum eſſet, ſignificarem. Poſthac enim meo beneficio, Petre, ita homines eris capiens, quomodo iam cepiſti piſces. Tantumque abeſt, vt quia peccatorem te eſſe agnoſcis, metuere debeas, ne à me accuſeris, aut mali quid patiaris, vt etiam ex piſcatore piſcium, ſim te conſtituturus hominum piſcatorem, quos peccatis exemptos iuſtitiæ conſecres, ac in vitam æternam colligas. Obſeruanda autem in hac reſpōſione benignitas Domini, metum mox excutientis ab eo, qui ſe peccatorem humiliter agnoſcebat; ac pro eo quod metuebat, inſignem dignitatem pollicentis. Hactenus de Euangelica lectione: nunc ad id quod initiò propoſuimus, redeamus.

TRACTATIO THEMATIS vel alia Concio. &c.

II.

Præceptor (ait Petrus) *per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete. Et cùm feciſſent, concluſerūt piſcium multitudinem copioſam.* O quantus hic fratres mortalium error, quàm magna Chriſtianæ Philoſophiæ portio in his verbis aperitur! quam tamen niſi veſtris precibus adiutus, parem me ad eam explicandam vim, & facultatem habiturum

non ſpero. In his enim verbis apertè liquet omnes hominum conatus, omnia ſtudia, atque conſilia, & rerum agendarum actiones, inanes & inutiles eſſe, niſi diuina ope dirigãtur. Quam quia homines in conſiliis ſuis minimè quęrunt, in maxima cor-
Sapien.9. poris & animi incommoda paſſim incidũt. Veriſſimè enim Sapiens ille ait, Cogitationes mortalium timidę, & incertæ prouidentiæ noſtræ. Hinc tot inſperatæ orbitates, tot improuiſa charorum funera, tot infauſtæ nuptiæ, tot ſiniſtra conſilia, tot rei familiaris iacturæ, tot bella atque diſſidia, tot poſtremò rerum publicarum euerſiones, ac omnes ferè mundi calamitates originem ducunt: in quibus miſeri mortales per totam noctem, imò per omnẽ vitã laborantes fruſtrà ſudant, quia in verbo Domini retia ſua minimè laxant; hoc eſt, quia inconſulto Deo, ſuis conſiliis, ſuaque prudentia nixi negotia ſua exequuntur. Tales igitur quamuis non verbis, operibus tamen diuinam prouidentiam tollere, & cum Epicuro Deum circa cardines cæli verſantem, res humanas negligere, teſtari videntur. Sic enim ſe in conſiliis & actionibus ſuis gerunt, quaſi ſummus ille mũdi Dominus res humanas vel non videret, vel prorſus negligeret. Cuius rei illud in cauſa eſſe videtur, quod idem Dominus per
Esaiæ 57. Prophetam innuit cùm ait, Quia ego tacens, & quaſi non videns, & mei oblita es.

Aduerſus hunc igitur peſtilentiſſimum errorẽ, vniuerſa Chriſtiana Philoſophia pugnat: quæ res omnes tam maiores quàm minores à Deo curari, & pro ratione humanorum meritorum
Iob. 5. tractari docet. Veriſſimè enim in lib. Iob ſcriptum eſt, Nihil in terra ſine cauſa fit, & de humo non egredietur dolor: hoc eſt, non à terra, ſed à cælo mundi huius moderatio pendet. Quam ſen-
Amos 3. tentiam Amos Propheta confirmat cùm ait, Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit? Idemq́ue Dominus per
Esaiæ 45. Eſaiam, Ego, inquit, Dominus formans lucem, & creans tenebras; faciens pacem, & creans malum; Ego Dominus faciẽs om-
Psal.74. nia hæc. Quid verò illud ex Pſalmo, Quia nec ab Oriente, neque ab Occidente, nec à deſertis montibus, hoc eſt, à meridie (ſubaudiendum eſt, venit exaltatio) quia Deus iudex eſt. Quid autem hic iudex? Hunc, ait, humiliat, & hunc exaltat: quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto: & inclinauit ex hoc in hoc: hoc eſt, modò huic, modò illi pro cuiuſque meritorum varietate, ex hoc calice vinum propinat, aliquando quidem vini pretioſi, aliquando acidi & feculenti. Quibus verbis Vates ſanctus omnia ſiue aduerſa, ſiue ſecunda à diuina prouidentia, pro

diuerſi

diuersa meritorum ratione, administrari docet: ideoque alios ab eo exaltari, alios contrà humiliari, atque deiici ait. Quam rem sancta quoque illa femina in cantico suo cecinit, his verbis: Dominus mortificat, & viuificat; deducit ad inferos & reducit. 1. Reg. 2.
Dominus pauperem facit & ditat, humiliat, & subleuat. Quia verò Nabuchodonosor Assyriorum rex, orbisque monarcha, Dan. 4.
superbiæ spiritu supra modum elatus, imperij sui gloriam non Deo, sed sibi ipsi tribuebat; sic à Deo in huius criminis pœnam deiectus fuit, vt septē annorum spatio inter bestias agri versaretur, fœnumque vt bos comederet, & rore cæli tingeretur. Qua quidem animaduersione tantùm profecit, vt septennio illo transacto, oculos ad cælum sustulerit, & altissimo benedixerit; eiusque immensam potentiam & prouidentiam magnifecerit: qui pro voluntatis suæ voto, reges terræ exaltat, atq. deiicit; & infimum quemque hominem, quoties ei libitum est, in regia sede collocat.

Quid, quòd ea etiam quæ improborum peruicacia aduersus pios molitur, ad ipsorum probationem à Deo permitti venire, regius Propheta confitetur? Pro eo enim, quod nos legimus, Psal. 16.
Eripe animam meam ad impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ, D. Hieroymus ex Hebræo vertit: Surge Domine, Hieron.
præueni faciem eius, salua animam meam ab impio, qui est gladius tuus. Quam sententiam idem Vates exemplo suo comprobauit; qui virulentam Semei maledictionem ad imperium & prouidentiam permittentis Domini reuocans, dixit: Dominus mandauit Semei, vt malediceret mihi. 2. Reg 16.

His etiam illud addo: quòd quæ ipsi generis humani hostes, in perniciem nostram moliuntur, sancti viri ad eandem prouidentiam referunt. Hinc innocentissimus Iob rerum omnium suarum vastationem dæmonis opera atq. malitia factam, Deo tribuit, cùm ait: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est. Iob. 1.
Quid verò ea quæ casu & fortuna homines fieri dicunt? Nam & hæc in causarum numero Aristoteles posuit, multa temerè & casu in vita fieri definiens. Arist. August.
Verùm diuus Augustinus libr. 5. De ciuitate Dei apertè probat, lib. 5. de ciuit. Dei.
hæc ipsa quæ homines casu aut fortuna fieri dicunt, Deo prouidente, aut permittente contingere. Nisi fortè putamus casu euenisse, quod in pugna regis Achab aduersus Syriam scriptum legimus: quòd videlicet miles quidam Syrius, sagittam miserit in incertum, quæ casu percusserit Regem Israël, inter pulmonē & stomachum: cùm hoc tamē quod casu dicitur euenisse, 3. Reg. 22.

tam longa antè deliberatione definitum à Deo fuerit: vt la differitur 3.Reg.22.

Perſuaſum igitur nobis eſſe debet fratres, omnia ſiue natu rę, ſiue gratiæ beneficia, ſiue quæ ad corporum ſalutẽ & incolu mitatẽ, ſiue quę ad animarũ ſanctitatẽ & innocentiam pertin non à terra, ſed à cælo, hoc eſt, à diuina prouidentia deſcende Vnde quemadmodum hic inferior mundus omnibus in reb

Simile. à ſuperiori, hoc eſt, à cæleſti regione pendet (illius enim vi om nia gignuntur, aluntur, conſeruantur, & ad iuſtam maturitat perueniunt) ſic vita, ſalus, dignitas, ſanctitas, atque felici noſtra ab illo ſummo rerum omnium principe, & moderat ita manant, vt citra eius opem nihil proſperum & ſalutare hominũ vita contingat. Quam rem quotidiè decantamus c dicimus; Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum lab

Pſal. 126. rauerunt qui ædificant eam. Niſi Dominus cuſtodierit ciui tem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam.

Sed quid ego his teſtimoniis & argumentis ſummam hu diuinæ prouidentiæ curam probare contendo; cùm clariſſim huius rei teſtimonium in Euangelicis literis habeamus? Si nim Dominus ad diſcipulos, Nónne, ait, quinque paſſeres

Lucæ 12. neunt dipondio; & vnus ex illis non eſt in obliuione cor Deo? Sed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt. No ergo timere: multis paſſeribus pluris eſtis vos. Quid hac ſent tia mirabilius? quid hac diuina cura prouidentius? Quid ab prouidentia excludi poterit, cùm paſſerculi etiam intra il contineantur? Qui igitur ne minimarum quidem auicula curam negligit, quomodo res hominum, quorum gratia, Sol Lunam, ſydera, cælum, terras, maria, & omnia quæ eorum a bitu continentur condidit, obliuiſcetur? Quomodo res & fo tunas eorum negliget, qui capillos etiam eorundem in nun rato habet? Qui ergo res minimas adeò ſollicitè curat, hum nas negliget? At improbi homines ſic ſe in vita gerunt, vt illu vel dormire, vel quæ noſtra ſunt non videre, aut certè non re re putent. Qua re quid indignius, quid ab immenſa illa boni te & charitate magis alienum?

III.

Verùm Dominus iuſtitiæ ſuæ memor, hoc tantum ne multum eſſe non patitur. Quo autem vltionis genere in ill animaduertit? Hoc certè, vt omnia quæ inconſulto illo gera tur, infeliciſſimos exitus habeant: vt homines qui ſuo tant conſi

consilio nixi res suas moliuntur, magno suo malo intelligant, cuius dementiæ fuerit mundi rectorem atque moderatorem consiliorum suorum participem efficere noluisse. Quàm multas verò huius rei lúctuosas & miserandas tragœdias, passim videmus? Alius summa cura, ac diligentia filiam suam nobili alicui viro locare vult, quæ paucis pòst diebus infelici partu vitam morte commutat; filiolumque relinquit, cuius patrimonij maritus hæres efficitur; atque paulo pòst infante vita functo, totum patrimonium ad eum deuoluitur: atque ita infelix pater, & filiam, & nepotem, & hæreditatem simul cum illis amittit. Alius dum filiam genero diuiti magis quàm probo locat, perditus ille partim chartis & alea, partim largitionibus, meretriciisque amoribus, & patrimonium suum, & vxoris dotem profundit: atque ita & soceri, & filiæ, luctuosissimam & miserrimam vitam efficit. Alius auri fame incensus, ad Indos nauigare decernit; nec nauigationis & bellorum pericula, nec alieni cæli inclementiam hac cupiditatis immanitate victus attendit. Quàm multos autem ex his vel infidum mare, vel sanguinolẽta bella, vel corruptus aër, vel peregrinæ regionis morbus absumit, omniaque eorum consilia & conatus irritos facit? Alius vel ad principis gratiam, vel ad aliquod Reipub. munus & dignitatem, tota auiditate aspirat, qua adepta, se felicem futurum sperat: qui tamen in ea mille curarum, laborum, & periculorum examina inuenit. Iam verò clandestinorum matrimoniorum quotidianas lites, nullum neque exitum, neque finem habentes, in quibus pro pace bellum, pro charitate dissidia, pro diuitiis egestatem, pro quiete turbulẽtissimam vitam deprehendimus, quis enumerare valeat? Alius tota animi contentione patrimonium augere cupit, vt filium natu maximum, opulentissimum relinquat: opibusque suis incubans, vix illas contingere audet; quas deinde prodigus ac perditus filius (qui alieno labore & inedia se diuitem videt) quod parum illi constitit, parum etiam curat, omneque patrimonium in ludo, aleaq. profundit: atque ita miserrimus ille pater, qui tanto suo labore congregauit merces, misit eas in saccum pertusum, dũ eas in luxurioso filio tam malè collocauit. Quam quidem calamitatẽ, grauiter Salomon se laturũ testabatur, si opes magno labore congestas, stulto hęredi relinqueret. Quid verò ea bella commemorem, quæ humano consilio, atque prudentia Reges terræ moliuntur, quibus & se, & suos in maxima discrimina inducunt? Hoc enim consilio Amasias rex Iuda, superbia elatus, quòd Idumæos, vno prœ- Eccle. 2.

lio fudisset, bellū aduersus regem Israëlis mouit, à quo tam
4. Reg. 14 superatus, magnam sibi, populoque suo cladem intulit.

En fratres, his exemplis cernere potestis, quàm multis i
commodis afficiantur, qui sine diuini numinis consilio atq
præsidio res arduas moliuntur. Cùm enim laborant, mini
proficiunt: cùm pugnant, turpissimè vincuntur: cùm ad de
aspirant, ignominia afficiuntur: cùm salutem sibi afferri puta
intereunt. Cur? nisi quia singulari Dei patrocinio, quem
nimia sui confidentia abalienant, deseruntur; atque ita fortu
ludibrio relinquuntur? Vt igitur beatissimi sunt, qui nihil ab
Dei numine aggrediuntur; ita miserrimi sunt, qui à Deo auc
opibus suis innituntur. Aduersum quos per Esaiam tonat D
Esaiæ 30. minus: Væ filij desertores, dicit Dominus, vt faceretis cōsiliu
& non ex me; & ordiremini telam, & non per spiritum meu
vt adderetis peccatum super peccatum. His quidem verbis D
minus amentiam eorum coarguit, qui humanis opibus, se
quid efficere posse confidunt; nec Dei opem valdè implora
dam putant: ideoque operam suam atque omne vitæ studi
sine vllo fructu consumunt. Contrà verò, qui sapienter vit
instituunt, sic eam Dei consilio moderantur, vt nihil audea
nisi de summi Dei sententia decernere, nihilque omnino
ex illius imperio, consilio, & præscriptione moliri. Itaque se
per seipsos excitant ad Dei verbum mente concipiendum: n
aliud in vita meditantur, quàm vt ductum & imperium sum
illius ducis & moderatoris alacres & expediti sequantur: vsq
adeò, vt ne licita quidem, & communi more atque lege conc
sa, aggredi velint, nisi prius in Dei numen inspiciant, ipsu
que auctorem & monitorem habeant. Absq. ductu enim illi
se loco mouere minimè tutum arbitrantur.

Quò vos autem magis miremini, cōsilium hoc (quod ex i
timo Philosophiæ Christianæ sinu depromptum est) Philos
phos etiam gentiles minimè latuit. Quàm multis in locis Pl
tarchus diuinam prouidentiam confitetur! Quàm mirabile a
tem illud, quod Euripidis sententiam, Deum magna curare,
parua relinquere asserentis, emendat dicens: Ego verò fortu
Plutarchus. nihil arbitror permittendum. In eo autem libro quem inscrib
Quomodo se quis cōtra inuidiā laudare possit; Vitari, ait, po
se inuidiam, si benefacta referas in Deum, non in fortunam
Quod consilium Sytho Atheniensium dux secutus esse vid
tur, qui eisdem Atheniensibus ob res feliciter gestas, ipsum ad
mirantibus, & prędicantibus, quòd Cotyn Regem interemiss

Dii

Diis,inquit,habenda est gratia,quibus auctoribus,hoc præclarè gestum est. Nam ipse nihil aliud,quàm manum & operam cōmodaui. Nunc ad vos sermonem verto fratres. Si homines isti fidei lumine destituti, nihilque aliud quàm rationis humanæ scintillam,eamque multis modis obscuratam habentes,tantum diuinæ prouidentiæ tribuebant,vt nihil casui,aut fortunę relinquerent,sed omnia tam parua, quàm magna ab ea curari profitentur: quid nos credere par est, qui fidei lumine instructi, & Prophetarum & Apostolorum, sacrarumq. literarum doctrinis imbuti,omnia quæ in mundo geruntur, ab illo summo mundi rectore, atque Domino dispensari confitemur? Quid enim aliud Prophetarum, quid Apostolorum, quid Euangelistarum literæ vbique resonant,prędicāt,atq. decantant,nisi vt nihil sine Deo moliamur,omnemq. sollicitudinem nostrā in illum proiiciamus, quòd is sollicitā nostri curam gerat? Et tamen cùm hæc ita sint, multos Christianorum videmus, sic se in operibus suis gerere, quasi nullum in terris numen, nullaque humanarum rerum prouidentia sit. Quo quid esse vel indignius,vel demētius,vel magis à fidei nostræ professione alienum potest?

Summa igitur huius tam longæ disputationis in hoc sita est fratres, vt in rebus omnibus quas aggredimur, hæc Petri verba ante oculos ponamus: *Præceptor,per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete.* Quibus verbis admonemur, vt in quouis negotio, Deum nobis ante oculos proponamus; illum consulamus; ab illo toti pendeamus; illum rebus omnibus tam maximis, quàm minimis,prouidentem confiteamur; ab illo fausta omnia atque felicia manare credamus: sine illius ope omnia in diuersum cadere, & infelices frequenter exitus habere profiteamur, & quæ pacem atque quietem animi nobis pollicebantur, curarum, & periculorum materiam nobis ministrare;ac postremò omnes humanos conatus,sine illius præsenti ope,atq. auxilio irritos esse. Hoc igitur à nobis fides,hoc Christiana doctrina, hoc ratio ipsa,atq. humana etiam Philosophia requirit. Ad hoc aūt in rebus quas molimur,diuinū numē & precibus,& ieiuniis,& melioris vitæ studio atq. proposito placare studeamus;illudq. assiduè precari,vt nō pro meritis nostris,sed pro immēsa bonitatis suæ amplitudine nobiscū agere dignetur. Huius autē rei exemplū (vt innumera alia prętereamus) Heraclius Imperator nobis exhibet: qui vbi humanis cōsiliis atq. præsidiis nixus, cū Cosdroe rege Persarū signa cōtulit, magnis cladibus affectus est. At vbi humanis viribus atq. cōsiliis

diffisus, se totum Deo commisit, precibusque & ieiuniis eius o
pem implorauit, cum hoste potentissimo dimicans, clarissima
de eo victoriam, atque triumphum duxit; & Romanum impe
rium, quod penè extinctum erat, in pristinum decus, & gloria
reuocauit. Hoc igitur exemplum intueamur fratres, hac ratio
ne opem Domini nobis conciliare studeamus, ne per totam no
ctem laborantes, vacui prorsus & inanes relinquamur. Sic enim
fiet, vt & in hac vita prosperè nobis omnia cedant, & ad futu
ram, in qua nihil triste, nihil acerbum est, Deo aspirante & ite
nostrum bene fortunante, peruenire mereamur.

IN EADEM DOMINICA IIII. POST PENTECOSTEN CONCIO II.

in qua post Euangelicæ lectionis explanationem vitæ nostræ, morumque corruptio (quam retis ru ptura significat) paulo fusius describitur.

THE. *Concluserunt piscium multitudinem copiosam; rum pebatur autem rete eorum.* Luc. 15.



Odierna sancti Euangelij lectio, dilectissimi, san ctorum Apostolorum Petri & Andreæ fratrum, Iacobi quoque & Ioannis, qui itidem fratres erãt, vocationem cõtinet. Cùm enim illi (vt Matthæus
Matth. 4. & Marcus referunt) in mari Galilææ laxarent re-
Mar. 1. tia sua in capturam, isti verò ea cum Zebedæo patre reficerent, ad Apostolici muneris functionem dignanter à Domino electi sunt. Quod quemadmodum gestum fuerit, quia Matthæus & Marcus breuitatis causa omisisse videntur, Sanctus Lucas in sa cra huius diei lectione describit: simul & miraculum refert, quo ad sequendum Dominum inducti sunt, quamuis in hac sacra lectione nõ hęc solùm vocatio, sed multa etiã mysteria animad uersione dignissima contineantur: quę nos pro tenuitate nostra aspirante Domino explicare conabimur. Ait igitur S. Euang.
Cùm turbæ irruerent in Iesum, vt audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genezareth. Hoc stagnũ aliis nominibus mare Tyberiadis, & mare Galilææ appellatur: cuius & Plinius & Iosephus mentionem faciunt. Post illam autem horum disci-

discipulorum vocationem, quam Matthæus & Marcus referũt, hæc historia à S. Luca descripta esse videtur: in qua discipuli isti relictis omnibus secuti sunt Saluatorem. Cùm igitur Dominus iuxta lacum hunc staret, turbæ in eum irruisse dicuntur, vt audirent verbum Dei. Paululum hîc sistamus. Vulgatissima Philosophorum sententia est, causas omnes, quæ aliquid efficiunt, in materia antè disposita, atque præparata id efficere. Quocircà vellem quidem fratres, initio concionum, auditorum animos ad audiendum præparare; sine qua præparatione frustrà sudamus, frustrà clamamus, frustrà Stentoreas etiam voces in auras iactamus. Quæ mihi causa esse videtur, cur tam parum tot concionibus proficiamus. Qua igitur ad hoc ratione parabimur? Certè (ne ab initio Euangelicæ lectionis recedamus) si ad verbum Dei audiendum more huius turbæ irruamus: quo nomine flagrans, & incitatum turbæ huius desiderium significatur. Ad quam rem nos partim verbi Dei vtilitas, partim necessitas inducere poterit. Vtilitatem quidem magnus ille Dionysius ostẽdit; qui Dei verbum vtilissimis rebus simile facit. Ait namque, verbum Dei aquæ comparari, quia fœcundat: lacti, quia incrementum dat: vino, quia recreat: melli, quia purgat, & cõseruat. Hæc ille. In literis verò sanctis & pani, & igni, & semini, & cælesti pluuiæ, atque rori idem verbum comparatur, quòd similem his rebus virtutem in auditorum animis operetur. Inter hæc autem panis & cibi nomen frequentissimum est. Quemadmodum enim corpora corporeo cibo aluntur, ita piorum animæ spirituali verbi Dei cibo sustentantur & vegetantur. Qua ex re D. August. statum animæ, quæ hoc spirituali cibo non alitur, declarat his verbis: Qualis est caro, quæ post multos dies non percipit cibum; talis est anima, quæ nõ assiduè pascitur Dei verbo. Nec leuius tamen illorum periculum est, qui ita verbum Dei audiunt, vt posteaquàm audierint, vel in eorum moribus, vel in mente nihil resideat. De libro illo, qui Ezechieli Prophetæ ad comedendum traditus est, Angelus ait, Fili hominis, venter tuus comedet, & viscera tua complebũtur volumine isto. Quem locum D. Greg. explanans, Multi (ait) legunt, & ab ipsa lectione ieiuni sunt. Multi vocem prædicationis audiunt, sed post vocem vacui recedunt: quorum & si venter comedit, viscera non replentur: quia & si mente intellectum sacri verbi percipiunt, obliuiscendo & non seruando quæ audierunt, hæc in cordis visceribus non reponunt. Cuius autem periculi sit hoc modo ieiunam mentem & vacuam salutari cibo relinqui, idem

Dionys. Areop.

Simile.

August. Simile.

Ezech. 3.

Gregor.

sanctus apposita similitudine exponit, cùm ait; Verba Dei, qua aure percipitis, mente retinete: cibus enim mētis est sermo Dei: & quasi acceptus cibus à stomacho languente reiicitur, quando auditus sermo in ventre memoriæ non tenetur. Sed quisquis alimenta non retinet, huius profectò vita desperatur. Aeterna ergo mortis periculum formidate, si cibum quidem sanctæ exhortationis accipitis; sed verba vitæ, id est, alimenta iustitiæ in memoria non tenetis. Hactenus Greg. Ex cuius verbis liquet quale periculum sit, verba Dei frequenter audire, nec aliquid audiendo proficere. Sed ad historiam redeamus.

Idem in hom. 15. super Matth. Simile.

Vbi Dominus conscensa Petri nauicula populum docuisset ad Petrum ait: *Duc in altū, & laxate retia vestra in capturam.* Quo verbo Gentium conuersionem, quæ longè distabant, voluit Dominus designare. Cuius rei gratia Esaias monet eleuare signum in populos. Subditque: Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ. Quocirca cùm Dominus rete in altum iactari præcipit, perindè est, ac si Petro Apostolorum principi diceret: Expande Euangelicum rete per vniuersum orbem terrarum. Neminem excipio, neminem à redemptionis & salutis meæ beneficio excludo. Omnes homines condidi; omnes felicitatis & gratiæ meæ participes fieri volo. An Iudæorū Deus tantum? Nónne & Gentium? Imò & Gentium. Duc igitur in altum, & laxate retia vestra in capturam; non piscium, sed hominum: non quæ piscibus insidientur ad mortem; sed quibus homines capiantur ad vitam. Duc igitur in altum, hoc est, in profundum mare. Maris autem nomine mundum intelligi vulgatissimum est. Hoc enim mare tumet per superbiam, æstuat per auaritiam, spumat per luxuriam; varios autem fluctus & motus per varias immundorum spirituum tentationes excitat.

Esaiæ 62.

In hoc igitur mundi mare Dominus laxare retia præcipit in capturam. Rete autem, quo pisces ex hoc mari extrahuntur, non ex humana scientia, aut eloquentia; non ex Philosophorum argutiis, sed ex cælestis doctrinæ verbis, atque diuini spiritus virtutibus, miraculorumque operatione, tanquā ex variis filis contextum erat. Vnde Paulus, Sermo, inquit, meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis; sed in ostensione spiritus, & virtutis; vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Hæc autem Apostolica retia (vt Ambros. ait) homines de profundo maris huius ad lumē extrahunt, fluctuantesque de infernis ad superna traducunt. Qui sunt autem pisces isti, qui in aquarum profundo mersi iacent?

Paulus 1. Cor. 2.

Ambros.

Illi nimirum, qui nunquam oculos in cælum tollunt, qui nullam futuræ vitæ rationem habent, qui se ad sempiternam vitam à Deo fictos, atque formatos esse non meminerunt; qui sola terrena curant, sola captant, sola cupiunt. Quemadmodũ enim aues, cæteraque animantia nihil aliud quàm quæ ad victum necessaria sunt, perpetuò curant: ita isti perinde ac si rationis expertes essent, nihil aliud, quàm terrena bona, quibus corporis vitam tueãtur, omni studio & contentione quærunt. Ad hos igitur ex profundo aquarum gurgite in liberiorem auram extrahendos, Euangelica sagena destinata est. Felices autem illi erũt, quos sagena hæc de profundo criminum & errorum pertrahit ad lucem, è sordido limo ad vitæ puritatem, ex vagis cupiditatibus ad integritatis & innocentiæ studium. Simile.

Cùm ergo Dominus Petro laxare retia præcepisset, ille contrà, *Præceptor*, inquit, *per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete, &c.* His autẽ Petri verbis quantum humana industria à diuina virtute superetur, apertè colligitur. Humana enim industria tota nocte laborans, nihil promouet; virtus autem diuina momento temporis efficit, quod nullo tempore humana facultas, nec multo quidem labore efficere potuisset. Cuius sententiæ veritatem non modò seculi homines in consiliis & actionibus suis; sed spirituales etiam viri, qui se totos diuinarum rerum studio dediderunt, non rarò experiuntur. Sæpè enim per totam noctem in precationis studio laborantes, & ad præsentiam Domini aspirantes, frustrà sibi laborare videntur; dum nullum charitatis feruorem, nullum deuotionis solatium, vel gaudium spiritus inueniunt. Quibus tamen interdum euenit, vt vel non quærentibus desideratus Dominus occurrat, eosque in benedictionibus dulcedinis præueniat, diuinęque consolationis gratia abundantissimè perfundat. In hac igitur rerum vicissitudine vir pius, & infirmitatem suam, & diuinæ virtutis gratiam agnoscit: quorum altero ad humilitatem, altero ad charitatis feruorem proficit. Cùm enim humana mens ita se diuina luce atque custodia nudatam cernit, & tristitię tenebris oppressam, apertè inopiam, atq. imbecillitatem suam agnoscit. Cumq. rursum videt hæc diuina solatia interdũ quęsita diffugere, & nõ quæsita freqũeter redire, facilè intelligit ea nõ tã humanę industrię opera, quã diuinę largitatis esse beneficia. Quod enim ægrotis aliquãdo euenit, vt cũ in lecto molliter strato somnũ capere nõ possint, extra lectũ positos vel nolẽtes somnus opprimat: idẽ freqũeter piis accidit, vt eos spiritualẽ Simile.

hunc

huncanimæ somnum captare volentes quandoque fugiat, qui tamen sese interdum non sequentibus ingerat. Quorum alterum humanam infirmitatem, alterum diuinam gratiam facilè declarat; quæ se vltrò vel nõ quærentibus offert. Aequũ enim erat, & diuinæ bonitati consentaneum, vt quoniam Dominus consolationis huius gratiam aliquando subtrahit sine eorum delicto, eam quoque sine eorum merito sæpè largiatur. Rectè ergo hoc tempore pius homo dicere poterit, Domine per totam noctem laborans, ne vnam quidem spiritualis gaudij scintillam intra me sentire potui: at nunc dono tuo præuentus, sine vllo meo labore eandem cumulatissimè percepi.

Vbi igitur Petrus ex præcepto Domini retia laxasset, tantam pisciũ vim conclusit, vt duas nauiculas piscibus repleret. Quibus nauiculis sancti patres hoc in loco duas hominũ nationes, Iudæorum videlicet, atque Gentilium, ex quibus vna Ecclesia constat, intelligi volunt. In hoc enim Christus Dominus in mũdum venit, vt pacem annunciaret his qui propè, & his qui longè; vt duos conderet in semetipso in vnum nouum hominem populos, faciens pacem. Idemque medium parietem legis, qui inimicitiarum causa erat, dissoluens, amicitiam inter ipsos conciliauit. D. verò Hieron. Dominum Crucis suæ titulo, qui Hebraicis, Græcis, & Latinis literis inscriptus erat, has tres præcipuè nationes Hebræorum, Græcorum, & Latinorum fidei suæ dedicasse ait. Quocircà fratres sic nos gerere debemus, vt inimicitias horum populorum, quas Dominus in corpore suo interfecit, nullo modo foueamus; sed multo magis charitatis officiis, & virtutum exemplis ad communis Domini obsequium inducere studeamus. Quod contrà multi faciunt; qui tunc putant se obsequium præstare Deo, cùm maleficiis, aut maledictis infirmos in fide prosequuntur: quæ res à Christiana charitate & diuinæ gloriæ studio alienissima est.

Ephes. 2.

Hieron.

Vt igitur Petrus post tantam piscium sterilitatem, tantam eorundem copiam repentè vidisset, vt duæ nauiculæ ita piscibus complerentur, vt penè mergerentur, ad genua Iesu stupefactus procidit, dicens: *Exi à me Domine; quia homo peccator sum.* Qua in re Petrus magnam animi sui humilitatem ostendit, dum inspecto miraculo Christi dignitatem agnoscens, suæque memor indignitatis Domini à se discessum precabatur, indignũ se eius consortio, atque præsentia reputans. Huius verò reuerentiæ causam Euangelista expressit, cùm ait, *Stupor enim circũdederat eum, & eos qui cum eo erant, in captura piscium quam ceperant.*

His

His autem verbis apertè liquet quo animo Petrus Dominum à se discedere precaretur. Nõ enim eius consortium refugiebat, quem vnicè diligere cœperat; sed propter vehementem illam virtutis eius admirationem, quam ex patrato miraculo conceperat. Porrò hic stupor, typus quidam fuit stuporis, postea secuturi ex Euangelicæ piscationis vbertate. Quis enim non obstupesceret, considerans paucorum hominum, eorundemque ex infima vulgi fæce selectorũ prædicatione, tot hominum millibus ex vniuersis orbis nationibus intra paucos annos fuisse persuasum, vt contemptis cognatorum affectibus, contempto rei familiaris dispendio, spreto ritu paterno, despectis minis principum, spretis suppliciis ac morte ipsa, simplicem Christi doctrinam sequerentur, credẽtes ea, quæ humanis rationibus probari non possunt; sperãtes ea, quæ iuxta naturæ vires planè sunt desperanda? Quis autem huius miraculi fructus extiterit, declarat protinus Euangelista cùm subdit; *Et subductis ad terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eum.* Hinc patet mira Dominicæ vocationis virtus & efficacia, & mira item discipulorum fides, & obedientia: qui nihil cunctati, mox vocantem Dominum secuti sunt, nihil de Dominica promissione, quamlibet sublimi diffidentes, nihilque solliciti, qua ratione vitam inopem sustentare possent: se namque totos vocantis prouidentiæ, & potestati permittentes, *Relictis omnibus secuti sunt eum.* Hactenus de Euangelica lectione. Nunc propositam thematis sententiam excutiamus.

TRACTATIO THEMATIS.

I.

Concluserunt piscium multitudinem copiosam. Rumpebatur autem rete eorum. Hac piscium multitudine, fœcunditatem, vbertatemque Euangelicæ prædicationis significari diximus: quam prophetæ omnes vno ore pronunciarunt. Hinc apud Esaiam cælestis pater filium suum his verbis alloquitur: Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israël conuertendas. Dedi te in lucem Gentiũ, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Esaiæ 49. Et regius Vates, Reminiscentur, ait, & cõuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ, & adorabunt in Psal. 21. conspectu eius vniuersæ familiæ gentium. Ante hanc igitur Euangelicam piscationem, tanta erat bonorum raritas, vt per Prophetam Dominus diceret; Dominus de cælo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens, aut requirens Psal. 13. Deum. Omnes declinauerunt; simul inutiles facti sunt. Nõ est

qui faciat bonum, non est vsque ad vnum; & cætera quæ sequũtur: quæ Apostolus in Epistola ad Romanos, non de ethnicis, sed de iis qui sub lege erant, intelligenda esse apertissimè docet. At vbi sagena Euangelica in hoc etiam populo immissa est, vno quidem iactu Petrus tria millia, alio verò quinque millia hominum intra rete conclusit: quorum erat cor vnũ & anima vna in Domino. Verè ergo Petrus hoc tempore Prophetarum nomine dicere potuit; *Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete.* Et quidem noctis nomine, Legis tempus: diei autem, Euangelij gratiam significari A-
Rom. 13. postolus ait. In hac ergo nocte Prophetæ laborantes, nihil penè ceperũt. Quòd apertè Dominus per Hieremiam testatur, cùm
Hiere. 5. ait; Circumite vias Hierusalem, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, &
Idem 9. propitius ero ei. Idemque rursus, Quis dabit me in solitudine diuersorium viatorum, & derelinquam populum meum & recedam ab eis: quia omnes adulteri sunt, & cætus præuaricatorum? Videtis quanta hîc fuerit sterilitas bonorum! At in Euangelicum rete, innumera piorum hominum multitudo ex omnibus mundi regionibus collecta, ingressa est.

Hoc autem miraculum (sic enim appellare modò liceat) in aliis Ecclesiæ temporibus animaduertere licet. At quàm multi hodie concionatores in toto orbe Christiano euangelizandi munere fungantur, nemo nõ nouit. Quàm pauci verò sint, qui tot vocibus atque clamoribus (quibus templa omnia vbique resonant) ab improbitate ad pietatem & iustitiam traducantur, penè digito indicare poterimus: vt verè quoque nos cum Petro dicere valeamus: *Præceptor, per totam noctem, atque adeò per totam vitam laborantes, nihil ferè cepimus.* At nostro seculo Beatissimum Pater Vincentius in verbo Domini laxauit rete, miramque in eo piscium multitudinem conclusit. Vt enim alia prætereamus, meretrices, lenones, piratas, vsurarios, blasphemos, atque id genus profligatissimos homines, ferè quadraginta millia ab inueteratis sceleribus ad Deum ita conuertit, vt publicam pœnitentiam flagellis terga cędentes, agere non erubuerint. Iudæorum quoque supra viginti quinque millia ad Christi fidem, Iudaica superstitione abiurata, traduxit. Sarracenorum quoque (qui in abominanda illa secta obstinatis animis persistebant) octo millia ad fidei sinceritatem traxit, & sacri baptismatis lauacro expiauit. Tantamque verbis eius vim diuina gratia concessit, vt multi ex publicis peccatoribus verborum eius

eius fulmine icti, adeò stupefacti & velut extra se positi fuerint, vt in medio auditorum conuentu sublato clamore, grauissima etiam peccata confessi fuerint. Verè igitur sanctissimus hic Pater in verbo Domini laxauit rete: qui magis continuis lachrymis & precibus, clarissimisque virtutum exemplis, & flagrantissimo fraternæ salutis amore, quàm humano studio hoc negotium vrgebat: cuius piis conatibus cælestis ille Spiritus puritatis & charitatis amator deesse non poterat. At nos, qui ab iis studiis lōgè distamus, qui humano studio magis quàm Deo innitimur, qui non ita fraternæ salutis desiderio ardemus, per totam noctem laborantes, vix vnum piscem, hoc est, vix vnum improbum hominem, à scelerata vita ad veram pœnitentiam trahimus.

Sed vt ad Petri piscationem redeamus, tantam piscium multitudinem vno illo retis iactu in verbo Domini cepit, vt ipsum rete rumperetur. Quam rupturam D. Augustin. nequaquam mysterio vacare docet. Hac enim ruptura, quæ ex piscium multitudine contigit, carnalium hominum multitudinem intelligit: quæ post Euangelij promulgationem Ecclesiæ rete intrauit. Creuit enim Ecclesia, creuit minimum illud sinapis granum, & in arborem ingentem euasit; quæ ramos suos per vniuersum terrarum orbem expandit. Hæc autem Ecclesiæ prosperitas, in qua cum bonis piscibus mali quoque Euangelicum rete compleuerunt, rupturæ huius occasio fuit. Solent nauigaturi secundam auram desiderare: quæ tamen vbi vehementior fuerit, in periculum coniicit nauigantes. Arborum quoque rami nimia fructuum vbertate grauantur, atque franguntur. Prosperitas namque vbi modum excessit, periculo non vacat. Hoc idem autem Ecclesiæ euenisse videmus: cui prosperitas ipsa atque fecunditas huic rupturæ occasionem dedit. Idem igitur Ecclesiæ, quod populo Romano obtigisse apparet: quem scriptores gentium referunt, ipsa sua magnitudine, imperiique amplitudine laborasse: eidemque populo Romano melius negotium quàm otium committi; hoc est, maiorem illi felicitatem assidua bella, quàm longam pacem attulisse. Hoc ipsum autem Ecclesiæ contigisse Nicephorus testatur his verbis: Pace ipsa nobis bellum vtilitatem affert maiorem: propterea quòd tentationes ipsæ, vt Ecclesia magis refulgeat, efficiunt. Pax enim molles nos, desides, & timidos reddit; bellum autem cùm animos nostros acuit, tum rebus præsentibus nos affligi non patitur, sed vt eas despiciamus, & fluxa

[Margin notes: August. (beside "rumperetur. Quam rupturam D. Augustin."); Simile. (beside "nauigaturi secundam auram"); Simile. (beside "hementior fuerit ... Arbo-"); Niceph. (beside "attulisse. Hoc ipsum ... Nicephorus")]

& fluxa hæc atque caduca pro nihilo habeamus ſuadet. Hacte-
Hieron. nus ille. Idem etiam D. Hieronymus in vita Malchi captiui
monachi confirmat: qui ſe Eccleſiaſticam hiſtoriam ſcripturum
profitetur: in qua hoc ipſum apertiſſimis exemplis doceat. Sic
enim ait: Scribere diſpoſui (ſi tamen Dominus vitam dederit)
ab Aduentu Saluatoris vſque ad noſtram ætatem: id eſt, ab A-
poſtolis vſque ad huius temporis fęcem; quomodo, & per quos
Chriſti Eccleſia nata ſit, & adulta: perſecutionibus creuerit,
martyriis coronata ſit: & poſtquam ad Chriſtianos Principes
venerit, potentia quidem & diuitiis maior, ſed virtutibus minor
facta ſit. Hactenus Hieronymus. Ex cuius verbis, qualis catholi-
cæ Eccleſiæ proceſſus fuerit, intelligimus.

Hæc igitur Eccleſiæ amplitudo & opulentia quę nos ad diui-
nas laudes excitare meritò debuiſſet, carnalibus hominibus am-
bitionis, auaritiæ, atque deliciis non quidem cauſam, ſed occa-
ſionem dedit. Quo magis autem hi morbi creuerunt, hoc
magis Eccleſiæ fœcunditas, tot hæreſûm monſtris quotidie ſuc-
creſcentibus, decreuit, & ad hanc fidelium paucitatem, quam
nunc cernimus, deuenit. Ex tribus enim mundi partibus, quas
Geographi diſtinguunt, Europa, quæ minor eſt, ad Eccleſiam
pertinet. Ex qua (prôh dolor) maximam partem hæretici, ne
minorem perfidi Turcæ occupauerunt. Itaque nobilis illa Cõ-
ſtantinopolis, noua Roma dicta, (quæ Chriſtiani Imperij ſedes
erat) in immaniſſimi hoſtis Chriſti Turcarum Principis ſedem
imperij ceſſit. Quòd ſi filij Iſraël tam multis lachrymis vnius
tribus Beniamin internecionem proſecuti ſunt; quibus nos la-
chrymis hanc imperij noſtri gloriam ad Chriſti hoſtes tranſla-
tam proſequi par eſt? Sed quid ego vnius vrbis ruinam deploro;
cùm tota Græcia, cùm tota penè Aſia & Africa à Romano im-
perio ſubducta, barbarorum & infidelium principum imperio
additæ ſunt?

Erunt qui huius adeò miſerandæ & luctuoſæ Tragœdiæ cau-
ſam quærant. Hoc planè diuinare opus non eſt; cùm omnis ſcri-
pturarũ conſenſus, cladium humanarum cauſam in superni iu-
dicis iram hominũ ſceleribus irritatam coniiciat. Hinc Eccleſia-
Eccli. 40. ſticus; Mors, inquit, ſanguis, cõtentio, rhomphæa, oppreſſiones,
fames, contritio, & flagella propter iniquos creata ſunt hæc, &
propter illos factus eſt cataclyſmus. Cataclyſmi autem nomine
diluuium intelligit, quo ſummus ille iuſtitiæ amator Dominus
prauorum hominum ſceleribus offenſus, quicquid in orbe erat,
inundantibus aquis ſubmerſit, extinxit, atque ſempiterna obli-
uioni

uione sepeliuit. Quo supplicij genere qui diuinæ iræ magnitudinem & odium, quo peccatum prosequitur, non agnoscit, non video quo alio argumento hæc ipsa intelligere valeat. Verùm his Ecclesiastici verbis, non diluuium illud modò, sed omnes terrarum vastationes, omnes regnorum & prouinciarum euersiones, cruenta bella, diras fames, & pestes, cæteraque omnia mundi naufragia ab æquissimo illo mundi iudice atque rectore, propter hominum scelera immissa esse intelligimus.

Verùm hæc exterarum gentium supplicia communia sunt. Quid hîc electum Dei populum, quid eius hæreditatem, atque peculium, quid Patriarcharum & Prophetarum filios commemorẽ (quos Dominus ab Aegyptiaca seruitute tot editis signis atque prodigiis liberauit; quibus legem digito suo scriptam dedit; quos ipse die noctuque in columna ignis & nubis præcedebat, & castrametandi loca designabat) quid inquam his euenit, vbi peccatum intercessit? Primùm quidem ex duodecim tribubus, vndecim ferè ab eo derelictę, repulsæ, vastatæ, & sempiterna captiuitate (à qua nunquam redemptę fuêre) mulctatæ sunt. Qua de re sic idem Ecclesiasticus eorum sceleribus cõmemoratis ait, In omnibus his non pœnituit populum, & non recessérũt à peccatis suis, vsq. dum eiecti sunt de terra sua, & dispersi in omnem terram, & relicta est gens perpauca, & princeps in domo Dauid. Hæc ille. Gentem autem paucam, vnam tribum Iuda cum rege suo intelligit; quæ & ipsa propter eadem crimina vastata, & in captiuitatẽ abducta fuit. Itaque sancta illa ciuitas à Deo electa, vt esset nomen eius ibi, & augustissimum illud atque celeberrimum toto terrarũ orbe templum, & (quod maius est) tabernaculũ, & arca testamenti diuino consilio & arte fabrefacta, & propitiatorium aureum, vnde ipse responsa dabat, & legis ab eo descriptæ tabulæ, & sacra templi vasa, omnia hæc ab immanissimis hostibus partim direpta, partim prophanis vsibus addicta, partim incensa, diruta, & solo æquata fuêre. Deniq. eò calamitatis magnitudo processit, vt Propheta longè ante illam dixerit; Sion quasi ager arabitur, & Hierusalem erit in aceruum lapidum, & mons domus Domini in excelsa syluarum. Quid igitur his calamitosius, quid funestius & luctuosius? Hanc autẽ adeò miserandam ciuitatis sanctæ ruinam, Propheta in Psalmo deplorat his verbis: Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam: polluerunt templũ sanctum tuum: posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam. Quid deinde? Posuerunt, ait, morticina seruorum tuorum, escas volatilibus cæli, carnes

Eccli. 48.

Hiere. 26. & Mich. 3.

Psal. 78.

ſanctorum tuorum beſtiis terræ. Quantus igitur hac calamitatis magnitudine furor Domini, quantaque rurſum peccati grauitas & malitia perſpici poteſt?

Accedit ad infelicitatis cumulum, hæc omnia (Deo ita iniurias ſuas vindicante) ſic geſta fuiſſe, vt nec liberum quidem miſeris fuerit, hanc tantam regni atq. templi ſui ruinam præ ſtuporis magnitudine deplorare. Quam rem Dominus mira quadam & inſolita ratione per Ezechielem voluit adumbrare: cuius hoc in loco verba ſubiiciam. Fili hominis: Ecce ego, inquit, tollo à te deſiderabile oculorum tuorum in plaga: & non planges, neque plorabis, neque fluent lachrymæ tuæ. Ingemiſce tacens, mortuorum luctum non facies: corona tua circumligata ſit tibi, & calceamenta tua erunt in pedibus tuis, nec amictu ora velabis, nec cibos lugentiũ comedes. Locutus ſum ergo ad populum manè, & mortua eſt vxor mea veſperè: feciq; manè ſicut præceperat mihi Dominus. Et dixit ad me populus, Quare non indicas nobis quid iſta ſignificent, quæ tu facis? Et dixi ad eos: Sermo Domini factus eſt ad me dicẽs: Loquere domui Iſraël: Hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego polluam ſanctuarium meum, ſuperbiam imperij veſtri, & deſiderabile oculorum veſtrorum, & ſuper quo pauet anima veſtra: & filij veſtri, & filiæ veſtræ, quas reliquiſtis, gladio cadent. Et facietis ſicut feci. Ora amictu non velabitis, & cibos lugentium non comedetis, coronas habebitis in capitibus veſtris, & calceamenta in pedibus: non plangetis, neq. flebitis, ſed tabeſcetis in iniquitatibus veſtris, & vnuſquiſque gemet ad fratrẽ ſuum. Eritque Ezechiel vobis in portentũ: iuxta omnia, quæ fecit, facietis cùm venerit iſtud: & ſcietis, quia ego Dominus Deus. Hactenus Prophetæ verba. Vnde igitur hæc omnia fratres? Non dubiũ quin ex peccati malitia, & grauiſſimo odio, quo illud ſumm⁹ probitatis amator deteſtatur.

Ezech. 24.

II.

His ita conſtitutis, facile erit propoſitæ quæſtioni reſpondere, cur videlicet ex tanta illa Chriſtiani imperij amplitudine (qua per vniuerſum terrarum orbem Eccleſia dilatata fuerat) ad hanc paucitatem, quam modò cernimus, redacta ſit, vt veluti in angulo quodam incluſa apud nos lateat. Ac niſi Saluatoris noſtri certiſſima illa promiſſione niteremur, qui adeò ſtabile Eccleſiæ fundamentum ſe poſuiſſe affirmauit, vt portæ inferi præualere aduerſus eam nunquam poſſent, maximè verendum eſſet, ne hoc tempore tot vndique hoſtibus obſeſſa, tot machinis tentata & oppugnata concideret. Vndè igitur hæc tanta calamitas?

mitas? vndè hæc tam magna catholicę fidei naufragia? Quis dubitare queat, hæc omnia peccatis hominũ irrogata fuisse? Idem enim modò Deus est, qui mutari non potest, quique non modò cæteras gentes, sed dilectum etiam & ex cunctis nationibus electum populum, propter peccata sic afflixit, euertit, atque vastauit: quid ergo mirum est, si nouum etiam Christianorum populum similia peccantem, simili modo afflixerit? Quid enim minus nos modò quàm illi delinquimus? Quando enim magis auaritia & cupiditas inter homines flagrauit, quando maior ambitionis ignis exarsit, quando magis inuidiæ, odij, & detractionis pestis increuit; quando plus delitiis homines dissoluti fuêre; quandò periuria & blasphemiæ in Deum, sanctosque sic inundarunt? Quando fides magis obscurata fuit, quando charitas magis refriguit, quando sui amor (quod malorum omnium seminarium est) ardentior extitit? Quis proximorum obscuratam famam resarcire curat? Quis auersas, aut malè partas opes restituere? Quis eruditũ confessarium, hoc est, animæ suæ medicum quærit: qui vulneribus salutarem medicinã adhibeat? Quis recolit se esse mortalem, & habere se iudicem, cui sit statim à morte totius vitæ ratio reddenda? Quis aliquando aut à quo sit conditus, aut in quem finem conditus, & in hunc mundum missus in silentio animæ suæ recogitat? Quis diuina beneficia, ac præcipuè incarnationis, & passionis Dominicæ, eiusque causam ad mentem reuocat? Quis magis virtutem quàm pecuniam diligit? Quis magis Dei, quàm hominum iudicia veretur? Quis diligentius diuinam voluntatem, quàm suam implere satagit? Quis maiorem sempiternæ vitæ, quàm momentaneæ huius rationem habet? Quis studiosius immortalis animæ suæ, quàm perituri corporis curam gerit? Sed, quid singula persequor, cùm in nostris quoque moribus cernere liceat, quod Seneca in ethnicis fuisse describit? Sic enim ad Lucil. Cùm videris, inquit, forum multitudine refertum, & septa concursu omnis frequentiæ plena, & illum circum, in quo maximam sui partem populus ostendit, hoc scito, isthic tantundem esse vitiorum, quantum hominum. Inter istos, quos togatos videt, nulla pax est; alter in alterius exitium leui compẽdio ducitur. Nulli nisi ex alterius damno quæstus est: felicem oderunt, infelicem contemnunt: maiore grauantur, minori graues sunt: diuersis stimulantur cupiditatibus; omnia perdita ob leuẽ voluptatem, prædamq. cupiunt. Ferarum iste cõuentus est, nisi quòd illæ inter se placidæ sunt, morsuq. similium abstinẽt;

Seneca ad Lucil.

 si mutua

si mutua laceratione satiantur. Hactenus ille.

Verùm inter hæc ipsa mala, tria potissimum esse video; qu
totum penè Christianum orbem obsederunt; ex quibus innu
mera alia oriuntur: nempè immoderatus vestium cultus, cibo
rum delitiæ, & cartharum ludus. Quorum quidem malorum
primùm nō modò nobilium domos, atque familiam, sed etiam
plebeios sic occupauit, vt vxores eorum, qui manibus victu
quærunt, regio magis quàm plebeio cultu & habitu ornatæ
deantur. Iam enim sericæ vestes contemptui habentur, nisi
arte fiant, vt materiam ipsam superet opus. His igitur vestib
quotidie alia atque alia forma renascentibus, quod patrimon
satis esse poterit? Quid verò nobilium potentumq́. mēsas refe
ram, in quibus exiguo ventri, qui nobis naturæ beneficio con
git, tam multa ac varia fercula ex longinquis regionibus adu
cta ministrantur? Et cùm vna sylua multis elephantis abun
sufficiat, horum angusto ventri terra simul, maria, & flumi
seruiunt. Quid verò hîc ministrantium, & mensæ eorum se
uientium, pincernarum, atque coquorum numerū recenseam
Seneca. vt rectè Seneca demiratus dixerit, Dij boni, quantū homin
vnus venter exercet! Quid autem turpius, quàm in huiusmo
comessationibus tot opes multis profuturas, insumere? I
verò quæ patrimonia tam ampla sunt, quæ non cartharum,
alearum ludus exhauserit, hominesq́. ditissimos vel ad inopi
redegerit, vel ad grande æs alienum conflandum impulerit?

Cùm autem hæc tria mala, quæ commemorauimus, grand
sumptus, opesque requirant, vixque vlli redditus tot sumptib
pares esse possint, vt huius tricipitis Cerberi famem sedare va
leant, cupiditasque nostra eò prouecta sit, vt quæ superuacan
sunt, iudicet necessaria; quid quæso ex his consequi potest, ni
vt auaritia velut fera quædam vinculis soluta, omnia diuina,
humana violet, iura cuncta peruertat, leges infringat, in fortu
nas pupillorum & pauperum inuolet, iustitiam impugnet, iu
dices corrumpat, aduocatorum patrocinia vendat, scribarum, a
testium linguas, manusque venales habeat? Sic fit, vt hoc etiam
Hierem. 6 tempore propheticum illud vsurpare possimus: A minore vsqu
Esaiæ 1. ad maiorem, omnes auaritiæ student. Et illud item, Princip
tui infideles, socij furum: Omnes diligunt munera, sequuntu
retributiones; pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingredi
tur ad illos. Quid enim aliud ij faciunt, à quibus & vestium, &
ludorum, & delitiarum atque ambitionis immoderantia & do
mina gula tam magnos sumptus requirunt? Et quidem mal
hæc

hæc omnes & agnoſcimus & damnamus ; à quibus tamẽ curari nolumus ; vt meritò in noſtros quoque mores cadere poſſit, quod eſt ab ethnico auctore de corruptis ætatis ſuæ moribus dictum, Nec vitia iam noſtra, nec remedia pati poſſumus: Omnes enim temporum noſtrorum inſolentiam, ſuperbiam, faſtum, luxum, immoderatos menſarum ac veſtium ſumptus, immenſaſque collocandarum filiarum dotes accuſamus: quorum tamen malorum medicamenta & remedia pati nolumus. Quid igitur hoc eſt, niſi ad extremum malorum omnium perueniſſe. T. Liuius.

Qua ex re aliud quoque incommodum non minus refugiẽdum naſcitur. His namque immoderatis ſumptibus nobiles viri, non ſolùm patrimonia profundunt, ſed grande etiam æs alienum conflant: quo nõ modò ſe, ſed liberos etiam, atque adeò nepotes in manifeſtum ſalutis diſcrimen coniiciunt: cùm reclamantibus vel creditoribus, vel famulis, pecuniamque ſibi debitam exigentibus ſatisfacere nequeant. Quin & pręcipuam ſalutis viam præcludere ſibi videntur, quæ maximè in eleemoſynarum benignitate poſita erat. Cùm enim principes ac nobiles viri monaſticę vitæ labores, ieiunia, vigilias, & alia, quæ ad corporis macerationem pertinent, exercere minus plenè poſſint, hæc præcipua ſalutis via illis reliqua erat, vt opulẽtia ſua pauperum miſerias ſubleuãtes, miſericordiam Domini impetrarent. Scriptum quippe eſt, Redemptio animæ viri, diuitiæ ſuæ. Et Dominus in Euãgelio (vt quidam interpretãtur:) Quod ſupereſt, inquit, date eleemoſynam: & ecce omnia mũda ſunt vobis. Hoc enim benignitatis & miſericordiæ officio Daniel Babylonis regi ſuadebat, vt impendẽtem iram Dñi à ſe repelleret. Nõ enim dixit ei, Indue ſaccum, ſede in cinere, ieiuniis corpus macera, terga verberibus cæde, nudis pedibus ingredere: hæc enim omnia à regio ſplendore & maieſtate aliena ſunt: Sed quid ait? Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum. Quid verò facilius, magiſque in promptu poſitum remedium, quàm vt qui opibus ſupra cæteros abundant, ex magno aceruo aliquid ſubtrahant, quod indigentibus largiãtur. Sed ò miſerandam rerum commutationem; qui opum abũdantia ſalutem ſibi parare debuiſſent, eò deuenerunt, vt inopia conſtricti, non modò nihil habeant, quod pauperibus erogent, ſed etiam grandi ære alieno & ſe & liberos ſuos opprimant, & impotentes ad ſoluenda debita reddant: atque ita demum inopia eos in ſempiternam miſeriã præcipitet, qui diuitiarum affluentia ſempiternam vitam mercari debuiſſent. Quo quid eſſe

Prou. 13.
Luc. 11.
Dan. 4.

magis miserandum magisque præposterum potest?

Cùm igitur, (vt iam propositæ quæstioni respōdeamus) ta
multa in populo Christiano scelera grassentur, cùm vsque ad
auaritia, iniustitia, ambitio, gula, fastus, luxus, delitiæ, immod
rati sumptus, & (quod est maximè dolendum) impudicitia, in
munditia, lasciuia, quæ ex delitiis & immoderato cultu corp
rum oriuntur, Hispaniam, Galliam, Italiam, atq. Germani
adeò vehementer oppresserint, quid miramur supernum ill
& æquissimum iudicem tot sceleribus offensum, tantas in
calamitates immisisse, tam magnamque populi sui partem i
manissimorū hostium suorum imperio subdidisse, Ecclesiam
Hieron. in epitaphio Nepotiani. ad tantam fidelium paucitatem redegisse? Hinc D. Hierony
Nostris, inquit, peccatis, Barbari fortes fiunt: nostris vitiis R
manus superatur exercitus. Infelices nos, qui tantùm displi
mus Deo, vt per rabiem Barbarorum illius in nos ira desæu
Hoc est, igitur fratres, quod nobis hæc retis ruptura, quæ ex
scium multitudine prouenit, apertè designat; varias videli
Ecclesiæ calamitates, atque ruinas, quę ob carnalium homin
multitudinem, qui eam ingressi sunt, euenerunt: vt non imm
Esaiæ 1. ritò quoque nos cum Propheta dicere possimus: Nisi Domi
exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissem
& quasi Gomorrha similes essemus. Sed hoc tamen cæleste
men in Ecclesia semper erit: aduersus quam portę inferi præ
lere nunquàm poterunt. Quid igitur superest fratres, nisi vt
bis cum Apostolo Petro dicant, Saluamini à generatione
Actor. 2. Psal. 11. pessima. Et vt cum Propheta ad Dominum clametis, Saluu
me fac Deus, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutę su
veritates à filiis hominū. Sic enim fiet, vt pius Dominus vest
precibus & officiis placatus, ab hac tanta improborum hom
num colluuie beneficio suo secretos, non cum multis sempite
ni ignis suppliciis addicat, sed cum paucis qui ipsum super om
nia diligunt, ad sempiternæ felicitatis portum, placidamque li
toris stationem felici cursu perducat.

PRAEFATIO IN DVAS SEQVENTES CONCIONES.

IN sacra huius diei lectione Dominus acriter aduersus ira
pugnat: ex qua cùm variæ iniuriæ, tum homicidia, & mul
alia mala oriuntur. De hoc autem morbo grauissimi auctor
Seneca, & Plutarchus integra volumina scripserunt: in quibu
tum mala, quę ex ira consequūtur, tum remedia aduersus illa
dili

diligentissimè persecuti sunt: ad quæ studiosum concionatorem remittimus. Multa namque in eis scitu dignissima deprehendet. Nos tamen ne illum tanto labore grauaremus, ex ea sylua insigniores sententias, quę instituto nostro magis aptę videbantur, elegimus, easque in ordinem disposuimus. In priori namque concione, post lectionis Euangelicæ explanationem, mala quæ ex ira consequuntur, explicauimus, vt odium aduersus eam excitaremus; quod non leue huius morbi remediũ est. In posteriori verò, post eandem lectionis enarrationem, alia eius remedia ex eisdem auctoribus collecta describimus.

DOMINICA QVINTA POST PENTECOSTEN CONCIO PRIMA: IN qua post Euangelicæ lectionis explanationem, vt præfati sumus, præcipua mala & incommoda, quæ ex iræ morbo consequuntur, explicantur.

THE. *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Matthæi 5.



VT singularem sacræ huius lectionis doctrinã intelligere valeamus fratres, pauca mihi ante eius initium repetenda sunt. Sciendum igitur est, salutis nostræ auctorem Dominum Iesum, in hunc nostrũ orbem descendisse, non solùm vt humani generis redemptor, sed etiam vt cælestis Philosophiæ doctor & legislator esset. Hinc Esaias, Dominus, inquit, rex noster, Dominus legislator noster. Porrò autem quemadmodum Moses veterem legem populo laturus, quadraginta diebus in monte Sinai ieiunus permansit: ita Christus Dominus nouam legem mundo prædicaturus, totidem diebus in deserto ieiunauit: Deinde discipulis aliquot electis, in editum montem conscendens, ibique neque fulguribus, igne, atque fumo, sonituque tubæ illos, vt olim Iudæos in monte Sinai, perterrefaciens (vtpote qui nõ timoris, sed dilectionis legẽ ferebat) medius inter discipulos sedens, sermonem habuit clarissimum: in quo Euangelicæ legis perfectionem & puritatem aureo suo illo ore explicauit.

Et quoniam principem in Ecclesia locum pastores & prælati obtinent (quorũ fidei, atq. solicitudini plebs commissa est) hos

primo loco docet; asserens eos in hoc à Deo positos esse, vt essent sal terræ, lux mundi, ciuitas in edito loco posita, atque virtutum omnium exemplaria: quorum eximia sanctitate cæteri homines non solùm ad imitandum, sed etiam ad laudandum Deum inducerentur.

Matth. 5.

Deinde errorem, quem nonnulli de Messiæ aduentu concipere poterant, refellit. Cùm enim in eius aduentu aliud sacerdotij genus secundum ordinem Melchisedech, non secundum ordinem Aaron expectarent (translatoq. sacerdotio, legis quoq. translationem, vt Apostolus ait, secuturam sperarent) ac deinde per Hieremiã Dominus aliud pacti genus polliceretur, non secundum pactum, quod cum patribus eorum pepigisset, vbi eos ab Aegypto eduxit, hinc occasionem arripere quidam potuerunt, vt crederent Dei legem in aduentu Messiæ, vel immutandam vel abolendam esse. Hunc igitur errorem Dominus in hoc ipso sermone conuellit, cùm ait; Nolite putare quoniam veni soluere legem, aut prophetas: non veni soluere, sed adimplere. Hoc est, tantum abest, vt meo aduẽtu latæ olim legis moralia præcepta abolenda sint: vt ea etiam nouis accessionibus, nouisque consiliis perficere & stabilire debeam. Quo in loco obseruandum est, omnem humanæ vitæ salutem, felicitatem ac opes omnes in timore Domini, atque diuinorum mandatorum obedientia sitas esse. Vnde Dominus adolescenti quid sibi facto opus esset ad vitam æternam capessendam interroganti, diuinorum mandatorum obedientiam aditum ad eam esse dixit. Cùm igitur cælestis magister hoc intelligeret, omni nos ratione ad hanc ipsam obedientiam inducere conatus est. Vnde, quemadmodum ij, quibus arcis alicuius custodia à regibus cõmissa est, non modò fortissimis eam muris cingunt, sed altissimis etiam fossis & antemuralibus sepire solent, quæ muros ab iniuria tutos conseruent: ita cælestis magister in noua lege Euãgelicis consiliis diuinas leges, quæ velut muri, atque custodes vitæ nostræ sunt, munire voluit: vt consilia hæc castè, integreq. seruata diuinæ legis murum à ruina tutum conseruarent. Subiiciamus huius rei exempla. Decalogi lex ab omni periurio nos arcet. At Christus Dominus in Euangelio ab omni nos iuramento sine necessitate cauere monet. Odium quoq. in fratrem lex diuina vetat; quod quidem litibus & contentionibus irritatur. At Dominus in Euangelio tunicam petenti, pallium etiam tradere suadet: quo animus ab omni contentionis studio liber, ab odio, atque iniuria quàm longissimè absit. Sic etiam lex homici-

Hebr. 7.
Hiere. 31.
Matth. 5.
Simile.

micidium prohibet. At Saluator in Euangelio iram etiam cohibet, quæ viam vel ad homicidia, vel ad odia, vel ad contumeliam munit: quò ita ab omni proximi iniuria tutiores simus, cùm iram etiam cordis comprimere studemus. His ergo rationibus Dominus ad diuinæ legis obedientiam, altissimamque illam sapientiam, quæ malum omne repellit, nos erudit & instruit.

Nemo autem mirari debet, quòd Euangelica lex multa supra veterem legẽ addat; & multa item, quæ in ea pro illius temporis ratione permittebantur, tollat. Cõstat enim alia esse, quæ viros, alia quæ pueros deceant. Pueros enim à laboribus oneribusque ferendis liberos esse volumus: quos tamen viris adulto robore confirmatis iniungimus. Habuit autem mundus suam infantiam, habuit & suam virilitatem, ætatemque perfectam. Has autem mundi ætates non annorum numero, sed gratię mẽsura discernimus. Magna enim gratia viros, parua autem gratia paruulos & infantes efficit. Sic Ioannes Baptista in lege etiam veteri vir erat: quia magna gratia præditus, magnus & coram Domino erat. At paruuli atque adeò infantes erant illi, quibus Apostolus ait, Tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam. Quia verò gratiæ plenitudo non ad legis, sed ad Euangelij gloriam pertinebat (dicente Ioanne, Nondum erat spiritus datus: quia Iesus nondum erat glorificatus) ideo totum illud tempus, quod Christi Domini aduentum præcessit, mundi infantia erat: præsens autem tempus, quod ad Euangelij gratiam spectat, virilis ac perfectæ ætatis est. Quam rem Apostolus etiam confirmat: qui ad Galatas scribens, paruulos appellat eos, qui in lege sub elementis mundi, hoc est, legis ceremoniis seruiebant. Quamuis non abnuo multos in lege perfectos viros fuisse: quemadmodum multi in Euangelio paruuli & infantes sunt. Non enim has ætates pro temporum ratione, sed pro gratiæ mensura discernimus. Ex hac autem supputatione illud planè consequitur, aliam legem ad mũdi infantiam, aliam verò ad virilem eius ætatem, hoc est, ad nouã legem pertinere: ideoque multa paruulis illis permittebantur, quæ in noua lege, quę virorum est, minimè permittuntur. Hoc est igitur quod Dominus significare voluit cùm se non ad soluendam legem, sed ad implendã, hoc est, perficiẽdam venisse dixit. Quam rem in sacra huius diei lectione explicare incipit, cùm ait:

1. Cor. 3.

Ioan. 7.

Dico autem vobis, quia nisi abundauerit iustitia vestra, &c. Matth. 5.

Pro, *autem*, diuus August. aliique nonnulli iuxta Græca exem-

pla ia legunt, γὰρ, quod significat, *enim*, quę quidem coniunctio aptius cum præcedentibus cohæret. Aetiologia enim est, quæ præcedentis sententiæ causam reddit: qua Dominus declarat se non ad abolendam, sed ad implendam & perficiendam legem venisse. Quod quidem statim indicat cùm subdit: *Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Hoc in loco, Dominus nō de legis & Prophetarum, sed de Scribarum & Pharisæorum iustitia dixerit. Multa enim ex his quæ Dominus in præsenti concione tractat, legis, & Prophetarū libris continentur: quos tamē Pharisæi pro libidine sua interpretabātur, diuinā legem nō ad legislatoris mentem, sed ad auaritiam & commoda sua detorquētes. Sic enim pręceptum de honore parentum, deque amicorum dilectione interpretati sunt. Hi namque sunt caupones illi, quos
Esaiæ 1. Esaias ait miscere vino aquam, quòd videlicet diuinæ legis acrimoniam interpretationibus ad vtilitatē suam excogitatis, velut
Ezech. 13. immissa aqua diluebāt. Quos etiā Ezechiel Propheta sub omni cubito manus puluillos fabricare aiebat, vt diuinæ legis transgressores in sceleribus suis mollius requiescerēt. Subdit aūt Dñs.

Audistis quia dictum est antiquis, Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Quod quidem iudicium in lege pro variis homicidiorum generibus variè quoque definiebatur. Quid autem Dominus? *Ego autē dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Animaduertite hoc in loco fratres, legis & Euangelij differentiam. Lex homicidium, Euangelium iram quoque animi cohibet. Lex quidem (vt antè diximus) innocentiæ murus: at Euangelium antemurale est; quod legis murum tuetur, quodque iram prohibet, nę vel in odium, vel in homicidium prorumpatur. Quo in loco vox illa. *fratri*, nequaquam significatione vacat. Aliud enim est, in fratrem, aliud in fratris vitia irasci. Rectè enim contra vitium irascimur; non rectè autem contra fratrem. Dei enim creatura diligenda: peccatum autem, quod à dæmone est, odio habēdum. Hominem igitur delinquentem miserari, delictum autem detestari debemus: sed ita tamen detestari, ne sub velamine detestationis, Dei creaturam odio habeamus. Sed ego tamen, vt ab hoc periculo tutiores sitis, mallem, vt de illorum lapsu dolorem, quàm iram & indignationem caperetis. Habent enim peccata (quod diligēter vos adnotare vellem) duas, vt ita dixerim, facies; quarū altera ad indignationem, altera ad compassionem piorum animos excitat. Quatenus enim diuinam maiestatē violant, indignationē merentur.

rentur.

rentur: quatenus verò delinquenti homini miserandū exitium afferunt, miserationis affectum commouent. Frequēter autem sub indignationis specie partim superbiæ venenum, partim iræ furor latêre solet. Hinc D. Gregor. Plerumque, ait, mentem sub obtentu iustitiæ, iræ immanitas vastat; & dum quasi sæuit zelo rectitudinis, rabiem explet ira furoris. Quicunque igitur duo hæc incōmoda vitare cupit, quæ sub indignationis huius velamine quandoque latent, compassionis affectum in animo suo excitare magis studeat: in quo periculi minus est. Ad quod nos illa Apostoli sentētia inuitat, Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, corripite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris. Huius autem castigationis lenitas & moderatio magis à compassionis quàm indignationis affectu proficiscitur: quamuis (vt idem D. Gregor. ait) iusti soleant peccatoribus indignari: sed aliud est, inquit, quod agitur typo superbiæ; aliud quod zelo disciplinæ. Dedignantur enim iusti, sed non dedignantes: desperant, sed nō desperantes: persecutionem commouēt, sed amantes: quia etsi foris increpationes per disciplinam exaggerant, intus tamen dulcedinem per charitatem seruant.

Gregor. | Galat. 6 | D. Greg.

I.

Vbi autem Dominus ab interna cordis ira nos continere docuit, externam quoque, quæ in vocem iracundiæ indicem prorumpit, prohibere incipit, cùm subdit: *Qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio.* Hac voce leuem aliquam contumeliam significari, quæ magis erumpentis iræ motum, quàm iniuriam præseferat, sequens particula declarat; quæ apertā contumeliam prohibet, & grauissimam gehennæ pœnam comminatur; quæ dicenti Racha non apponitur. Quod autem hunc Dominus reum esse concilio ait, tropum esse arbitror, quo grauioris pœnæ reum esse Dominus declarauit: qui impotentia iræ superatus, in vocem iræ indicem erumpit, quàm qui iram intus in animo tumultuantem continet. Maius enim aliquid concilij nomine (quod est multorum consessus) quàm iudicij, quod vnius est, intelligimus. Hoc etiam in loco fratris nomen ponderandum est. Alia enim est fratris in fratrem, hoc est æqualis in æqualem conditio: alia vel patris in filium, vel domini in seruum. Hi namque subditos sibi corripere tenentur: quos non solum verbis, sed verberibus etiam coërcere possunt. Vtrique tamen illud obseruare debent, vt pro qualitate criminum sit castigationis temperamentum: atque vt verborum acrimonia (qui-

(quibus interdum opus est) internam animi pacem, atque tranquillitatem (quantum fieri poterit) minimè turbet. Sic enim nos in hoc opere gerere debemus, vt aliud foris verba ostendant, aliud intus in animo lateat. O felicem illum, qui hoc sibi imperare potest; qui sic in potestate sua motus animi continet; quique sic cordis sui habenas moderatur, vt eas & laxare & continere pro causarum & negotiorum ratione valeat? Hunc enim D. Ambrosius felicem prædicat his verbis: Beatus est, qui seueritatem simul & mansuetudinem tenet: vt altero disciplina seruetur, altero innocentia non opprimatur.

D. Ambr.

Superest totius iræ gradus: cùm videlicet ira sic intra pectus feruet, vt in contumeliosa verba nos impetu suo rapiat: cùm hominem aut fatuum, aut (quod est multò grauius) ebrium, rapacem, dissidiorum auctorem, sanguinarium, impudicum, testem fallacem, aut adulterum ira perciti appellamus. Huiusmodi enim conuitia contra charitatis virtutē militant, quæ nos proximis vlla in re graui nocere vetat. Plurimū autē nocet, quisquis me iniuria afficit; cùm homines leuius rerum suarum, quàm honoris detrimentum esse putent. Quia verò quod aduersus charitatem pugnat, mortiferum peccatū est (quod sempiterno supplicio plectitur) ideò quisquis huiusmodi contumelia proximum afficit, reum se (vt Saluator ait) gehennæ ignis facit: quo supplicio nullū maius excogitari potest. Proinde fratres, cùm intra vos ira tumultuatur, magna cura linguam continete, ne in hoc tantum præcipitum corruatis. Quo tempore cum Propheta clamandum est; Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator aduersum me. Obmutui, & silui etiam à bonis. Hoc est, Ne verba quidem recta loqui ausus non sum, ne simul cum eis indignum aliquid ira extimulante proferrem.

Psal. 38.

Sed nunquid huic tāto malo remedium aliquod institutum est? Est planè, & quidem maximè salutare; quod cælestis magister protinus ostendit, cùm subdit: *Si ergo offers munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum.* Mira docendi ratione Dominus in his verbis vsus est. Dum enim ad summum repentè gradum conscendit, inferiores omnes in eo complexus est. Satis enim esse videbatur dixisse, Si proximum læseris, illum placare, illique satisfacere sollicitè cura. Sed nequaquam hoc solo cōtentus, omni sacrificio & oblatione illi interdi-

terdixit, donec offensum fratrem debita satisfactione placaret. Hac enim ratione ostendit, offenso fratre, Dominum quoque offensum, imò & infensum homini, & inimicum esse: ac proinde inimici sacrificia Deo grata non esse. Itaque præter iniuriam fratris, hoc quoque ad peccati cumulum accedit, quòd homo indignus efficitur, qui sacrificiũ Deo gratum possit offerre. Non enim contra fratrem solùm, sed contra Deum etiam delinquit, qui fratrem offendit.

Nec rursum cælestis magister ait, Recõciliare fratri tuo cùm ad altare sacrificium oblaturus accedis; quod satis esse, vt oblatio Deo grata esset, videbatur. Sed vt officij huius debitũ multò esse grauius ostenderet, adiecit, vt si homo iam altari Deo sacrificaturus assisteret, in medio cursu sacrificiũ abrumperet, vt prius offensum sibi fratrem reconciliaret. Qua igitur alia ratione Dominus obligationis huius debitum magis amplificare potuit, quàm cùm statuit, vt ea quæ sunt supremi atque diuini ordinis, posteriori loco haberentur, prioreḿque locum placando fratri læso tribueret? Qua in re diuinæ bonitatis & charitatis magnitudo miro modo elucet: dum ea quæ ad gloriam suã pertinent, obliuisci quodammodo videtur, vt prius infirmitati hominum consulatur. Infirmus enim homo, qui ab alio læsus fuit, duplici telo sauciatus est. Nam & iniuriæ acceptæ memor, animo perturbatur; etsi infirmus in virtute est, vindictam fortasse meditatur: quorum alterum quidem corpus, alterum verò conscientiam attingit & sauciat. Hoc igitur, aduertens summus ille humanæ salutis amator Dominus, prius infirmum hominẽ ab his angustiis liberare, quàm sibi litari præcipit. Aliter nullo modo sibi oblationem illam gratam fore ait, nisi prius cum proximo in gratiam redeamus. Quanta ergo illa bonitas? quanta erga homines charitas? quæ tanta cura eorum incommodis cõsultum esse cupit, vt quæ sua sunt posthabeantur, & priori loco quæ nostra sunt curentur?

Quid verò si sacrificij, aut oblationis tempus instat, & proximus longè abest? Ad hoc respondemus, satis esse in hoc euentu, si fixum in animo propositum illi satisfaciendi oblata opportunitate habeamus, nisi fortè scandalũ intercederet. Quod quidem contingere posset, cùm is qui publicas cum alio inimicitias diu fouit, ad sacram communionem accedere vellet. Tum enim publico illi scandalo aliqua honesta satisfactione occurrendum esset.

Cùm autem huiusmodi reconciliatio omne sacrificium & recon-

reconciliationem præcedere debeat, tum præcipuè ante sacram communionem exigitur. Cuius rei nos vel synaxis, vel communionis nomen admonet. Sic enim sacræ Eucharistiæ sumptio appellatur, quòd per eā homines & Christo capiti, & mystici corporis eius membris in vnum corpus colligantur: Apostolo testante, qui ait, Vnus panis & vnum corpus multi sumus: omnes qui de vno pane & de vno calice participamus. Pugnat enim cum huius sacramenti vnitate omnis fraternæ dilectionis dissensio atque diuisio. Quocircà ante sacram Eucharistiam reconciliatio & amoris coniunctio antecedere debet. Nec ante hoc solum, sed ante quoduis aliud spirituale sacrificium (quo diuinis laudibus & precibus Deo litamus) hæc eadem reconciliatio (vbi commodè fieri potest) præcedere debet.

1. Cor. 10.

Verùm ea, quæ hactenus diximus fratres, ad eum qui fecit iniuriam spectant. Quid verò ille, qui iniuriam accepit? qua obligatione deuinctus est? Ea certè vt fratri suppliciter errati veniam petenti, & satisfactionem (cùm res ita postulat) offerenti veniam largiatur. Alioqui si illum auersatur, si nec colloquio, aut aspectu dignatur, si se implacabilem & inexorabilem exhibet, ille quidem qui quod in se erat præstitit, diuino iudicio absolutus est: hic autem, qui neque placari, aut odium remittere voluit, nouo se crimine alligat: propterea quòd offendiculum fratri præbet, dum hac odij significatione alterum ad reciprocum odium incendit. Hæc igitur prima læsi hominis obligatio est. Qui etiam dum ad orandum Dominum accedit, illius consilij meminisse debet, quo nos monet, vt oraturi offensas illis remittamus, à quibus aliqua iniuria affecti sumus, vt cælestis pater debita nobis nostra dimittat; alioqui non remissurus, nisi nos nostra fratribus remittamus. Quę res adeò necessaria est, vt in quotidiana oratione, huius nos consilij meminisse voluerit; cùm in ea illa verba intexuit, Dimitte nobis debita nostra; sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quod si non facimus, in oratione nostra vel mentimur, vel aduersum nos ipsos pugnamus.

Matth. 6.

II.

Ex tota autem hac Euangelica lectione, fratres, colligimus, mentem, atque consilium cęlestis magistri esse, vt leuiora etiam peccata vitemus, quò à grauioribus tutiores simus. Nam & leuiter irasci, & in vocem iræ indicem sine fratris tamen graui iniuria prorūpere, venialia peccata sunt: quæ tamē ipse vitare monet, ne ad lethalia veniatur. Scriptū est enim; Qui timet Deū, nihil

Eccli. 7.

nihil negligit: hoc eſt, nihil neque paruum, aut magnum omittit, quod modò ad cultum Dei, eiusque offenſionem vitandam ſpectet. Vt enim qui vitam diligit, non ſolùm mortẽ, ſed morbos etiam fugit, qui viam ad mortem muniunt: ita qui lethiferi peccati mortem odit, venialia quoque peccata (quæ velut ægritudines animæ ſunt) diligenter vitare ſtudet. Simile.

Ab hac autem cura vehementer illi abhorrent, qui dictitare frequenter ſolent, otiari, ludere, ſcurram agere, menſuram vel in edendo, vel in bibendo minus tenere, capitalia crimina non ſunt. Quid ergo impedit, quominus paululum his rebus indulgeamus, quæ mortem animæ non inferunt? At longè alius ſenſus, aliaque ſententia ſanctorum Patrum extitit. Hinc D. Hieronym. in epiſt. ad Celantiam. Neque verò, inquit, eorum te ſeducat error, qui ex arbitrio ſuo eligunt, quæ potiſſimũ Dei mãdata contemnant, quæ ve quaſi vilia ac parua deſpiciant. Nec metuunt, ne ſecundum diuinam ſententiam, minima contemnendo, paulatim decidant. Stoicorum quidem eſt peccatorum tollere differentiam, & delicta omnia paria iudicare, nec vllum inter ſcelus & erratum diſcrimen facere. Nos verò etſi multum inter peccata diſtare credimus: tamen ſatis prodeſſe ad cautionem dicimus, etiã minima pro maximis cauere. Tantò enim facilius abſtinemus à quocunque delicto, quantò magis illud metuimus. Nec citò ad maiora progreditur, qui etiam parua formidat. Et ſanè neſcio, an poſſimus leue aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur. Eſtque prudentiſſimus, qui non tam conſiderat quod iuſſum ſit, quàm illum, qui iuſſerit: nec quantitatem imperij, ſed imperantis cogitat dignitatem. Hactenus Hieronym. Hieron.

Huiuſmodi verò peccata non afferunt animæ mortem, ſed ægritudinem: non extinguunt Dei ſpiritum, ſed cõtriſtant: non mentẽ interimunt, ſed ad interitum præparant: denique non auferunt charitatem, ſed feruorẽ charitatis. Sicut enim ignis cùm vehemens aura ſpirauerit, flammas emittit, quibus & natiuum calorem & lucem auget: ita charitas in piorum cordibus reſidens, frequenter diuini ſpiritus aura ita excitatur, vt intus in anima ferueat, & ſplendidiſſimas quaſdam flammas emittat: quibus nos ad clariorem diuinæ bonitatis cognitionẽ, & ardentiorem amorẽ excitat. Quandiu autẽ diuinus hic motus in anima perſtat, non dubium quin vir pius & ad bene operãdum alacrior, & ad turbulẽtos animi motus cõprimendos potentior ſit. Vnde quemadmodũ nautæ, vbi ſecundam auram ſpirare vidẽt, Simile. Simile.

funes

funes soluunt, carbasa pandunt, & iter institutum omni celeritate vrgent; ita cùm hanc diuini spiritus auram afflare senserimus, tota animi contentione nos ad eius ductum applicare debemus; ne hoc diuinum munus frustrà recipiamus. Huncigitur charitatis feruorem, & animi alacritatem, venialia peccata extinguunt, atque ita mentem deprimunt, & à Dei conspectu paulisper auocant; vnde in nos omnis vigor, & diuinę lucis splendor emanat. Hinc fit, vt animus præsenti hac luce, & feruore nudatus, torpeat, & langueat, minusque alacer, & inuidus ad boni operis studium, & ad spiritualia certamina reddatur. Quo fit, vt si tunc vel occasio aliqua ad peccandum vehementer vrgeat, vel violentior aliquis tentationis æstus ingruerit, periculum sit, ne in lethale peccatum homo æger & languidus ruat. Hac enim de causa venialia peccata ad lethalia viam sternere Theologi dicunt. Imò verò magna pars eorum, qui à diuina gratia exciderunt, hac occasione excidisse verisimile est. Obseruat enim callidus hostis noster, has temporum commoditates: cumque piorum animos paulò negligentius se gerere viderit, aliqua peccandi occasione oblata, & facto cum satellitibus suis impetu, in illos irrumpit, & interdum etiam prosternit.

His etiam adde alia, quæ ex huiusmodi peccatis sequuntur incommoda: iis namque anima nostra minus idonea fit ad splendidissimam solis iustitiæ claritatem intra se recipiendam. Est enim anima iusti, velut speculū quoddā huius Solis radiis obiectum; capitalia verò crimina instar turpis luti; quo speculi huius facies obducta, ad splendorem hunc excipiendum prorsus inepta fit: venialia verò peccata instar pulueris sunt; quo splendida huius speculi facies quadamtenus fuscatur: atque ita fit, vt minus claro & igneo splendore Solis huius in se radios excipiat. Quod cùm ita sit, qua quęso cura, & studio vitare cōuenit quod nos à pleniori huius lucis communione repellit? (Simile.)

Quisquis igitur hæc leuiora peccata sollicitè vitare studet; non dubium, quin à grauioribus tutior sit: cùm Salvator dicat; Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est. (Lucæ 16.) Qui enim in minimis etiam delictis offendere veretur, multò magis grauiora & maiora vitabit. Hæc est ergo fratres noua & Euangelica Philosophia, quam cælestis magister è cælis traxit ad terras; vt ex terris homines efferret in cælum. Hactenus de Euangelica lectione: nunc verba thematis excutiamus.

TRACTATIO THEMATIS.

Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit

erit iudicio. His quidem verbis, atque adeò in tota hac Euangelica lectione, cælestis magister à quadam truculentissima generis humani vastatrice fera, nempè iracundia nos eripere, & ab eius tyrannide liberare contendit. De cuius lethali veneno in reliqua concionis huius parte mihi dicendum est. Sed quoniam hic affectus cum ipsa natura nobis ingeneratus, & ab opifice Deo inditus est (à quo mali nihil emanare potuit) illud primo loco fatendum est, hunc animi motum ad humanæ vitæ salutem sicut & cæteros, qui simili modo nobiscum nati sunt, esse necessarium. Qua de re D. Chrysost. sic ait: Si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec iudicia stant, nec crimina compescuntur. Itaque qui cum causa non irascitur, peccat. Patientia enim irrationabilis, vitia seminat, negligentiam nutrit: & non solùm malos, sed etiam bonos ad malum inuitat. Hactenus ille. Quam eius sententiam sic accipere debemus, vt illam D. Gregor. non obliuiscamur, quæ sic habet; Ira etiam cùm delinquentium culpas insequitur, non debet menti nostræ quasi domina præire: sed post rationis tergum, quasi ancilla rationis subnixius famulari. Hæc ille. Cuius sententiæ Aristoteles astipulatur: quæ iræ affectum vtilem esse ait, sic tamen vt in castigando militis, non ducis officio fungatur: hoc est, si mentem quidem nostram ad plectenda crimina, motu & indignatione sua excitet, non tamen ipsa sententiam dictet. Chrysost. Gregor. Arist.

Cæterùm quamuis hic affectus conditoris beneficio naturæ nostræ inditus fuerit, nos tamen eo quemadmodũ cæteris non ad salutem, sed ad perniciem nostram furenter abutimur. Impressit nobis naturæ auctor coniugij desideriũ procreandorum liberorum gratia: quibus naturæ nostræ mortalitas in sobole quodammodo resarcitur. Quis autem enumerare valeat, quot stupra, quot adulteria, quot incestus, quotque sacrilegia propter intemperantiam nostram ex hoc fonte oriantur? Vt mihi quidem, vniuersus mundus libidinum flammis ardere; & præceps ex igne libidinis in gehennæ ignem ferri videatur. Ingenerauit etiam mentibus nostris idem conditor nostri amorem; qui nos ad quærenda quæ ad vitę vsum necessaria essent incitaret (quem ideò Stoici Philosophi in pædagogum ab auctore naturæ nobis datum esse prudentissimę dixerunt) at per immoderantiam nostram, ex hoc fonte teterrima generis humani pestis auaritia nascitur: quam Apostolus malorum omnium radicem esse ait. Ad hunc ergo modum ira nos etiam abutimur: quæ cùm ad vindicatiuæ iustitiæ officium data sit, nos eam in furorem rabiemque 1. Tim. 6.

ita conuertimus; vt vix vlla capitalior pestis in humana vita grassetur. Eius ergo mala vobis nunc ob oculos ponere constitui; quo vestros animos in eius odium atque detestationem rapiam, sic tamen, vt à minoribus ad maiora gradum faciam.

Primum igitur huius morbi malum est, quòd vel Spiritum sanctum, & charitatem ab anima fugat, vel certè charitatis feruorem, & internæ pacis tranquillitatem (quæ eiusdem spiritus placidissima sedes est) ab eadem pellit. Feruor quippe iræ, feruori spiritus & internæ pacis quieti vehementer aduersatur. Gregor. lib. 5. moral. Hinc D. Gregor. Cùm menti iracundia confusionis tenebras incurit, huic Deus radium suæ cognitionis abscondit. Idemque Idem. alibi; Per iram, inquit, Spiritus sancti splendor excutitur; qui super humilem & quietum requiescere dicitur: quia cùm in quietem subtrahit, suam Spiritui sancto claudit habitationem: cuius recessu animus vacuus, ad apertam morum insaniam ducitur. Hactenus ille. Ex cuius verbis liquet, quanta cura qui tota Spiritum sanctum mente conceperunt, omnes iræ motus vitare debeant.

Aliud verò morbi huius malum est, quòd vsque adeò hominem hominibus odibilem facit, vt Salomon dicat; Spiritum veProu. 18. rò ad irascendum facilem quis poterit sustinere? Rursusque alIdem 27. bi, Impetum, inquit, concitati spiritus ferre quis poterit? Quo fit, vt prudentes viri non aliter iracundum hominem, quàm viperam aliquam, aut feram vinculis, & cauea solutam fugiant: ne vel ab illo contumelia afficiantur; vel ipsi ex eius intemperantia conuiciandi, aut irascendi occasionem arripiant.

Quàm sit autem hoc vitium cunctis inuisum, hoc etiam argumento colligere licet. Videmus enim seruos nuper emptos de eo à quo empti sunt, non percontari an superstitiosus sit, aut inuidus, verùm an iracundus. Atque in vniuersum si adsit iracundia, videmus neque viros ferre posse vxorum pudicitiam, neque vxores virorum amorem, nec amicos mutuam inter se amicitiam, adeò vt neque coniugium, neque amicitia tolerari possit, si adsit iracundia.

His adde vitij huius vilitatẽ, quæ pusillanimes homines maximè attingit. Vnde Aristoteles inter propria viri magnanimi Arist. officia, virtutesque, iniuriarum obliuionem præcipuè numerat. At contrà iniuriarum memoria, atque ira proprium est infirmi pectoris vitium. Videmus enim pueros, senes, ægrotos, feminas & mentis inopes supra cæteros magis irasci. Pueri enim facilè irascuntur, lachrymisq. protinus indignationem iramq. testantur,

tur. Senes autem & ægroti, ferè semper morosi esse solent. De ira autem mulierũ scriptũ est: Nõ est caput nequius super caput colubri: & non est ira super iram mulieris. De stulti quoque ira legimus; Graue est saxum, & onerosa arena; sed ira stulti vtroq. grauior. Vt enim sapientis viri propria virtus patientia est, (quæ rationis moderamine subsilientes animi motus frænat, iuxta illud Salomonis, Qui patiens est, multa gubernatur prudentia. Et, Doctrina viri per patientiam noscitur) ita contrà stultus, qui hac prudentia caret, fræno etiã caret, quo concitatos animi motus comprimere valeat: quo fit, vt barbari homines, & à cultu & sapientiæ studio alieni, iracundi, immanes, truculenti, efferati, & implacabiles sint. Quocirca quicumq. sic animatus est, vt ab hoc vilissimo pusillanimitatis vitio, immaniq. barbarie immunis esse velit; is planè iracũdiæ morbũ (quòd hæc genera personarũ præcipuè infestat) à morib⁹ suis pellere debet. Verũ hęc irę mala quæ hactenus cõmemorauimus, quãuis fugiẽda sint, cõparatione tamẽ eorũ, quæ mox dicemus, parua existimãda sunt. Eccl. 25. Prou. 27. Simil. Prou. 14. Idem, 19.

Illud verò maximè detestandũ, quòd hic morbus homines à dignitatis suæ arce deiicit, dum omni penè mente atque iudicio priuat. Iram enim sapientes homines breuem insaniam esse cõfitentur. Vnde Aristot. Perinde, ait, ac fumus oculis incommodat, & aspectum ita turbat, vt nec ea nobis videndi potestas fiat, quæ sunt ante pedes: ita oborta ira, rationi caligo suffunditur, vt se homo delinquere, nulla cogitatione comprehẽdere queat. Ab hac autem sententia non abhorret Ecclesiast. cùm ait, Ne sis velox ad irascendum: quia ira in sinu stulti requiescit. Quæ vis autem orationis, deliramenta ea quę multi homines ira perciti designant, explicare queat? Non solùm enim aliis hominibus, sed vasis, lignis, lapidibus, montibus, & fluuiis, atque omnibus denique rebus inanimatis quauis vel leui occasione indignantur. Quis non vel rideat, vel miretur Xerxis, & Cyri Persarum regum insanias; quas nisi grauissimi auctores Plutarchus & Seneca cõmemorassent, nemo prudẽs eas narrare auderet; ne prodigiosa mendacia referre videretur? Xerxes enim aduersus Atho montẽ indignatus, epistolã in hæc verba conscripsit: Atho infelix, ad cælum vsque porrecte, ne meis operibus facias tuos lapides magnos, & ab elaborandum difficiles: alioqui excisum te proiiciam in mare. Sed hoc ridiculum magis, quodque insani hominis dementiam arguat, inanem potentiam suam ostentantis. Hic autem, monti: Cyrus verò, fluuio indignatus est. Nam cùm Babylonẽ (vt Seneca refert) oppugnaturus festinaret ad Arist. Simil. Eccl. 7. Plutar. Seneca. Seneca lib. 3. de ira.

ad bellum (cuius maxima momēta in occasionibus sunt) Gyndem latè fusum amnem, nando transire tentauit: quod vix tutum est, & cùm sensit æstatem, & ad minimum deductus est, Ibi vnus ex his equis, qui trahere regium currum alibi solebant, abreptus, vehementer commouit regem. Iurauit itaque amnem illum regis commeatus auferentem, eò se redacturum, vt transiri, calcariq;ue etiam à feminis posset. Huc deinde omnem transtulit belli apparatum: & tamdiu assedit operi, donec c.& LXXX. canalibus diuisum alueum in CCC.& LX. riuos dispergeret,& siccum reliquerit in diuersum fluentibus aquis. Periit itaque & tempus & militum ardor, quem inutilis labor fregit, & occasio aggrediendi imparatos; dum ille bellū inductum hosti cum flumine gerit. Hactenus ille.

Sed ex omnibus malis, quæ secum iracundia affert, grauissimum & pestilentissimum est feritas, immanitas,& truculentia, & insatiabilis sanguinis humani sitis: quo nomine non modò tygrides, pantheras,& serpentes superat, sed ipsas etiam inferorum furias æquare videtur. Quod si iuxta Saluatoris sententiam ex fructibus arbor æstimanda est; ex iis quæ hominum furor & ira designauit, qualis ea sit diiudicare licebit. Qua de re sic Seneca: Iam verò, inquit, si irę effectus, damnaq;ue intueri velis, nulla pestis humano generi pluris stetit. Videbis cædes, ac venena,& reorum mutuas sordes,& vrbium clades,& totarū exitia Gentium,& Principum sub ciuili hasta capita venalia,& subiectas tectis faces, nec intra mœnia coërcitos ignes: sed ingentia spatia regionum hostili flamma relucentia. Aspice nobilissimarum ciuitatum fundamenta vix notabilia: has ira deiecit. Aspice solitudines per multa millia sine habitatione desertas: has ira exhausit. Aspice tot memoriæ proditos duces, mali exempla fati. Alium ira in cubili suo confodit: alium inter sacræ mensæ iura percussit: alium inter leges, celebrisq;ue spectaculum fori lancinauit: alium filij parricidio dare sanguinem iussit: alium seruili manu regalem aperire iugulum. Hactenus ille. Idemq; paulo pòst sæuitiam L. Syllæ aduersus M. Marium principem virum, cum quo grauissimas gerebat inimicitias, describit his verbis: M. Mario cui vicatim populus statuas posuerat, cui thure & vino Roman. pop. supplicabat, L. Sylla perfringi crura, erui oculos, amputari manus iussit: Et quasi toties occideret, quoties vulnerabat, paulatim & per singulos artus lacerauit. Quid igitur hoc vindictæ genere crudelius? quis non hîc videat hominem omni humanitate exutum, in ferarum, aut potiùs dæmonum

Seneca lib.1.de ira cap.2.

Ibidem.


num rabiem degeneraſſe? Verùm hæc feritas vnum tantum hominem perculit: at Rex Perſarum, eodem Seneca referente, totius populi nares recidit in Syria. Peperciſſe illũ iudicas, quòd nõ tota capita præcidit? Nouo genere pœnæ delectatus eſt. Tale aliquid paſſi forent Aethiopes, qui ob lõgiſſimum viæ ſpatium Macrobij appellantur: In hos enim, quia non ſupinis manibus exceperant ſeruitutem, miſſiſque legatis liberè reſponſa dederant, quæ contumelioſa reges vocant, Cambyſes fremebat, & non prouiſis commeatibus, non exploratis itineribus; per inuia, per arentia trahebat omnem bello vtilem turbam: cui intra primum iter deerant neceſſaria, nec quicquam ſubminiſtrabat ſterilis & inculta, humanoque veſtigio ignota regio. Suſtinebant famem, primò tenerrima frondium, & cacumina arborum, tum coria igne mollita, & quicquid neceſſitas cibum fecerat. Poſtquàm inter arenas radices quoq;, & herbæ defecerant, apparuitque inops etiam animalium ſolitudo, decimum quemq. ſortiti, alimentum habuerunt fame ſæuius. Agebat adhuc ira Regem præcipitem, cùm partem exercitus amiſiſſet, partem comediſſet, donec timuit ne & ipſe vocaretur ad ſortem. Tum denique ſignum receptui dedit. Seruabantur interim illi generoſæ aues, & inſtrumenta epularum camelis vehebantur, cùm ſortirentur milites eius, quis malè periret, quis peiùs viueret. Hactenus ille. Ex his igitur fructibus, quæ ex hac peſtilentiſſima radice deriuantur, iræ virulentiam atque tyrannidem æſtimare licebit. Seneca lib. 3. de ira.

Verùm dicat aliquis, Quod huic tanto malo remedium adhibes pater? Nunc certè non aliud, quàm hæc ipſa quæ hactenus perſtrinximus: quę ferreas etiam mentes ad eius deteſtationem mouere poterunt. Si enim tãta ſecum mala hæc peſtis importat, ſi nobis diuinæ lucis radios præcludit, ſi iracundum hominem cæteris omnibus odibilem & inuiſum facit; ſi ad puerorum & mulierum puſillanimitatem deducit, ſi ad inſaniam atq. mentis cæcitatem redigit, ſi poſtremò hominem omni humanitate exuit, & truculentiſſimis feris ſimilem facit; quis nõ omni ſtudio atque labore feram hanc à ſe extrudere conabitur? Si enim viperas, ſi aſpides, ſi dracones, cæteraque ſerpentum genera horremus, ac fugimus: cùm hæc peſtis multò atrocius in homines deſæuierit, maioreſque in mundo ſtrages ediderit; cur non eam maiori odio deteſtemur, ac fugiamus? In hoc igitur aſſiduis precibus, in hoc omni cura & ſtudio incumbamus; ne ab ira vnquam ſuperemur. Hac enim ratione fratres, feram hanc excutiemus: qua profligata, lenitatis & manſuetudinis placabi-

liratem assequemur: qua & tranquillam in hoc seculo vitam degere, & in futuro terram viuentium mansuetis in Euangelio promissam, donante mitissimo illo agno (qui se nobis in absolutissimum mansuetudinis exemplum proposuit) percipere mereamur.

IN EADEM DOMINICA V. POST PENTECOSTEN CONCIO II. in qua post Euangelicæ lectionis explanationem, de iræ remediis disseritur.

THE. *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Matthæi 5.



HODIERNA sancti Euangelij lectio me impellit fratres, vt multorum Christianorum mentem atque animum vobis ob oculos ponam. Quam rem nulla ratione commodius efficere me posse arbitror, quàm veteri quadam lege Hebræis olim lata, & historia simul, quæ ad ipsam legem pertinet, exposita. Deut. 25. Lex autem erat, vt si vir sine liberis è vita decessisset, defuncti frater, aut quisquis illi affinitate coniunctior esset, in eius hæreditate succederet; & relictam viduam sibi matrimonio collocaret. Psal. 67. Hac lege Dominus, qui se in sanctis literis orphanorum patrem, & viduarum iudicem appellat (quæ nomina immensam eius bonitatem & misericordiam præcipuè declarant) feminarum solitudini & viduitati consultum esse voluit. Femina enim quæ defuncto viro, & viri hæreditate, & viro ipso priuata erat, hac ratione vtramque iacturam, diuinæ legis beneficio resarciebat; dum & eadem hæreditas maneret, & nouus ei vir in demortui locum succederet. Hactenus de lege. Nunc ad historiam veniamus.

Cùm Ruth illa Moabitis (cuius in Saluatoris genealogia mētionem fieri sæpe audistis) marito orbata esset; Booz defuncti viri consanguineus, ad alium, qui sanguine propinquior erat, coram iudicibus ait: Partem agri fratris nostri Elimelech vendit eius vxor: quod audire te volui coram maioribus natu de populo. Si vis possidere iure propinquitatis, eme, & posside. At ille respon-

respondit; Ego agrum emam. Cui Booz: Quando, inquit, emeris agrum, Ruth quoque Moabitem, quæ marito orbata est, debes accipere. Tum ille: Cedo, inquit, iuri propinquitatis. tu meo vtere priuilegio. Hoc exemplo, fratres, multorum hominum mores, atque animum volui vobis ostendere. Si enim eos reges, an illius cælestis hæreditatis desiderio teneantur, vna cuncti voce respondebunt, se nihil in votis magis habere, quàm vt ea potiantur: neq. spem eius aliquando percipiendę, vllis mundi opibus, aut imperiis commutaturos. Quò enim mihi omnia mundi regna & imperia, si exacta hac momentanea vita, à cælestis regni hæreditate extorris, in gehennæ barathrum præcipitandus, & nunquam inde extrahendus sim? Rectè sanè. Sed est tamen aliud, quod huic pio desiderio adiunctum est. Si enim cælestem illam hæreditatem cernere cupis; legem quoque diuinam, quæ ad illam, viam munit, velut in vxorem tibi copulare debes. Quid est autem legem in vxorem accipere? Illi nimirum cōuiuere, illius præscriptione vitam moderari, illius semper curam gerere, illius onera portare, illam super omnia diligere: & illud implere, quod est à Salomone dictum: Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ: vbera eius inebrient te omni tempore, & in amore eius delectare iugiter. Et paulo pòst: Conserua, fili mi, præcepta patris tui; & ne dimittas legem matris tuæ. Liga ea in corde tuo iugiter; & circunda gutturi tuo. Cùm ambulaueris, gradiantur tecum: cùm dormieris, custodiant te: & vigilans loquere cum eis: quia mandatum lucerna est, & lex lux. Hoc est igitur, sanctum illud matrimoniū, hæc vxor illa, cum qua pij omnes vitam agunt: omnes curas & cogitationes suas, omniaque vitæ studia ad illius obsequium dirigentes, eiusque amori cætera omnia posthabētes. Nunc igitur vnumquemque vestrum sic alloquor fratres. Si tu, inquam, hæreditatem cęlestem (vt ais) tantoperè concupiscis, memento etiam te diuinam legem in vxorem accipere debere: propter cuius amorem & obsequium, & patrem, & matrem, & cætera omnia, quæ in vita charissima sunt, posteriora debes habere, vt illius votis & præscriptioni satisfacias. A cuius obsequio nec te mundi luxus, nec honoris amor, nec diuitiarum cupiditas, abducere debent. His enim omnibus, vbi nos ab huius vxoris obsequio & amore auocant, renunciandum, omnibus valedicendum: omnes malesuadæ carnis illecebræ, & fœdæ voluptates amputandæ atque abscindendæ sunt: ne te à castissimæ huius sponsæ amplexibus abdicare valeant. Vis igitur hoc onere proposito, cælestem

Prou. 5.

Prou. 6.

hæreditatem adire? Quid quisque vestrûm verbis profiteatur, non admodum curo: sed quid vitæ institutio, quid mores, quid studia loquantur, attendo; idque mihi responsum esse decerno. Itaque fratres, maxima Christianorum pars, cõsanguinei huius exemplum imitatur: qui se hæreditatem libenter accipere velle professus est; onus tamen, quod huic hæreditati adiunctum erat, simul cum ipsa hæreditate repudiauit. Quorum animum Salomon expressit, cùm dixit; Vult & non vult piger. Vult quidem hæreditatem, non vult autem onus hæreditatis. Cupit vtilitatem, refugit laborem: vult sine certamine vincere, & sine victoria coronari: ac postremò vult sine nauigationis periculo ad sempiternę felicitatis portum appellere. Hęc est multorũ mens, hic animus, hoc desiderium. Seipsum quisque vestrûm modò introspiciat, cordisq́. sui secreta rimetur: multi enim hoc ipsum intra mentis suæ penetralia defixum videbunt. Cæterùm si quis instar Booz vtrumque, nempe cælestem hæreditatem, & onus simul hæreditatis, hoc est, diuinæ legis obedientiam amplecti cupit; habet planè in sacra huius diei lectione, magnam eius legis partem à cælesti magistro explicatam. Sic enim ait:

Prou. 13.

Amen dico vobis, quòd nisi abundauerit iustitia vestra plusquã Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnũ cælorum. Scribarum nomine, legis doctores; Pharisæorum autem, eius temporis religiosi intelliguntur: qui arctioris vitæ propositum, quam cætera turba cultu, & habitu, & quibusdam ceremoniis profitebantur. Quamuis autem isti plurimum & superstitioni, & hypocrisi, & oculis hominum seruirent, hoc tamen in loco Dominus non de eorum vitiis, sed de eorum iustitia disserit: quam à Christiana iustitia superari debere docet, si quis à cælesti hæreditate abdicari nolit. Quo nomine summo nos vinculo obligationis astrinxit, nisi iustitia nostra illorum iustitiã superemus. Quibus autem in rebus hoc præstare debeamus, longa deinceps oratione persequitur, iustitiam Pharisæorum cum Christiana iustitia conferens: & quibus in rebus Euangelica iustitia superior esse debeat sigillatim declarans.

Incipit ergo ab eo secundæ tabulæ mandato, quod inter negantia præcepta primum est. *Audistis*, inquit, *quia dictũ est antiquis, Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio.* Hoc solo Pharisæi contenti erant, si externa opera à lege prohibita vitarent; internas autem siue affectiones, siue cogitationes diuinæ legi contrarias, parum admodum curabãt. Itaque vulgare apud multos eorum erat prouerbium, Legem quidem manum prohibere,

hibere, non animum. At cordium inspector Dominus, maiorem internæ puritatis, quàm externi operis rationem habet. Vnde is non de opere intentionem, sed de intentione frequenter opus diiudicat: Itaque non homicidium solùm, sed iram quoque, quæ homicidij causa esse solet, hac lege vetat. Sic enim ait; *Amen dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Hoc est, diuino iudicio, pro iræ conditione & mensura, aliàs quidem grauius, aliàs verò leuius punietur. *Qui autem*, inquit, *dixerit Racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Quo in loco tres iræ gradus adnotauit. Primus est, cùm ira solùm latet in corde, nec se vlla verborum licentia prodit. Alter, cùm foras etiam excurrit, verbis aliquot internam animi commotionem significantibus. Racha enim D. Augustinus, qui huius Hebraicæ vocis significationem, à quodam Hebræo se quæsiuisse ait, interiectionem quandam esse docet, iram animi sine graui aliqua iniuria significantem. Addit autem tertium iracundiæ gradum, cùm ea in contumeliosa verba prorumpit. Subdit enim Dominus: *Qui autem dixit fatue, reus erit gehennæ ignis*: hoc enim verbo, insignis homini iniuria irrogatur. Quocircà cùm is, qui hoc modo proximum contumelia afficit, lethali se crimine constringat, efficitur obnoxius gehennæ ignis: quæ est pœna lethiferis criminibus à Deo constituta. Cùm igitur tres hoc in loco Dominus iræ gradus designauerit, variæ quoque à Domino illis pœnæ proponũtur. Motum quippe iræ in corde latẽtis diuino iudicio obnoxium facit: qui pro iræ conditione atque mensura parem irascenti pœnam irrogabit. Iræ autem nomine hoc in loco, non primum iræ impetum (qui rationis iudicium quandoque anteuertit) huic pœnæ subiicit. Hi namque primi motus, qui (vt Theologi dicunt) hominis potestati atque arbitrio minimè subiacent, culpa vacare dicuntur. Non enim potest esse peccatum, quod non est voluntarium. Nec enim pius Dominus, humanæ infirmitatis memor, aut vitio nobis vertit, aut punit, quod in hominis potestate non est. Hæc igitur pœna, iram respicit deliberatam: ad quam voluntatis consensus accedit. Secũdus autem iræ gradus est, qui in vocem internæ iræ indicem erumpit. Quod quia grauius est, grauiori pœnæ hominem obnoxium facit. Quam Dominus designauit, cùm sic delinquentem, non quidem iudicio, sed cõcilio (quod est grauius) obnoxium facit. Iudicium quippe vnius sæpe iudicis est; concilium autem multorum. Et in iudicio quidem, defensioni locus datur; quod non tam facilè in multorum

August.

concilio conceditur. Tertius gradus, idemque grauissimus est
cùm ira non ad leuem, sed ad insignem contumeliam deuen
Cui crimini, extrema pœnarum, nempè gehenna ignis propo
sita est: qua nulla maior excogitari potest.

I.

Quod igitur huic tanto malo remedium adhibes Domin
Subdit protinus: *Si ergo offers munus tuum ante altare, & ibi*
cordatus fueris quia frater tuus habet aliquod aduersum te, r
linque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fr
tri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum. Hac mirabili ratio
Dominus, quanta cura & studio, quantaque celeritate læso fra
satisfaciendum sit, plenissimè declarauit. Constat enim sacri
cia, & oblationes, siue sint rerum nostrarum, siue orationum d
Oseæ 14. uinarumque laudum, (quæ, vt Oseas ait, sunt vituli labioru
Deo gratissimi) ad eius cùm primis gloriam spectare, quæ A
gelorum ministerio Deo offeruntur. Quemadmodum Ioann
Apoc. 8. in Apocalypsi ostendit, cùm se Angelum vidisse testatur, qui
thuribulo aureo thura, hoc est, sanctorum orationes, Deo offe
rebat. Cùm igitur homo altari Dei assistens, huiusmodi obla
tiones Deo offerre parat, quas Angeli expectant, vt eas comm
ni Domino offerant; iubet ipse Dominus, cœptũ oblationis
pus intermitti; & seipsum, atq. Angelos interim expectare vul
donec tu offensum fratrem adeas, illique reconcilieris. Sed qu
so Domine, an non satis erat, vt homo ipse paululum expecta
ret, quousque tibi litaremus; & hanc pietatis & religionis ho
stiam maiestati tuæ debitam offerremus? An non satis ad ho
minis dignitatẽ erat, vt secũdas ei partes, post maiestatem tuam
tribueremus? Quæ enim iustitiæ ratio patitur, vt priori loco
quæ sunt hominis, quã quæ tua sunt curemus? Verùm hoc fra
tres nõ solùm magnã Dei nostri iustitiã, sed magnam etiã eiu
Chrysost. bonitatẽ, & misericordiam declarat. Vndè meritò D. Chrys. ex
clamat; O ineffabilem Dei nostri benignitatem, atque immen
sum erga homines amorem! Honorem suum quodammodo
despicit, dum in homine charitatẽ requirit. Quid enim his ver
bis mitius? *Relinque ibi munus tuum, & vade prius, &c.* Hoc est,
Interrumpatur ministerium meum, vt tua charitas integretur.
Cætera enim officia Dominus interrumpi patitur; ne charitatis
vinculum, quo sumus omnes colligati, disrumpatur.

Verùm dicet aliquis, cùm Decalogi præcepta in duabus ta
bulis digito Dei descripta fuerint: quarum prior præcepta, quæ
ad Dei cultum, posterior verò quæ ad hominum charitatem

perti

pertinent, contineat: priorisq́. tabulæ præcepta, quæ sunt diuini ordinis, cæteris anteferenda sint, (vnde est illa Theologorũ regula, Secunda tabula cedit primæ) quæ ratio patitur, vt oblationibus & sacrificiis, quæ ad Dei cultum pertinent, fraternæ charitatis officia anteponenda sint? Huic igitur quæstioni illud primo loco respondeo fratres, (quod quidem mentibus vestris valde infixum esse vellem) hunc esse ordinem ab æquissimo legislatore Deo institutum, vt cùm is in literis sanctis alia quidem virtutum officia præcipiat, alia verò consulat, semper ea, quæ præcipit, iis quæ consulit, præferri velit. Hoc enim celebris illa 1.Reg.15.
Samuelis sententia clamat: Melior est obedientia, quàm victimæ. Obedientia enim præcipitur: victima autem & sacrificiũ, quamuis aliquando præcipiantur, sæpè tamen consuluntur. Quocircà nihil mirum, si cùm hæc ipsa consulantur, fratris autem læsi satisfactio præcipiatur, priori loco Dominus fratris satisfactionem, quàm oblationẽ haberi voluerit. Quia verò Saul rex, huius ordinis legem minimè seruauit, regno pariter & vita spoliatus, & nequissimo spiritui vexandus, traditus est. Ne vos autem similem vindictam experiamini, sollicitè admodum in vestris operibus, quid Deus præcipiat, & quid consulat, explorare debetis; ne fortè pia vestra vota, diuinis præceptis aliqua ratione obsistant. Vt enim diuus Bernardus ait: Ingratum est Bernard.
Spiritui sancto, quicquid obtuleris neglecto eo, ad quod teneris. Vndè illud sequitur, vt nobiles matronæ sic rebus diuinis intersint, vt priori loco, familiæ suę curam gerãt. Deinde etiam, vt vxores, virorum suorum, & filiæ parentum debita obsequia, quæ Deus imperat, priori loco, quàm alia pietatis officia quæ non præcipiuntur, habeant.

Illud etiam secundo loco respondemus; quòd qui peccat in fratrem, non in fratrem solùm, sed multò magis in Deum peccat. Itaque cùm hominem offendis, Deum offendis: qui illum ad imaginem suam condidit; qui sanguine suo redemit, qui illum in filium, & regni sui hæredem instituit; qui nudum, & inermem in hunc mundum misit, à bestiis illum tutum seruans, immisso in omnibus animantibus eius terrore: & ab ira tua sanctissima lege ad ipsius tutelam, & incolumitatem lata. Cùm igitur supernus ille iudex, inter te, atque proximum tuum, perpetes inducias posuerit, si ipsum lædis, magis aduersus Deũ, quàm aduersus hominem deliquisti.

Adde etiam, quòd vbi Dominus humanitatis nostræ vestem induit, sanguinemque suum in pretium hominum fudit, hac

noua

noua dignitatis accessione ad nouum quoque dignitatis gr dum hominem extulit: quem sibi eiusdem naturæ agnation copulauit, sanguinisque sui pretium supra illum posuit. Qua rem Petrus Apostolus cõfitetur, cùm nos ad aspersionẽ sangu nis Christi vocatos, ait. Quocirca, cùm hac noua ratione hon Deo copulatus, & capiti suo coniunctus, inter mystici eius co poris membra adnumeretur; consequens est, vt quisquis adu sus illum delinquit, aduersus Christum delinquat: quandoq dem membrorum iniuria in capitis quoque iniuriam redun

1. Cor. 8. Vndè Apostolus: Sic autem, inquit, peccantes in fratres, & pe cutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum pecca tis. Qua ex re liquet, quòd cùm hominem offendimus, Deu ipsum, cuius ille membrum est, quique illum nouo sibi affin tatis vinculo copulauit, offendamus. Quæ res, nos ab omnib minum vel iniuria, vel contumelia, vehementer arcere debe

Valer. Max. Cùm quidam Romanorũ Imperator (vt Valer. Max. refer ciuitatem quandam obsideret, nobilis quidam vir ex iis, q obsidebantur, ad Romanorum castra confugit. Quod cu obsessi animaduertissent, filiolum quẽ is in ciuitate reliquera in ea muri parte, quæ præcipuè hostium telis acriter impeteba tur, collocauerũt. Quod cùm Romanus Imperator animadue tisset, telorum iactus in eius gratiam qui ad se confugerat, ce sare iussit. Quod igitur Princeps hic, vnius hominis dignita tribuit, nos cælesti Imperatori negabimus, vt videlicet in eiu gratiã hominibus parcamus; quos ille in filios adoptauit, & si corporis membra effecit? Ex hoc autem fonte, sic peccati gra uitas atque deformitas emanat, vt quæcumque alia deformita huic comparata nulla sit. Quam rem sanctus ille pœnitens de clarauit; cùm post commissum adulterij crimẽ, & Vriæ cædem veniam à Domino postulans dixit: Tibi soli peccaui, & malum

Psal. 50. coram te feci. Et quidem is probè nouerat, se & contra vxorem

2. Reg. 11. Vriæ peccasse (quam ad turpis facinoris consensum induxerat) & contra innocentem Vriam; (quem crudeli consilio hostium armis necandum tradidit) & contra subditum sibi populum (cu hoc infando scelere, grauissimum scandalũ præbuit, quo etiam inimicos ad blasphemandum Dei nomen impulit;) nihilomi nus tamẽ prudens ille pœnitens aduersus Deum solum se pec casse confitetur: quòd intelligeret omnem aliam peccati defor mitatem (quæ homines attingeret, quamlibet grauissimam) di uinæ offensioni comparatam, nullam esse. Hac ergo ration fratres, offensam in proximum æstimare debetis; quòd videli

ce

cet non tam ille, quàm in illo Deus offendatur; qui nobis præcepit, ne illum aliqua in re læderemus. Ad quod (vt nihil esset aliud) sola præcipientis auctoritas, satis esse debebat. Hanc enim designat cùm hoc in loco ait: *Ego autem dico vobis, &c.* Vnde toties in Prophetarum libris, hæc verba in singulis propè paginis repetuntur, Hæc dicit Dominus: hæc dicit Dñs. Dominus ergo præcipit, vt proximum diligas; vt nulla illum contumelia afficias: Deus præcipit, vt nemini maledicas, nemini detrahas, nemini malepreceris: Deus præcipit, vt neminem aut fatuum, aut ebrium, aut latronem, aut rapacem, aut adulterum, aut mẽdacem, aut periurum appelles: neminiq. vlla in re noceas. Quid igitur magis aliud linguam manusq. tuas continere, quàm hæc tanta pręcipientis auctoritas debet? Quis enim audeat aduersus diuinitatis imperium rebellare? quis eius leges infringere? cuius magis imperium vereri? quem magis intueri, quàm Deum debemus? Si enim rei alicuius gratia Dei leges violamus, illam vtique magis quàm Deum diligimus & honoramus: quod spiritualis cuiusdam idololatriæ crimen est. Quam rem Dominus Heli summo sacerdoti significauit, cùm dixit; Magis honorasti filios tuos quàm me. Qui enim propter filium Dei legem trãsgreditur, filium vtique magis quàm Deum diligit & honorat. Quocirca mirum planè est, creaturas omnes à sedibus suis aduersus eos non consurgere; qui Deum hac ratione, à maiestatis suæ solio deturbant. Præcepit olim Deus generis nostri principibus, ne de fructu ligni scientiæ boni & mali ederent; in quo quidem præcepto, seclusa præcipientis auctoritate, nihil erat deforme, nihil turpe. Cæterùm mulier temerario ausu à serpẽte decepta, manus in arborẽ sustulit. Quid agis ò mulier? quid moliris? quò tendis? quid designas? quæ te vis ad hoc tantum nefas impellit? O quantum lachrymarum, quantum funerum, quantum calamitatum, quantas dolorum acerbitates in filios tuos immittis, dum virum tuum ad peccati tui cõsensum attrahis! Hanc autem tuam, viriq́ue tui inobedientiam omnia secula hactenus deplorarunt, perpetuoq́ue deplorabũt. In qua tamen non aliud fuit, quàm id contingere, quod Deus ne contingeretur prohibuerat. Hactenus de Euangelica lectione: nunc sententiam thematis verbis comprehensam, excutiamus.

1\. Reg. 2.

Gen. 2.

TRACTATIO THEMATIS.

Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Vidimus hactenus fratres, quantum periculi ab ira nobis immineat. Solo enim fatui verbo hominẽ dehonestasse,

reos

reos nos facit gehennæ ignis, hoc est, sempiterni incendij, qui nullo vnquam æuo extinguetur. Cùm autē lingua nostra ad lubrica & volubilis sit: facilè (vbi animus ira commotus est) in simile conuitium, aut in aliud multò grauius erumpit. No enim ad hoc aut manibus, aut armis, aut satellitio opus est. Sa enim ad hoc est vnius verbi contumelia. Quò autem hoc mag in promptu est, hòc maiori cura studioque vitandum. Qu cùm sit in omni turbido animi motu faciendum, tum in eo q nos ad iram concitat, maximè necessarium esse constat. Vt en

Plutarch. Plutarchus ait, Vix aliquod vitium reperiemus, quod ma paratis ante remediis egeat. Cætera enim mala, (vt idem a etiam tum cùm viget morbi vis, vtcumque cedunt, & admitt

Simile. orationem opiferam aliundè. Verùm ira, non aliter quàm il qui sese vnà cū ipsis ædibus incendūt, ita tumultu, fumo, & cal gine cuncta intus replet, vt nec videre possis, nec audire eos, q

Simile. cupiunt subuenire. Vnde quemadmodū qui expectant obsidi nē, contrahūt, & in prōptu collocant quibus est opus (nihil sp collocantes in his quæ sunt extra ciuitatem) ita maximè nos o portet aduersus iracundiā auxilia è longinquo petita, nimirū Philosophia cōportare in animū; ne cùm tempus aduenerit eo

Simile. rū vsum postulans, non facilè possint aliunde inuehi. Vt ergo quis in ipso cursu nemo iniicit fræna, sed lōgè antè: ita qui ani mo sunt in irā præcipiti, & ad res molestas facilè irritabiles, ra tionib⁹ quibusdā diu antè præsūptis, in certamē sunt producē

Inter varia autem remedia, quæ aduersus hunc morbum a sapientibus viris proponuntur, primum quidem mora tempori

Seneca est. Qua de re sic Seneca: Maximum, inquit, remedium iræ, di latio est, vt primus eius feruor relanguescat; & caligo, quæ pre mit mentem, aut resideat, aut minus densa sit. Quadam ex hi quę te præcipitem ferebant, hora, nō tantum dies, molliet: qua dam ex toto euanescent. Et paulo pòst, in eandem ferè senten tiam: Multos, inquit, absoluemus, si cœperimus antè iudicar quàm irasci: nunc autem primum impetum sequimur. Deinde quamuis vana nos concitauerint, perseueramus; ne videamu cœpisse sine causa. Quocirca quicumque verè sapiunt, cùm s ira commoueri sentiunt, & linguam, & manus ab omni iniuri

Cicero lib. 4. Tusc. q. Laertius in vita Plato. continent. Vnde Archytas ille Tarētinus insignis Philosophus, cùm in agro comperisset quosdā è famulis admisisse quiddam sentiens se commotiorem in illos, nihil quidem tum fecit: tan tum abiens, Fortunati, inquit, estis quòd irascor vobis. Plato autē interrogatus, quo indicio cognosceretur sapiens, respondi

Sapiens

Sapiens cùm vituperatur, non irascitur: cùm laudatur, non extollitur. Idem iratus seruo, cùm eum castigare pararet, & fortè interueniret Xenocrates: Flagella, inquit, hunc puerũ: nam ipse sum iratus. Sibi diffisus est homo Philosophus, sentiens animi commotionem: At vulgus hominum tum maximè punit, cùm irascitur. Athenodori quoque saluberrimum consilium, quod Plutarchus refert, hoc in loco præterire non possum. Cùm is igitur causatione senectutis flagitaret, vt sibi liceret redire domũ, Augustus concessit. At cùm ille Cæsari dixisset, Vale. volens aliquod Philosopho dignum monumentum apud illum deponere, adiecit: Cæsar, cùm fueris iratus, ne quid dixeris, fecerísve, priusquam Græcarum literarum viginti quatuor nomina apud te recensueris. Cæsar autem Philosophi dextrã amplexus, Adhuc, inquit, te præsente mihi opus est: totumq́. etiam annum apud se detinuit. At sanctissimus pater Ambrosius hac tam breui mora ad iræ sæuitiam atque furorẽ sedandũ minimè contentus, multò longius spatium post latam capitis sententiam ad eam exequendam Theodosio Imperatori pœnitentiæ nomine indixit. Rem autem vobis gratissimam me facturũ arbitror fratres, si huius rei historiam, quæ iræ immanitatẽ simul, & remedium continet, & summã item imperatoris obedientiam, summamq́. Antistitis Ambrosij constantiam declarat, eisdem quibus descripta est verbis exposuero.

Idẽ lib. 3.

Plutar. in Rom. Apoph.

Thessalonica ciuitas est grandis: in qua cùm fuisset orta seditio, quidam iudicum lapidati sunt, atque trucidati. Hinc indignatus Theodosius, iracundiæ non refrænauit impetum: sed iussit iniustos gladios super omnes euaginari; & vnà cum nocentibus innocentes interimi. Septem millia etenim hominum (sicut fertur) occisa sunt, non præcedente iudicio. Huiusmodi cladem plenam valdè gemitibus audiens Ambrosius, cùm Imperator Mediolanum venisset, & sollemniter in sacrum voluisset intrare templum; occurrit foris ad ianuas, & ingredientem his sermonibus à sacri liminis ingressu prohibuit. Nescis Imperator perpetratæ à te cædis quanta sit magnitudo? neque post causam tanti furoris mens tua molẽ præsumptionis agnoscit? sed fortè cognitionẽ peccati prohibet potestas imperij. Decet tamen vt vincat ratio potestatem. Sciẽda quippè natura est, eiusque mortalitas, atque resolutio, & puluis progenitorum, ex quo facti, & in quẽ redigendi sumus: & non flore purpureo confidentem, infirmitates operti corporis ignorare. Quibus igitur oculis aspicies communis Domini templum? quibus calcabis

Historiæ tripartitæ lib. 9. cap. 30.

pedibus

pedibus ſanctum illius pauimentum? quomodo manus exten-
des, de quibus adhuc ſanguis ſtillat iniuſtus? quomodo huiuſ-
modi manibus ſuſcipies ſanctum Domini corpus? qua temeri-
tate ore tuo poculum ſanguinis precioſi percipies? quando fu-
rore verborum tuorum tantus iniuſtè eſt ſanguis effuſus? Rece-
de igitur, recede: nec altero peccato priora crimina augere con-
tēdas. Suſcipe vinculū, quo te omnium Dominus hunc ligat: eſt
enim medicina maxima ſanitatis. Cumq. octo menſium tranſiſ-
ſet tempus, propinquauit Natiuitatis Saluatoris noſtri feſtiui-
tas. Imperator autem lamentationibus aſſiduis in palatio reſi-
dens, continuas lachrymas inceſſanter expendebat. Ingreſſus
itaque Ruffinus ſingularem apud principem habens loquendi
libertatem, & videns principem in lamentatione proſtratū, ac-
ceſſit, vt lachrymarum cauſam inquireret. At ille amariſſimè in-
gemiſcens, & vehemētius lachrymas fundens: Tu, inquit, Ruf-
fine ludis, & mea mala non ſentis. Ego autem lamentor, & ge-
mo calamitatem meam: quia ſeruis quidem & mendicantibus
aperta ſunt templa Dei, & ad Dominum ingrediētes licitè exo-
rant, mihi verò ingreſſus in templum denegatur. Inſuper etiam
cæli ſunt mihi clauſi. Hæc dicens, verba ſingula ſingultibus in-
terrumpebat. Ruffinus verò, Curram, inquit, ſi tibi placet, Pon-
tificique precibus ſuadebo, vt ſoluatur vinculum, quod illigauit.
Ait Imperator: Non ſuadebis Ambroſio. Noui ego decretum
illius eſſe iuſtum, neque reuerebitur imperialem potentiam, vt
legem præuaricetur diuinam. Cumque Ruffinus ad ſanctum
Antiſtitem veniſſet, & pro Imperatore ſuppliciter veniā pete-
ret, ipſumque Imperatorem iamiam ad futurum diceret: Ego
verò, inquit, Ruffine prædico, quòd eum ingredi ſacra limina
prohibebo. Si verò imperium in tyrannidem mutabit, necem
libenter ego ſuſcipiam. Hæc & alia plurima Ruffinus audiens,
nunciauit Imperatori votum Antiſtitis: monens ne de palatio
procederet. At Imperator hæc in media iam platea cognoſcens,
Pergam, inquit, & iuſtas ſuſcipiam contumelias. Cumque ad
ſacra limina perueniſſet, in ſanctam quidem Baſilicam non in-
trauit. Sed veniens ad Antiſtitem, & inueniens eum ante limi-
na templi reſidentem, ſupplicabat, vt ipſius vincula reſolueret.
At ille tyrannicam dicebat eſſe eius præſentiam, & contra Deū
inſanire Theodoſium; eiuſq. calcare leges. Verùm Imperator:
Non, inquit, inſurgo aduerſus Eccleſiaſticas ſanctiones, neque
iniquè ingredi limina ſacra contendo: ſed te ſoluere mea vincu-
la depoſco, & communis Domini pro me exorare clementiam;

nec

nec mihi ianuam claudi, quam cunctis pœnitentiam agentibus Dominus noster aperuit. Tum Antistes: Quam, inquit, pœnitentiam ostendisti post tanta scelera? At Imperator; Tuum, inquit, opus est edocere, & medicamina temperare: meum verò oblata suscipere. Tum S. Ambros. Quoniam furori, inquit, tuũ iudicium commisisti, & non ratio protulit sententiam, sed iracundia: scribe legẽ, quæ decreta furoris euacuet; vt triginta diebus sententia necis atque proscriptionis in literis tantummodo maneat, & iudicium rationis expectet. Quibus transactis, ira videlicet iam cessante, ratio causam iudicans, apud seipsam quæ cognouerit sub veritate disponat. Hanc admonitionem Imperator animo lubenti suscipiens, & optimã esse confidens, legem conscribi repentè præcepit, cui & ipse protinus subscripsit. Quo facto vinculum eius soluit Ambrosius. Quæ lex hactenus obseruatur. Hęc omnia ad verbum ex Theodoreto: qui hanc adeò insignem, vereque memorandam historiam copiosè descripsit: in qua nescias quid magis mirari debeas, an iræ immanitatem ac truculentiam, quæ non quidem Neronem, sed religiosissimũ Theodosium ad tam execrandum facinus impulit: an eiusdem Imperatoris humilitatem & obedientiam; qui adeò patienter grauissimam Antistitis pœnam tandiu sustinuit: an eiusdem Antistitis auctoritatem, atque constantiam; qui tanta verborum acrimonia illum orbis monarcham castigare non timuit. Omnia hæc certè suo quodque in genere miranda, nostroque infelici seculo prorsus inusitata.

II.

Est & aliud morbi huius medicamentum: quod fortassè non omnibus, sed illis præcipuè gratum erit, qui tota animi contentione ad huius mali remedium aspirant. Quod quidem Plutarchus exponit his verbis, Perpetuas ac frequentes iras, quæ paulatim in animis colliguntur, potissimum gignunt in nobis amor nostri, morositas cum delitiis ac mollitie coniuncta, non aliter quàm examen apum, aut vesparum. Proinde ad mansuetudinem nullum maius viaticum, quàm facilitas ac simplicitas morum erga famulos, vxorem, & amicos: videlicet si possimus rebus præsentibus esse contenti, nec egere multis ac superfluis. Itaque consuefaciendum est corpus, vt per frugalitatem, facilitatemque discat sibi sufficere (etenim qui pauca requirunt, non frustrantur multis) vtque nihil tumultus mouens cibi gratia, silentio vtatur his, quæ fortè contigerunt: vt ne multis de causis irascentes & indignantes, ingurgitemus nos obsonio insuauissi-

Plutarchus lib. de cohiben. iræ.

mo tum nobis, tum amicis, videlicet ira. Hæc ille. Et paulo pòst in eandem ferè sententiam: Consuescendum est, inquit, vt faciliter assuescamus & vasculis quibuslibet, ne hoc magis vtamur, quàm illo. Proindeque qui ad iram propensus est, huic abstinendum est à raris, ac insignibus; velut à poculis, sigillis, ac lapidibus pretiosis: propterea quòd si pereant, magis turbamur, quàm ab iis, quæ paratu facilia sunt, ac vulgaria. Cæterùm facilitas in rebus vtendis, etiam erga famulos, reddit hominem facilem, ac mansuetum. Quòd si tales reddit erga famulos, haud dubium est, quin multò magis erga amicos, & erga illos in quos gerimus imperium. Hactenus ille.

Verùm vt huic parti finem iam imponam fratres, Plutarchum ipsum morbi huius medicum peritissimum, vobis in exemplum proponam: & quo medicamenti genere idem seipsum curauerit, eiusdem verbis ostendam. Primùm igitur vitij huius deformitate in aliis animaduersa, se in eius odium exar-

Plutarch. vbi sup.

sisse testatur his verbis: Et quidem, sicut Hippocrates ait, eum morbum esse grauissimum, qui faciem ægrotantis quàm maximè mutet in diuersum: ita conspiciens alios ob iram maximè sibi excidere, ac vultum immutantes, colorem, incessum, vocem in diuersum vertere: hinc velut imaginem eius mali mihi fingebam, admodum dolens, si quãdo tam formidabilis & commotus viderer amicis, vxori, ac liberis, nõ tantum aspectu truci, & ad consuetudinem inamœno, verùm etiam vocem emittens immitem, & asperam: Idem etiã obseruaui, cùm in alios familiares incidissem, qui neque mores, neque formam, nec sermonis gratiam, nec affabilitatem & comitatem in colloquio præ ira

Dissimil.

seruare possent. Mare quidem cùm ventis turbatum, algam & fucum reiicit, aiunt purgari. Verùm ira, animo exæstuante, & inuerso, sermones reiicit impudicos, amarulentos, ac scurriles, quibus ipsos loquentes conspurcat, oppletque infamia.

Deinde quoniam ira aduersus inertes & parùm diligẽtes seruos excitari frequentius solet; hac in re illud Ecclesiast. consilium quisquis modestiæ, atq. moderationis amans est, in promptu habeat: Noli esse quasi leo in domo tua, euertens domesti-

Eccl. 4.

cos tuos. Quod quidem consilium sic idem Plutarchus amplexus est, vt de seipso dicat: Cùm omnes animi cupiditates egeant

Plutarch. vbi suprà.

assuetudine, veluti domitrice, quę exercitatione superet impetũ rationi rebellem & intractabilem: non alibi maius est certamen heris inter famulos, quàm aduersus iram. Neque enim aduersus hos oboritur inuidia, aut metus vllus: sed iræ etiam assiduæ,

quæ multas pariunt offensas & errores, ob faciendi quod velis licentiam, velut in lubrico loco abripientes animum, nemine obsistente, aut prohibente. Nec enim fieri potest, vt in eo affectu nihil peccans, cohibeat rebelles animi motus: nisi quis multam illam quod velit faciendi licentiam, multa lenitate circunsepserit: ac nisi multas voces tolerauerit vxoris, & amicorum incusantium lenitatem & socordiam: quibus potissimum exacerbabar & ipse aduersus famulos, veluti quos corrumperem non castigando. Tandem verò cognoui, quod primum quidem præstaret, illos reddere deteriores tolerantia, quàm si quis amarulentia & ira deprauet seipsum, dum corrigere vult alios. Et mox. Cæterùm assidua verberatio non admissis precibus, aut excusatione, nequaquam hoc efficit in seruis, vt pœniteat peccasse, sed vt prospiciant ne sentiantur peccare. Similé. Ibidem.

Verùm vbi aliquando expedit punire, oportet hominem iræ impulsu ad vindictam properantem, sibi ipsi suggerere: si hic hodie peccauit; & cras & perendie verum fuerit eum peccasse; neque quicquam erit periculi, si paulò serius det pœnas: sed si præproperè punitus fuerit, semper videbitur non peccasse: quod iam frequenter accidit. Quis enim nostrûm vsque adeò morosus ac sæuus est, vt puniat ac flagris cædat seruum, quòd ante quinque aut decem dies adusserit obsonium, aut mensam subuerterit, aut tardius auscultauerit? Et tamen hæc sunt, ob quæ protinus vt acciderunt, ac recens admissa sunt, turbamur, exacerbamur, & implacabiles sumus. Quemadmodũ enim per nebulam corpora, ita per iram maiora videntur commissa, quàm sunt. Quapropter oportet illicò horum, hisq. similiũ præceptorum reminisci: Deinde cùm liberi ab affectu, iam nobis ipsi suspecti esse desierimus, si pura ratione sibique cõstante videbitur in admissum scelus animaduertere, nec tum dissimulare, nec vltionem omittere debemus, veluti solent, quos edendi destituit appetentia. Nec enim perinde culpandum est, præsente ira punire, quàm vbi se remiserit, non punire: sed remissum ac dissolutum fieri, vt idẽ accidat nobis, quod solet pigris nautis: qui, dum est tranquillitas, commorantur in portu: deinde periclitantur velificãtes. Nam nos quoque neglecta rationis mansuetudine ac mollitudine in puniendo, properamus id facere adueniente ira, ceu flatu periculoso. Ac cibo quidem secundũ naturam vtitur, qui esurit: vltione verò tunc rectè quis vtitur, cùm eam nec sitit, nec esurit, nec iam opus habet ad puniendũ, velut obsonio ad edendũ. Quin potius cùm longissimè cœperit abesse ab appetitu

Plutarch. lib. de cohib. irac.

Simile.

Simile.

Dissimil.

appetitu vindictæ, necessariò rationem, ac prudentiam admouet. Hactenus ille.

Ibidem. Adiicit his quoque aliud non minus mirandum in ethnico homine remediũ, & Christianis certè hominibus maximè imitandum. Quod quidem mihi non tam ex humana quàm ex diuina Philosophia desumptum esse videtur. Sic enim de seipso ait: Laudabam interim & illas non inuenustas, nec abhorrentes à studio sapientiæ actas in precibus consuetudines; annum à re venerea, vinoque puros viuere, colentes interim Deum temperantia: aut rursus à mentiendo certum tempus abstinere, nos ipsos interim obseruantes. Deinde hisce rebus instruebam animum meum, vt qui non minus amet pietatem, quàm Philosophiam: vt primùm paucos dies sacros sine irascendo transigerem, velut absque temulentia, vinoque, non aliter quàm si celebrassem ea festa: in quibus vinum attingere, aut luxui indulgere fas non est. Deinde idem faciebam mensem vnũ, aut duos, paulatim mei ipsius periculum faciens. Sic tempore proficiebam ad vlteriorem malorum tolerantiam, diligenter attendens & conseruans meipsum.

Hæc sunt, fratres, huius quotidiani morbi remedia, quibus ethnicus homo, qui neque de gehenna ignis, iræ contumeliis proposita, neque de cælesti gloria mãsuetis promissa, quicquam audierat, morbum hunc curare satagebat. Quid ergo nos facere par est, qui in meridiana Euangelij luce versamur? qui tot promissis ad pietatem & iustitiam vocamur? tot minis ab improbitate deterremur? tot beneficiis ad Dei amorem allicimur? tot sacramentorum medicamentis adiuuamur? tot sanctorum exemplis excitamur? tot postremò concionibus, atque doctrinis quotidie erudimur? Tantùm certè probitatis studio atque diligentia illos vincere debemus, quantùm his cælestibus adiumentis atque præsidiis illos superamus. His igitur remediis, fratres, fera pessima iracundia profligata, lenitatem & mãsuetudinem, morumque facilitatem præcipuè colamus: qua & in hoc seculo placidam & tranquillam vitam degere, & in futuro ad sempiternæ pacis & quietis portum aspirante Domino appellere valeamus.

DOMI-

DOMINICA SEXTA POST PENTECOSTEN CONCIO PRIMA: IN qua post Euangelicæ lectionis explanationem, verba thematis paulò latiùs explicantur.

THE. *Si dimisero eos ieiunos, deficient in via.* Mar. 8.



OTA Christiani hominis salus, atque felicitas in hoc vno sita est, vt Christo capiti suo perfectè cõiungatur; & vnum cum illo fiat. Quis autem hac ex re fructus consequatur, idem ipse Dominus his memoralibus verbis in Euangelio declarat. Si Ioan.15. manseritis in me, & verba mea in vobis mãserint; quodcunque volueritis, petetis; & fiet vobis. Quid quęso his amplius, aut magnificentius promitti potuit? Quid enim hoc aliud est, quàm hominem quodammodo Deum facere; cuius est omnia quæ voluerit efficere? Quid verò mirum, hominem Deo coniunctum, & vnum cum illo effectum, multa eius virtute posse, quæ ipse potest? Si quæratis autem quid vos perfectè Christo cõiungat, fidem simul cum charitate respondemus. Fides enim, si charitate destituta sit, vnit illa quidem nos Christo (vtpote quæ fideles, & cælesti semine insignitos facit) sed imperfectè tamen, quemadmodum arida membra corpori suo vniuntur: à quo tamen sensum, motumque minimè percipiunt. At eadem fides, si Simile. charitate informata, & ornata sit; perfectè Christo tanquã viua membra capiti suo copulat. Quo fit, vt quemadmodum animantis caput vim suam, atque virtutem in membra viua infundit: ita Christus Dominus (quem cælestis pater dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus eius) meritorum, & gratiarum suarum dona in illos spargit, qui sibi tãquam viua membra conglutinati sunt. Simile. Ephe. 1.

Quia igitur tota salus nostra in hac felicissima vnione posita est; ideò salutis nostræ amator Dominus, & hoc ipsum modò in cælo residens, perpetuò curat; & in hoc ipso dum ad nos venit, modis omnibus elaborauit. Hoc autem præstitit non solùm excellentibus virtutum meritis; sed multò etiam magis clarissimis operum signis, atque miraculis. Cùm enim is tanquam rerum omnium conditor, ac Dominus, varia in cælo, & in terra signa edere potuisset, quibus immensam diuinitatis suæ potentiam

mundo declararet, ea tamen præcipuè edere voluit, quæ simul & signa essent & beneficia: quorum altero diuinitatis suæ fidem faceret; altero homines arctissimo sibi amicitiæ vinculo copularet. Itaque per vicos & castella vbique progrediens, infinitam hominum multitudinem partim variis omnis generis morbis conflictantem, partim ab immundis spiritibus vexatam, nunc verbo, nunc sacræ manus suæ, nunc vestis contactu, sanitati restituit. Omnis enim turba quærebat eum tangere: quia virtus
Luc. 6. de illo exibat, & sanabat omnes. His igitur admirandis signis & discipulos suos, & multos ex iis, qui Lazarum à morte excitatum viderant, & multos item alios ad fidem traxit: & omnes item, qui eius beneficiis ingrati non fuissent, vehementer in sui amorem pellexit. Beneficentia quippe & misericordia voluntates hominum ad amorem maximè incendunt: quæ virtutes
Lucæ 7. in Domino saluatore potissimùm eluxerunt. Sic misericordia motus erga viduam vnicum filium efferentem, non modò verbis consolatur, sed etiam rediuiuum illi filium restituit. Sic mi-
Marc. 6. seratus in deserto populum, quòd essent quasi oues non habentes pastorem, ipse tanquam bonus pastor, & eorum languidos
Ioan. 6. curauit, & doctrinæ pabulo refecit, & esurientes etiam quinque panibus satiauit. Sic etiam ante sacram huius Euangelij lectio-
Matth. 15. nem, Matthæus Euang. narrat, Dominum secus mare Galilææ in montem ascendisse, ibique cum discipulis suis consedisse. Et accesserunt, ait idem, ad eum turbæ multæ habentes secum mutos, cœcos, claudos, debiles, & alios multos, & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos; ita vt turbæ mirarentur videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes; & magnificabant Deum Israël. Hoc igitur officium, hoc munus, hæc continua Domini Saluatoris opera extiterunt, quandiu inter homines versatus fuit. Quid enim aliud omnipotens ille rerum conditor è cælo descendens in terram facturus erat? Qua alia ratione se cum hominibus hominum conditor gerere debuisset; nisi iuuando quos condidit, & suum ipsius opus perficiendo, & à malis omnibus liberando? Nec contentus hac benignitate, amplificat etiam mirabili magnificentia benignitatem. Quos enim languidos à morbis curauerat, eosdem in deserto esurientes pascit: nihil ab eis accipiens, sed gratiam gratia, & beneficium beneficio cumulans. His igitur officiis Dominus (vt antè diximus) ad fidem & sui amorem homines excitabat: quæ duæ virtutes ipsos capiti suo coniungunt: atque ita gratiarum & meritorum eius participes, & quodammodo diuinos

diuinos efficiunt. Has ergo virtutes, fratres, ac præcipuè charitatem colere studeamus; vt qui fidem iam beneficio Domini retinemus, charitate illam perficiamus: quæ nos Dei filio vniẽs, diuinæ naturæ cõsortes efficit. O mortalium auaritia, quæ peritur is diuitiis inhias; quantò fœlicius his tantis opibus inhiares? Sed ad historiam veniamus.

Cùm turba plurima esset cum Iesu, nec haberent quid manducarent, conuocatis discipulis ait: Misereor super turbam, &c. Quæri hoc in loco potest, cur Dominus patrandi miraculi consilium cum discipulis communicat; cùm ipse sciret quid esset facturus. Huius rei causã ex alio simili eius opere intelligere licet. Cùm enim paulo ante hoc miraculum, quinque millia hominum, quinque panibus reficere in deserto vellet; & à Philippo quęsisset, vnde panes ad turbam illam alendam emere possent; subdit protinus Euangelista: Hoc autem dicebat tentans eum; hoc est Ioan. 6. fidem eius explorare volens, an videlicet tot antè perspectis miraculis, tantum in fide profecisset, vt crederet posse sine commeatu turbam illã pascere, qui tot antè editis miraculis, diuinitatis suæ potentiam declarasset. Simili igitur consilio nunc à discipulis quærit, qua ratione astanti turbæ cibus prouideri posset. Verùm illi simili fidei infirmitate, qua Philippus, laborantes, respõdent; *Vnde istos quis hìc poterit saturare panibus in solitudine?* Non miror Philippi diffidentiam, qui quamuis alia Domini miracula viderat, hoc tamen nouum miraculi genus, quo sine commeatu populus erat reficiendus, nondum viderat. Sed isti, qui paulo antè viderant maiorem hominum turbam in deserto minori panum numero satiatam, cui & ipsi panum & piscium fragmenta ministrauerant, & duodecim cophinos fragmentorum ex his quæ saturo iam populo superfuerant, Domino præcipiente collegerant, quomodo tam breui temporis mora interiecta, quod ipsi viderant, manibusque tractauerant, obliti sunt? Cur ad hunc modum philosophati non sunt; Qui potuit exigua annona tot homines pascere, poterit vtique id ipsum modò facere, quod anteà fecit. Quàm facile ergo erat, quærenti Domino respondere; Tu Domine, qui paucis antehac diebus, quinque millia hominum, quinque panibus mirabili virtute satiasti, poteris sanè simili virtute hanc turbam reficere; cùm idem modò sis qui anteà fueras. Quis quæso, fratres, adeò tardus atque hebes ingenio esset, qui non hanc responsionem in promptu haberet. Plus B. Martha in fide profecisse videtur; quę quoniã audierat mortuos ad vitam, Christi Domini

virtute reuocatos, hoc ipsum ab eo perfici posse credidit cùm dixit, Domine; si fuisses hîc, frater meus nõ fuisset mortuus. Quid tum postea? Mira profectò fides. Sed & nunc, inquit, scio, quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus. Quibus verbis S. femina credidit, quatriduanum in monumento Lazarum, tetrumq. iam odorem emittentem à Domino suscitari potuisse. At discipuli hebetiores; qui ex miraculo præcedenti, huius noui fiduciam accipere nesciuerunt. Non dubium quin apertè hoc argumento colligamus, nõ Philippum modò, sed omnes etiam discipulos, qui huic consilio interfuerunt, tardissimos ingenii fuisse: qui sic in meridiana luce caligabant; vt nec hãc rem adeò perspicuam assequi possent. Quos Dominus ideò tales elegit, vt incomparabilem diuinitatis suæ potentiam hac ratione declararet: qui talibus instrumentis vniuersum potuerit mundum superare, tyrannorum vim effringere, aras & templa idolorum euertere; & Diis patriis, auitisque repudiatis, crucifixum inter latrones hominem pro illis, verum Deum, vndique conditorem prædicare.

Ioan. 11.

I.

Misereor, inquit, *super turbam: quia ecce iam triduò sustinent me; nec habẽt quod manducent.* Hîc ego non tam turbæ fidem ac deuotionem (quæ triduo in deserto cum Domino permanebat) quàm Domini lenitatem, miraculorum virtutẽ, & docẽdi gratiam admiror. Cùm enim animaduerto turbam illam triduò in deserto sine domo, sine lecto, sine hospitio, sine commeatu (qui propè iam defecerat) perdurantem, dieique æstum & noctis intemperiem cum paruulis etiam & vxoribus tolerantem, ac super nudam humum cubãtem; quid aliud iudicare potero, quàm eam fuisse Dominicæ præsentię gratiam, eam in sanando virtutem, eam in docendo suauitatem & eloquentiam, vt homines illi sui quodammodo obliti, vsque adeò à diuina illa Domini præsentia, & docentis ore suspensi essent, vt neque longioris viæ, neque inediæ, quæ illos iam premere cœperat, recordarentur! Neque id certè mirum videri debet. Fuit in Gallia vir quidam facundissimus: qui quocumque vellet, auditorum animos dicendo flectebat: quem huius rei gratia aurea quadam catena ex eius lingua pendente pingebant; quòd suauissimo linguæ suæ eloquio, homines ad id quod volebat, quasi vinctos traheret. Vt enim parens eloquentiæ Cicero ait, Tantam vim habet illa, quę à bono poëta dicta est flexanima, & omnium regina rerum oratio, vt hãc illi facultatem flectendi animos sapientissimi homines

Cicero.

nes tribuerint. Si igitur ad permouendos animos tãtum humana facundia potest, quid quæso de diuina sentiendum est, nisi quòd tantò ea sit suauior atque potentior, quantùm diuina virtus humanam superat? Quo minus mirãdum est, hanc turbam sui, atque rerum omnium oblitam à conspectu Domini discedere non potuisse. Ait igitur Dominus:

Misereor super turbam: quia ecce iam triduò sustinent me. Pro, sustinent me, Matthæus dixit, Perseuerãt mecum. Hæc est prima diuinæ miserationis causa, boni operis perseuerantia. Bonum est (ait Propheta) præstolari cũ silentio salutare Dei. Quis vnquam in bono opere perseuerauit, qui misericordiam Domini non inuenerit? Perseuerauit Magdalena ad tumulum Domini, recedẽtibusque discipulis non recessit: ideoque prior illis resurgentem Dominum videre meruit. Perseuerauit Chananæa assiduis precibus opem Domini implorans; nec toties repulsa cessit: tandemque audire meruit; O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Perseuerauit importunus ille amicus ex Euangelio ad amici ianuam pulsans, tres panes commodato postulans; & hac perseuerantia cessantem amicum, & excusantem vicit: datumque est perseuerantiæ, quod amicitiæ negabatur. Perseuerauit triduò in oratione Sara Tobiæ iunioris vxor, & post septem virorum funera, virum tandem sanctissimũ cõsecuta est. D. verò Hieronymus acriter à dæmone tentatus, opem Domini implorans, tandiu in oratione perseuerauit, vt ipse de se in Epistola ad Eustochium dicat; Memini me clamãtem, diem crebrò iunxisse cum nocte: nec prius à pectoris cessasse verberibus, quàm rediret Domino imperante tranquillitas. Denique perseuerauit hæc turba triduò cum Domino in deserto: quam eius perseuerantiam ipse hoc insigni opere remunerauit: quo & corpora fame deficientia pauit, & (quod multo maius fuit) mentis eorum clarissimo edito miraculo, in fide confirmauit. O si nos fratres in oratione hoc modo perseueraremus! O si ij, qui integras noctes vel in lecto stertunt, vel in chartarum ludo insumunt, vel vnam tantum cum Deo transigerent: quantò maius lucrum ex hoc officio qnàm ex illo ludo reportarent! Sed quid ego noctem vnam dico? Vtinam vel vnam saltem horam singulis diebus huic officio impenderemus; non dubium, quin idem Dominus, qui triduanam hanc perseuerantiam tam magnifico præmio affecit, nostram quoque nouis gratiæ suæ opibus remuneraret. Hæc igitur prima miserendi causa. Altera fuit, quòd quidã ex hominibus illis de longe venissent: in quorum

Matth. 15. Thren. 3. Mar. Ioã. vltim. Matth. 15. Lucæ 11. Tob. 8. Hieron. in Epist.

rum præcipuè gratiam hoc miraculum editum est: ne videlicet ij deficiente commeatu, in via deficerent. Quò autem via istorum longior erat, & fides & deuotio extitit maior: quæ ne longitudine quidem itineris deterreri potuit, quo minus Dominum adiret, vt eius iucundissimo conspectu, & doctrina frueretur. Proinde Dominus piorum laborum prospector, horum præcipuè rationem habuisse videtur. Vt hinc discant qui propter Dominum labori non parcunt, qui in eius gratiam res arduas, atque difficiles moliuntur, qui seipsos abnegant, qui crucem suam quotidiè portant, magnificentissimam se à Domino mercedem laborum percepturos. Abraham, præcipiente Domino, patriam, parentes, cognatosque reliquit, propter quod Chananæorum regna posteris suis tradenda promeruit. Idem dilectissimum filium, Domini iussu immolare parabat: pro quo vno illo filio, tam multos à Domino promeruit, vt astra cæli & puluerem terræ multitudine coæquarent. Sic enim summa illa, atque inexhausta bonitas, pios conatus atque labores præmiis afficere solet.

Gen. 12.

Eodē, 22.

Cùm igitur hanc tantam turbam pascere Dominus decreuisset, quærit à discipulis quot panes haberent. At illi septem habere dixerunt. Animaduertite quæso fratres, quàm exiguum commeatũ discipuli sibi Dominoque parauerant; cùm præsertim in solitudine essent, quę nullum esurientibus cibum suppeditare poterat. Qua in re cernere inopiam Domini licet; qui cùm diues esset, pro nobis egenus factus est, vt sua nos inopia locupletaret. Quam rem non in hoc tempore solùm, sed in tota eius vita animaduertere possumus. Nascitur in stabulo, reclinatur in præsepio, nudus pendet in ligno, & in alieno conditur sepulchro. Denique ait, Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. Sed quanta vis huius inopiæ fuit? Hoc certè exemplo sanctissimi Anachoritę incredibili mentis ardore hanc ipsam Domini inopiam & parsimoniam sectati sunt. De his namq. idem D. Hieronym. in epistola cuius modò memini ait; De cibo verò, & potu taceo; cùm etiam languentes monachi aqua frigida vtantur, & coctum aliquid comedere, luxuriæ sit. Idemque in Regula monachi: Viri, inquit, illi sanctissimi, pane & leguminibus, & oleribus, quæ solo sale condiebantur, viuebant. Paulo Eremitæ cibum & vestimenta vna palma præbebat. Hæc Hieronymus in ea Regula: in qua etiam testatur Iesum & Angelos eius, se vidisse quendam in eremo quadam per triginta annos inclusum

Matth. 8.

Hieron. in Epist.

ſum, atque ibidem hordeaceo pane, & lutulenta aqua victitantem: & alterum, qui in ciſterna veteri per dies ſingulos quinque caricis ſuſtentabatur. Iſti igitur, qui diuini ſpiritus lumine eruditi, acerbiſſima gehennæ ſupplicia, & magnificentiſſima cæleſtis gloriæ præmia agnoſcebant, his tantis ſe laboribus cōficiebant, ne vel ad illa ſupplicia damnarentur, vel ab illa cæleſti hæreditate excluderentur. At nos, qui iſta nunquam ad mentem reuocamus; nec quæ nobis in fine vitæ ſors obuentura ſit, animo reuoluimus, vix paucorum dierum inediam, quos Eccleſia ieiuniis conſecrauit, perferre volumus. Et illi quidem innocentiſſimæ carnis ſuæ macerationi perpetuò incumbebant: nos eius indulgentiæ atque delitiis perpetuò vacamus, paucorum dierum lætitiam ſempiterna triſtitia luituri.

Suſceptis ergo Dominus ſeptem panibus, præcepit turbæ diſcumbere ſuper terram; & gratias agens, fregit: & dabat diſcipulis ſuis, vt apponerent turbæ. O quàm multa in his pauculis verbis ſeſe nobis conſideranda offerunt! Primùm igitur Dei filius æterno patri gratias agit; exemplo ſuo nos erudiens, vt cùm ad menſam accedimus, tot diuinis beneficiis, quot ferculis onuſtam, largitori bonorũ omnium gratias agamus: qui nobis cæleſtiũ atque terreſtrium creaturarum miniſterio, & vitam, quam degimus, & ad vitæ vſum neceſſaria larga manu ſuppeditat. Ipſe enim eſt, qui aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione. Ante cibum ergo hanc ex D. Chryſoſt. orationem piis mentibus pronunciare licebit: Benedictus Deus, qui me paſcis à iuuentute mea; qui omni carni cibum præbes, reple lætitia & gaudio corda noſtra, vt ſemper ſatis habentes, ad omne bonum opus abundemus in Chriſto Ieſu Domino noſtro; cum quo tibi gloria, honor, & imperium cum ſancto ſpiritu in ſecula. Amen.

Pſal. 144.

Chryſoſt.

Hæc autem menſæ conſecratio, vt alia eius commoda prætereamus, hoc etiam præſtat, vt à diaboli inſidiis liberi ſimus. Qua de re D. Gregorius inter miracula B. Patris Equitij hanc hiſtoriam commemorat. Quadam die ſanctimonialis quædam hortulum ingreſſa, lactucam conſpiciens, concupiuit: eamque ſigno crucis benedicere oblita, momordit. Sed arrepta à diabolo protinus cecidit. Cumque vexaretur; patri Equitio ſub celeritate nunciatum eſt, vt veniret concitus, & orando ſuccurreret. Moxque idem pater hortum vt ingreſſus eſt, cœpit ex eius ore quaſi ſatisfaciens ipſe, qui hanc arripuerat diabolus clamare dicens; Ego quid feci? Ego quid feci? Sedebam ibi

Gregor. lib. 1. dialog. cap. 4.

ſuper lactucam, venit illa, & momordit me. Cui cum indignatione vir Dei præcepit, vt diſcederet; & locum in omnipotentis Dei famula non haberet. Qui protinus abceſſit; nec eam vltra contingere præualuit. Hactenus Gregorius. Ab hoc igitur periculo (vt alia prætermittam) menſæ benedictio atque conſecratio nos tutos reddit.

Benedictione verò prolata ad menſam accedentes, mementote duos vobis conuiuas eſſe reficiendos; corpus ſcilicet, atque animam: corpus quidem, cibum capiendo; animam verò, illum temperatè & ſobriè, non ad voluptatem aut ſatietatem, ſed ad
Simile. explendam famem ſumendo. Vt enim corpus cibo, ſic anima hac ſobrietate & parſimonia reficitur & ſaginatur.

Vbi verò Dominus gratias egiſſet, ipſe ſacratiſſimis manibus ſuis frangere panes, diſcipuliſque turbæ diſtribuendos tradere
Luc. 22. cœpit. Hic Dominus apertè monſtrat, quod alio in loco diſcipulis dixerat; ſe in medio eorum eſſe, non tanquam qui recumberet, ſed tanquam qui miniſtraret. Hîc enim miniſtri officio fungitur, dum ipſe tot conuiuis panes frangit. Quantū enim temporis in hoc miniſterio inſumptum fuiſſe putatis? Si enim quatuor mille conuiuæ erant: neque minorem feminarū & paruulorum numerum fuiſſe credendum eſt, magnam certè diei partem in hoc miniſterio Dominum conſumpſiſſe conſentaneum eſt. Omnibus namque illis, panes ſanctiſſimis manibus ſuis fregit: à quibus tantum illud incrementum accipiebant, quantum tantæ turbæ ſatiandæ ſatis eſſet. Dominus ergo virtute diuina panes auget; diſcipuli autem eius virtute auctos populo diſtribuūt. Quo argumento quid inter Chriſtum Dominum & ſacramentorum miniſtros interſit, animaduertere licet. Ille gratiā confert, quam nobis in cruce promeruit: miniſtri verò partam eius meritis & laboribus gratiam fidelibus impartiuntur: vt ve-
Ioan. 4. rè in hoc opere illud ex Euangelio dici poſſit; Alij laborauerūt, & vos in labores eorum introiſtis. Cur enim cùm ſacerdos abſolutionis paucula verba profert, à peccati me vinculo, & diaboli ſeruitute liberat, meque filium Dei & Spiritus ſancti templum viuum efficit; clauſaſque cæleſtis regni fores mihi aperit? Num humana ſolùm facultas tantum hoc beneficiū, quo nullum maius eſt, mihi præſtare poterat? Nullo modo. Sed vnicus Dei filius gratiſſimo paſſionis ſuæ ſacrificio hanc tantam Eccleſiæ ſuæ miniſtris gratiam promeruit. Ille igitur huius tanti beneficij primus auctor eſt, ille largitor: ille igitur adorandus, ille perpetuis laudibus celebrandus: qui tanto ſuo labore mihi meruit,

ruit, quod tam exigua ministrorum opera mihi impeditur. Hactenus de Euangelica explanatione: nunc sententiam Thematis verbis comprehensam excutiamus.

TRACTATIO THEMATIS.

II.

Si dimisero eos ieiunos, deficient in via. Nunc tempus est fratres, vt à litera ad spiritum venientes, ad sublimiorem viam, quę nos in cælum ducit, conscendamus. Quæ enim Dominus de hac terrestri via dicit, non minus ad cælestem viam spectant. Omnes autem quamdiu in corpore versamur, viatores sumus: Non enim habemus hîc ciuitatem manentem, sed futuram inquirimus: in qua sempiternis seculorum ætatibus cum Deo & beatis illis mentibus regnaturi sumus. Danda autem nobis opera est, vt viam quæ ad hanc ciuitatem ducit agnoscamus, ne de nobis quoque dici possit, quod est in Psalmo, Errauerunt in solitudine in inaquoso, viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt. Ad pleniorem autem huius viæ cognitionem, vię terminus, hoc est, vitæ nostræ finis prius agnoscendus est. Eo namque ignorato, viam quoque ignorari necesse est. Vnde est illud Apostoli Thomæ: Domine, nescimus quò vadis, & quomodo possumus viam scire? Ioan. 14. Viæ igitur cognitio ex vitæ nostræ termino & fine intelligitur. Finis autem ad quem à Deo conditi sumus tantæ dignitatis est, vt nullus eo excellentior aut sublimior cogitari possit. Est enim (vt D. Tho. philosophatur) aperta diuinæ pulchritudinis contemplatio, ad quam sequitur incomparabilis eius dilectio atque fruitio, & bonorum omnium in summo illo bono communio. Ad hanc porrò tantam felicitatem, per vitæ innocentiam, & puritatem, diuinorumque mandatorum obedientiam peruenimus, dicente Domino; Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.

Non igitur ad ocium, aut epulas, aut corporis delitias, non ad ambitionē & fastum, ac postremò nō ad lucra iure vel iniuria captanda, sed ad religionem, ad iustitiam, ad sobrietatem, ad diuini numinis amorem & cultum ficti & informati sumus: vt his virtutibus similes Deo effecti in vita, similes ei tandem efficeremur in eius felicitate & gloria. At quàm multi sunt, qui finis huius atque viæ quæ ad illum ducit obliti, nihil minus faciunt, quàm id cuius gratia conditi sunt. Imò (quò vos magis miremini) omnia alia agunt, & id solùm negligūt, quod solùm agere debuissent. Qua quidem in re principum nostri generis intem-

intemperantiam ſimili quidem culpa, ſed diſſimili ratione im
Simile. tantur. Cùm enim omnia paradiſi ligna in cibum illis data e
ſent, vnumque ſolum ſcientiæ boni & mali lignum eſſet pr
hibitũ, in hoc præcipuè manus & oculos cæteris relictis con
cerunt: quod attingere nunquam debuiſſent. At nobis cu
ſola religio & pietas eſſet indicta, cætera verò vel omittend
vel quatenus vſus corporis poſtularet, leuiter attingenda e
ſent, nos religionis & pietatis prorſus obliti, hæc ſola cap
mus, hæc ſola cogitamus, & in his terra marique conquiren
adeò ſollicitè & anxiè verſamur, quaſi ad hæc ſola fruenda, n
ad illa conditi eſſemus. Qua in re pueris quibuſdam ſimil
Simile. eſſe videmur? qui cùm in plateam alicuius rei emendæ grati
parentibus mittũtur, ſpectaculis, quæ fortè ſeſe illis in via off
runt, intenti; cuius rei gratia miſſi ſunt, obliuiſcuntur. Hoc i
ſum igitur nos nõ pueri, ſed grandæui facimus: qui adeò prep
ſterè vitam noſtrã inſtituimus, vt quæ ſolùm eſſent facienda
mittamus, quæ verò omittenda eſſent, perpetuò faciamus. Q
quid eſſe indignius, quid magis prępoſterum poteſt? O verèm
ſerandam hominum dementiam, & deplorandam cæcitatem
Quid igitur hoc eſt, niſi diuina conſilia inuertere? quid, ni
fruſtrà in hoc mũdo conditum eſſe? quid, niſi fruſtrà in eo vita
agere? Quid poſtremò, niſi creaturis omnibus intemperan
abuti: quæ non ad luxum improborum, ſed ad piorum vſum
conditore datæ ſunt? Hęc igitur fratres finis noſtri obliuio, om
nium quæ in mundo fiunt malorum, origo & ſeminarium e
Hinc enim diuinorum beneficiorum abuſus, hinc religion
neglectus; hinc immoderatus mundi rerumq́. terrenarũ amo
hinc cæleſtium præceptorum contemptus; hinc futuræ vitæ, r
tionisq́. reddendæ obliuio; hinc nimia carnis cura, & indulge
gentia; hinc tyrannicum propriæ voluntatis regnum, quo Chri
ſti Dei regnum euertitur; hinc poſtremò vorax auaritiæ chary
dis, quæ alterius vitæ cura & amore neglecto, ad illa quæ ad pr
ſentem vitam pertinent (quam æternam eſſe vellet) inexpleb
cupiditate ſemper aſpirat. Omnia igitur mala hæc, ex finis, a
quem homo conditus eſt, obliuione, neglectuque oriuntur. A
quibus ſanè longè abſunt, qui hunc ſemper ante oculos finem
propoſitum habent: qui ſe ita gerunt, vt huius mundi non ciue
ſed hoſpites; non domeſticos, ſed peregrinos ſe eſſe iudicent
qui omnia temporũ momenta, in quibus huic fini conſequend
nõ vacant, ocioſa & inania eſſe reputant: quique illud Apoſto
Hebr. 13. (quod paulo antè induximus) ſemper ante oculos habent; No
ha-

habemus hîc ciuitatem manentem; sed futuram inquirimus. Quicunque igitur hoc modo peregrinos & viatores se esse intelligunt, qui ad patriam suam semper aspirant, per diuinorum mandatorum viam: quæ ad illam ducit ingredi contendunt.

III.

Iam nunc videamus qualis hæc via sit, vt propius ad Euangelicam lectionem accedamus. Via quidem hęc primùm angusta, & solitaria est, eodem Domino testante, qui ait, Arcta via est, quæ ducit ad vitam; & pauci sunt qui inueniunt eam. Deinde via longissima est: Non enim vnius anni, aut duorum, sed totius vitæ spatium continet: in quo viatores ad extremum vsque spiritum appellamur: in quo & à via declinare possumus; quod nonnullis etiam piorum accidisse legimus. Postremò via hæc (quod negari nõ potest) valde periculosa est, dicente Propheta: In via hac, qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi. Superborum autem nomine dæmones intelligit, qui per superbiam corruerunt, quorumque superbia aduersus Deum ascendit semper. Hi ergo tanta arte laqueos suos abscondunt, vt eorum nomine idem propheta dicat; Narrauerunt vt absconderent laqueos: dixerunt, Quis videbit eos? Hostes igitur nostri non modò multa vi, atque impetu, sed astu etiam, variisque artibus & insidiis nos adoriuntur. Propter hoc autem serpentes, propter illud verò leones appellantur. Sic enim princeps Apostolorum: Aduersarius, inquit, vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quærens quem deuoret. Quanta verò eius vis, atque potentia sit (vt innumera huius rei argumenta prætercam) vnico D. Benedicti exemplo (quod maximam mihi tum admirationem, tum metum incutit) vobis commonstrabo. Hic igitur vir diuinus, adolescens adhuc, priusquàm in eremum venisset, tanta sanctitate pollebat, vt miraculis etiam clareret. Fractum enim testaceum vas (quod eius nutrix commodato acceperat) eius lachrymis permotus, oratione sua redintegrauit. Deinde in eremum profectus, in quodam specu sine vllo hominum commercio tribus continuis annis, die noctuque ieiuniis & orationibus vacabat. Quibus sanè studiis iam ad summum sanctitatis fastigium peruenerat. Contigit autem, vt sedentem illum nigra quædam auis instar merulæ circumuolitaret. Protinus verò tãta illum vi, fornicationis spiritus aggressus est, vt sanctissimus ille vir non minus virtutibus, quàm miraculis iam clarus (quod incredibile dictu est) de eremo deserenda, & reditu ad seculum inciperet cogitare. Quo animad-

Matth. 7.
Psal. 142.
Psal. 74.
Psal. 64.
1. Pet. 5.
Greg. lib. 2. dial.

animaduerso, contra se, dæmonemq. iratus, nudum se inter
Gregor. lib. 2. dialog. pres spinasque proiecit atque volutauit: & ira demũ (vt D.Gr
gor. ait) per vulnera cutis, vulnera sanauit mentis. Quis igi
hoc exemplo spiritus huius nequissimi vim & potentiam n
agnoscat? quis eius tyrannidem non perhorrescat? quis quan
libet sanctitate polleat, non sibi ab illo timeat? Væ mundo
hoc immundissimo spiritu! Væ iis, qui in eo incauti atque in
mes incedunt! Væ iis, qui inter tot laqueos & pericula versa
tur! Quantas hunc nequissimum spiritum animarum stra
edidisse credendum est? quàm multa hominum millia secum
baratrum perditionis præcipitauit? Verè enim ignis hic est
Iob. 31. S. Iob ait) vsque ad consummationem deuorans, & omnia e
dicans genimina. Hoc igitur vel vno argumento fratres, qu
sit hac via, quæ in cælestem patriam ducit periculosa, cernere
cet: vt de aliis eius innumeris periculis quæ nobis immine
nihil dicam.

Quod ergo remedium in hoc tanto salutis discrimine no
reliquum est? Illud certè; vt mentem nostram nullo modo ieiu
nam, sed cælesti pane refectam, & roboratam in certamen con
tra tot hostes, qui viam nostram obsident, descendere patiamu
Alioqui nobis eueniet quod Saluator ait, *Si dimisero eos ieiun*
deficient in via: præsertim ij, qui de longè venerunt. Verè enim
hac via deficiemus, & in medio itinere corruemus, nisi spiritu
li cibo, paneque cælesti assiduè reficiamur.

Quæretis autem quis hic cibus, quis panis sit. Hoc iam ne
cesse est, vt expediamus. Tria autem spiritualium ciborum ge
nera inuenio. Cibus enim est verbum Dei, quo in spirituali vi
ta reficimur: cibus item est, diuinorum præceptorum, atque
Hieron. beneficiorum meditatio: de qua D. Hieronymus in epistola ad
amicum; Nosti, ait, hoc esse animæ pabulum, si in lege Domini
meditemur die, ac nocte. Cibus item est, & quidem maxime
salutaris, sacra Eucharistia. Et fortasse isti sunt tres illi panes,
quos in Euangelio importunus ille amicus ab amico noctu im
petrauit. De his igitur breuiter pro temporis angustia nonni
hil attingemus.

Primus igitur siue cibus, siue panis, verbum Dei est. Dum e
nim hoc verbum nobis finem, ad quem conditi sumus, demon
strat, dum sempiterna cælestis vitæ gaudia piis constituta
ob oculos ponit: dum mortalitatis nostræ conditionem, dum
extremum (quod à morte instat) iudicium, dubiamque sortem,
quæ nobis obuenire potest repræsentat, dum innumera Dei be
neficia,

neficia, ac præcipuè dominicæ incarnationis & passionis mysterium, hoc est, vincula, opprobria, alapas, verbera, sputa, spinas, clauos, & crucis supplicium nobis proponit, & immane illud odium, quo Deus impium & impietatem eius execratur declarat, dum hæc inquam omnia mentibus nostris obiicit, ad timorem vtique & amorem Dei, odiumque peccati vehementer inducit. Hæc igitur Dei verbum mentibus nostris obiicit: quorum cognitione pij homines & à peccato abstinent, & in via diuinorum mandatorum miro modo reficiuntur.

Sed dicetis, bene habet. Scientia Domini repleta est terra: verbum Dei vbique in templis resonat, quo anima pascitur, & æternæ vitæ desiderio, atque amore incenditur. Satis quidem hoc esset fratres, si hic ardor qui audiendo Dei verbo in anima frequenter excitatur, stabilis esset: verùm istantisper in nobis perseuerat, quandiu causa, quæ illum excitauit, nempe diuini verbi tractatio permanet. Ea enim sublata, vix dum à concione domum repetitis, cùm iam ille ardor vel totus, vel magna ex parte euanuit. Vt enim aqua igni admota peregrinum ignis calorem recipit, à quo si remoueatur, ad natiuam protinus frigiditatem redit: sic etiam nobis in hac re euenire solet. Sunt enim duplices in anima nostra affectus, alij qui nobiscum nati sunt; alij, qui aliundè, hoc est, à diuina gratia, proficiscuntur. Et illi quidem domestici, & nobiscum nati, alij autem velut hospites & peregrini: vtpote qui non à morbida natura, sed à diuina (vt diximus) gratia & rerum diuinarum pia commentatione procedunt. Quo fit, vt quamdiu hęc causa quæ illos excitauit, perseuerat, ipsi quoque cum illa simul permaneant; ea verò sublata, paulatim remitti & languescere incipiant.

Esaiæ 11.

Simile.

I I I I.

Quocirca secundus panis adiiciendus est, quem diuinorum mandatorum ac beneficiorum meditationē esse diximus. Non enim satis est, ea quæ verbum Dei nobis proponit audire, nisi ea etiam mundorum animalium more (quæ ea quæ comedunt ruminant) pia meditatione cum animo nostro assiduè reuoluamus. Hęc autem sedula meditatio nos & in hac vita roborat, & ab omnibus hostis antiqui laqueis & tentationibus liberat. Quā rem sibi obtigisse regius Vates profitetur, cùm ait: Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc fortè periissem in humilitate mea: hoc est, cùm me variarum calamitatum atque tentationum turbines de statu mentis deturbare niterentur, diuinorum eloquiorum meditatio periclitantem me ab his malis eripuit.

Hieron. eripuit. Hac ergo de causa D. Hieronymus (vt paulo antè dixi-
Simile. mus) diuinæ legis meditationem, animæ cibum esse dixit. Vt enim cibo animantis vita conseruatur, quo deficiente deficit, sic hæc pia meditatio spiritualem animæ vitam illibatam conseruat: qua deficiente periculum est, ne vita ipsa deficiat. Quod periculum idem Vates se aliquando sensisse testatur cùm ait,
Psal. 102. Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Constat enim nequaquam illum hoc in loco de corporeo pane locutum fuisse. Nec enim humanum cor hoc pane deficiente arescit; sed spiritus est, qui hanc ariditatem & sterilitatem patitur, cùm hoc spirituali pane, hoc est, diuinorum eloquiorum meditatione non reficitur. Quo argumento facile est intelligere in quanto salutis discrimine versentur ij qui in terra obliuionis vitam agunt; hoc est, qui nullam diuinarum rerum memoriam retinent; qui nunquam oculos in cælum tollunt: qui cur à Deo conditi sint & in hunc mundum missi non attendunt; qui neque incertam mortis conditionem, neque futurum iudicium, neque gehennæ supplicia, neque cælestis vitæ gaudia vllo vnquam tempore ad mentem reuocant; qui neque diuina beneficia & passionis Dominicæ mysteria animo voluunt; hoc est, ne cogitatione quidem attingere volunt, quæ Dei filius pro illorum salute in corpore suo perpeti dignatus est. Quid verò indignius, quàm pro tot tantisque beneficiis gratuita Domini largitate impensis, neque gratias agere, neque illorum vnquam memoria tangi? Hoc certè non hominum, sed ferarum est: ac ne ferarum quidem, quæ altoribus & nutritoribus suis gratæ sunt. Sed, vt ad institutum redeamus, hæc pia meditatio secundus panis est, ad hoc iter faciendum necessarius.

Tertius verò, cui hoc panis nomen maximè conuenit, sacra Eucharistia est; quæ ad hoc iter in cælum adeò necessaria est, vt huius rei gratia viaticum appelletur: quod nobis & ad hoc iter conficiendum, & ad aduersarios, qui nos impetunt, superandos robur inuictum præstat. Constat planè omne vitæ nostræ robur, ac firmamentum à Christo capite in eius viua membra descendere: ipse enim nobis bonorum omnium, gratiarumque fons, origo, & vniuersalis causa est. At vniuersalis causa sine singularis causæ ministerio, cui influxum & virtutem suam appli-
Simil. cet, nihil singulare efficit. Sol enim, qui rerum omnium quæ ex terra nascuntur, parens est, nequaquam fruges producet, nisi agricola frumenti semen in terram sparserit. Cùm ergo Chri-

Christus Dominus omnium (vt diximus) bonorum, & gratiarum vniuersalis causa sit, sacramenta quoque instituit, quæ velut singulares causæ sunt, per quas ipse mentibus nostris virtutis & gratiæ suæ opes infundit. Inter quæ sacramenta principem locum obtinet sacra Eucharistia, per quam nobis & copiosum gratiæ munus, & inuictum robur, tum ad hoc cæleste iter conficiendum, tum ad potestates aduersarias, quæ hanc viã obsident, superandas confertur. Hic est enim panis ille, qui cor hominis cælesti virtute roborat atque cõfirmat. Vnde pro eo quod editio nostra habet, Panem Angelorum manducauit homo, D. Hieronym. ex Hebræo vertit; Panem fortium manducauit homo. Hanc autem fortitudinem ideo præbet, quia Christum ipsum intra mentis nostræ claustra condit: quo præsente, quæ vis aduersum nos præualere poterit? Rectè enim Sanctus ille Iob, Libera, inquit, me Domine; & pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. Deinde etiam idem sacramẽtum piè suscipientibus, gratiam cõfert. Minima autem gratia & Deum super omnia diligit, & peccatum supra omnia detestatur, atque ita hominem sine mortifero lapsu in via Dei conseruat. Hanc igitur gratiam, fratres, sacra nobis Eucharistia præcipuè tribuit; in qua cum corpore Christi, simul etiam Spiritum sanctum, qui in eius anima sanctissima plenissimè requieuit, accipimus: cuius ope nos quoque eius vitam & puritatem sectari poterimus, sicut ipse ait, Qui manducat me, & ipse viuet propter me. Hic est igitur panis, quo Christus Dominus nos in hac via reficere & confirmare dignatus est, ne in ea itineris periculis atque labore fracti deficeremus.

Esaiæ 77. Hieron. — Ioan. 6.

Cùm autem cibus hic omnibus fidelibus ad hãc viam ingrediendam exhibeatur, tum illis maximè necessarius est, qui ad Christum de longe venerunt. Quid est autem à longè venire? Constat planè alios (vt ita dixerim) de propè, alios de longè venire. De propè veniunt, qui candido ingenio à natura ipsa præditi, & à pueritia ad pietatem instituti sunt. Talis erat Sapiens ille, qui de seipso ait, Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam. Et cùm essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum. Talis item erat iunior ille Tobias: quem pius pater ab infantia sua timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato. Isti sunt igitur, qui de propè veniunt. Cæterùm de longe veniunt, quibus vtrumque deest: qui natura ipsa ad vitia voluptatesque propensi, atque in his diu versati sunt: in quibus rebellis & praua natura diuturna peccandi consuetudine dete-

Sap. 8. — Tob. 1.

rior & immedicabilior effecta eſt. Iſti igitur ſunt qui de longè venerunt: ideoque quo longior illis via ſupereſt, eò copioſius à Domino reficiendi, cæleſtique virtute corroborandi ſunt. Rebellis namque natura diuturna conſuetudine armata, niſi magnò Dei munere ſuperari non poteſt. Vtrique igitur & qui de propè & qui de longè venerunt, ad hoc Domini conuiuium admiſſi ſunt: quia vtroſque Dominus ad cæleſtem panem ſumendum accedere vult. Illi igitur frequentius accedant propter maiorem vitæ puritatem, iſti propter maiorem inopiam & fragilitatem. Illi quia fortiores, iſti quia infirmiores, vt pane fortium roborentur. Illi, vt in virtutum acquiſitione proficiant: iſti, ne in ſemel inſtituta pietate deficiant. Illi, vt diuinæ gratiæ opes, quas perceperũt, quotidiè augeant: iſti vt paupertati, infirmitati, & inopiæ ſuæ huius ſacramenti virtute conſulant. Non igitur quia de longè venerunt, ſe ab hoc cæleſti conuiuio excludere, ſed tantò ad illud frequentius accedere debẽt, quantò maiori inopia & infirmitate premuntur. Si enim ſacra Euchariſtia non modò eſurientium alimentum, ſed etiam ægrotorum medicamentum eſt, ſi non modò cibat quos reperit viuos, ſed etiam exuſcitat mortuos, cur ad illum accedere non debeat, qui ſe & famelicum, & infirmum & ægrotum, atq. adeò mortuum fuiſſe lamentatur & luget, neceſſaria confeſſionis præparatione facta?

Quid verò eſt, quòd Dominus conuiuas ſuos in terra ſedere præcepit, niſi quòd hac ratione humilitatis nobis virtutẽ commendauit: qua cùm aliàs tum vel maximè inſtructi eſſe debemus, cùm ad hoc conuiuium accedimus? Sedeat igitur hoc tempore famelicus homo in terra, diuinæ maieſtatis celſitudinem, quæ in eo ſacramento latet, & indignitatem ſuam magni animi ſubmiſſione conſiderans. Dicat igitur is tota animi intentione: Ecce Domine ad te curandus venio, tanquam infirmus ad medicum vitæ, immundus ad fontem miſericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, egenus ad Dominum cæli & terræ, nudus ad regem gloriæ: atque hac humili ſui, & diuinæ celſitudinis cognitione, hoc cæleſti conuiuio dignus efficietur, quæ tantò quis in Dei oculis erit dignior, quantò in ſuis fuerit indignior. His igitur tribus panibus fratres, cæleſti videlicet doctrina, & diuinorum præceptorum atque beneficiorum pia meditatione, & diuini huius ſacramenti deuota frequentatione, hoc iter in cæleſtem patriam (ad quam à Deo conditi ſumus) ſine vlla offenſione conficiemus: in quo de virtute in

vir-

virtutē proficientes, videbimus tandem Deū Deorum in Sion, cui est gloria & imperium in secula seculorum.

IN EADEM DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN CONCIO II. in qua lectio Euangelica explanatur.

THE. *Misereor super turbam; quia ecce iam triduo sustinent me.* Mar. 8.



Vemadmodum inter omnia Dei opera, eius misericordia cumprimis celebratur (dicente Propheta, Miserationes eius super omnia opera eius) ita nihil est, quod gratius atque suauius auribus nostris insonare possit, quàm eiusdem misericordiæ commendatio. Huius autem misericordiæ clarissimum in hodierna sancti Euangelij lectione exemplum habemus. Sic enim S. Euangelista ait: *In diebus illis, cùm turba multa esset cum Iesu, nec haberent quod manducarent, conuocatis discipulis ait: Misereor super turbam, &c.* Ex Matthæi Euangelio discimus, cur tam ingens turba ad Dominum confluxerit. Ait enim multos ad eum venisse, magnam ægrotorum turbam circumferentes, quos ad pedes eius proiecerunt, eius videlicet benignitate & consueta misericordia freti, quibus Dominus solo pietatis suæ intuitu, perfectæ salutis beneficium contulit. Nihil ab eo petierunt, nihil aliorum more debilium rogauerūt: sed tantùm ad illius pedes proiecti, voti compotes effecti sunt. Qua in re impletum cernimus quod idem Dominus per Prophetam pollicitus fuerat, cùm dixit: Et erit, antequam clament ad me, exaudiam eos. O si nos hac eadem fide & spe nixi, omnes curas & sollicitudines, quæ nos premunt, in sinum Domini proijceremus, quomodo isti ægrotos suos ad pedes Domini proiecerunt! O si hac eadem fide illud Principis Apostolorum consilium altissimè animis nostris infigeremus: Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum: quoniam ipsi cura est de vobis. Cum quo & illa Prophetæ verba cohærent: Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet. Si ergo hoc nobis oracula diuina consona voce promittunt, vnde tanta hæc in multis hominibus diffidentia, cùm se variis curis & angoribus circumuallatos sentiunt? Si Apostolus Petrus arcanorum diuinorum

Psal. 144. Matth. 15. Esaiæ 65. 1. Pet. 5. Psal. 54.

interpres, & diuini pectoris conscius, Deum nostri curam gerere ait; quis inter fideles de huius testimonij veritate dubitare potest?

Sed ais, Non me Dei misericordia, sed indignitas & malitia mea timidum, ac diffidentem reddunt. At hîc videmus Dominum nullis precibus exoratum, nullis virtutum meritis permotum, omnibus qui se ad pedes ipsius proiecerant, sola bonitate & misericordia sua ductum, salutem impartitum fuisse. Ea enim eius misericordiæ magnitudo est, vt sola interdum miseriæ nostræ magnitudo, sine vllis virtutum meritis ad miserorum preces exaudiendas inclinet. Quod adeò verum est, vt Theologorum sententia sit, sæpè Dominum eorum preces, qui extra eius gratiam, & amicitiam sunt, exaudire, & rogata perficere.
Ioan. 9. Vnde illam cæci nati sententiam, Scimus, quia peccatores Deus non audit, non vsquequaque veram esse definiunt, cùm tanta sit misericordia Dei, vt interdum etiam peccatorum vota & orationes exaudiat. Quamuis enim nemo eorum qui extra Dei amicitiam & charitatem sunt, iis operibus quæ in peccato manens facit, mereri quicquam possit. (Nihil enim gratum apud Deum est, cùm homo ipse ingratus, & inimicus Dei sit) tamen qui in hoc statu est, & si non possit mereri; potest tamen aliquando quod petierit, impetrare. Quod enim eius opera non
S. Thom. merentur, oratio impetrat. Cuius rei diuus Thomas causam reddit: quia videlicet merendi ratio à charitate pendet, quæ merendi principium & causa est: at impetrare quod petas, à diuina misericordia proficiscitur: quæ tanta est, vt etiam peccatorum
Psal. 33. voces exaudiat. Vnde quamuis oculi Domini sint semper super iustos, & aures eius in preces eorum, nonnunquam tamen easdem aures ad preces aperit peccatorum. Quocirca si peccator es, ac præcipuè si te peccatorē esse iam pœnitet, non ideò clamare ad Dominum in quauis pressura & calamitate cessare debes. Quod enim tibi iure & meritò diuina iustitia negat, misericordiæ magnitudo fortasse concedet. Itaque cum Daniele
Dan. 9. Propheta ad Dominum orans dic: Non in iustificationibus nostris, sed in miserationibus tuis multis prosternimus preces ante conspectum tuum. Audi igitur iam nunc ipsum Dominum hoc in loco dicentem:

Misereor super turbam. His verbis apertè Dominus humanitatis suæ veritatem ostendit. Hic enim misericordiæ affectus humanæ naturæ proprius est. Nihil enim tam secundum naturam, quàm iuuare consortem naturæ. Duos enim affectus in nobis

nobis conditor noster ingenerauit, amorem videlicet nostri, & alienæ miseriæ cōpassionem: quorum altero nobis, altero alienis malis prospiceremus. Cùm enim (vt Plato ait) homines non sibi tantùm, sed aliis quoque hominibus nati sint; consequens erat, vt naturæ conditor hos duos affectus animis eorum imprimeret: quibus & sibi ipsis & aliis consulerent. Qua ex re liquet homines barbaros, & efferatos, & aliorum calamitates negligētes, ab humanæ naturæ dignitate in ferarum conditionem degenerasse. Dum ergo Christus Dominus populi fame laborantis miseratione commouetur, veram hominis naturam ostendit: dum verò tam exiguo commeatu ingentem illam turbā satias, Deum se manifestè probat. Misereri ergo, hominis: pascere autem turbam illam, Dei fuit. *Misereor*, inquit. *super turbam: quia ecce iam triduò sustinent me: nec habent quod manducent.* Plato.

Vt huius misericordię magnitudinem agnoscamus, obseruare oportet, triplicem in Christo Domino misericordiam: Est enim misericordia Dei, quæ tam latè patet, vt Propheta dicat, misericordia Domini plenam esse terram. Et Ecclesiast. Miseratio, inquit, hominis circa proximum suum, misericordia autem Dei super omnem carnem. Est etiam in eo misericordia hominis; siue ea quæ virtus siue ea quæ humanus affectus est: quam præcipuè hoc in loco Saluator ostendit, cùm dixit, *Misereor super turbam, &c.* Est item in eo misericordia non solùm veri hominis, sed etiam hominis variis laboribus & calamitatibus afflicti; quæ res illum ad misericordiam propensiorem efficit. Vnde Apostolus: Non habemus, inquit, Pōtificem, qui non possit cōpati infirmitatibus nostris; tentatum autē per omnia pro similitudine absq. peccato. In eo enim quod tētatus est, didicit, & his qui tentantur auxiliari. Hoc autem fratres affectu carebant illi, de quibus scriptum est, Bibētes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, nihil patiebantur super contritione Ioseph. Cùm enim isti calamitatū expertes essent, quàm esset acerba calamitosorū hominū conditio ignorabant: ideoq. nihil eis opis tribuebāt, neq. vllo erga illos miserationis affectu tangebantur: quod à Pontifice nostro alienissimum est: qui vt humanæ miseriæ subueniret, non modò sua, sed seipsum nobis & sanguinem suum impēdit. Quæ res spei & dilectionis nostræ affectum vehementer erga illum accēdit. Quomodo enim non diligam eum, qui mei amore victus, vt mihi vitā donaret; suam vitam & sanguinem contulit? Quomodo meam in illo spem non collocem, qui quacumque illum aspiciam siue vt Deū, siue

Psal. 118. Eccl. 18. Hebr. 4. Amos 6.

vt hominem, siue vt variis laboribus vexatum hominem, totum misericordiæ visceribus affluentem cerno? Hos igitur duos dilectionis & spei salutares affectus, hæc tam multiplex Domini misericordia in piorum mentibus excitat.

Non sic tamen impij, non sic: sed ex hac multiplici Christi misericordia ansam arripiunt licentius turpiusque viuendi, sat esse ad salutem Christi Domini misericordiam, sanguinemque testantes. Quæ quæso tigris, quæ fera, quæ serpens adeò immanis extitit, vt ex altoris sui beneficiis in ipsum insiliendi occasionem arriperet? At ratione præditi homines, ex diuinis beneficiis, quibus ad dilectionē erga ipsum inflammari debuissent, eius irritandi, atque lacessendi ansam arripiunt: nec aduertunt Christum Dominum non nuda & informi spe nitentibus, sed
Hebr. 5. (quemadmodum Apostolus ait) omnibus obedientibus sibi causam attulisse salutis æternæ. Quam rem olim Dominus in lege in quotidiano sacrificio matutino simul & vespertino voluit adumbrari: in quibus agnum quidem (qui veri agni imaginem gerebat) offerri præcipit, nō tamen solùm, sed suis etiam libamētis cumulatum; hoc est, oleo, vino, atque pane. Quisquis igitur immaculati agni spe & fide nititur, & illius oblatione salutem sibi pollicetur, meminerit fidei suæ & spei triplicem oblationem iungendam esse. Primùm quidem oleum: quod quia vulneribus curandis adhiberi solet, misericordiæ virtutem designat. Deinde vinum, quod acrimonia sua iudicij seueritatem, qua pius homo affectus & cupiditates suas frænare debet, repræsentat. Postremò autem panem, quo verbum Dei, & diuinarum rerum meditatio significatur. Quisquis igitur immaculati agni sacrificium pro salute sua Deo patri offert, hæc tria libamenta, hoc est, has tres virtutes, nempè iustitiam, misericordiam, atque diuini numinis memoriā cū eo simul offerre debet. Sine his aūt frustrà illum offert, frustrà credit, frustrà sperat: imò verò maiorē sibi damnationis cumulū ex tanti beneficij abusu comparat.

Cōuocatis igitur discipulis Dominus ait, *Misereor super turbam.* Cur Dominus, qui turbam hanc insigni edito miraculo reficere destinauerat, discipulos consulit, cùm ipse humano cō-
Chrysost. silio minimè indigeret? Certè, vt (quemadmodum Chrysosto. hoc in loco adnotauit) Ecclesiæ suæ præfectos erudiret, ne inferiorum suorum consilia spernerent, néve ea, quæ ad aliorum salutem moliuntur, cum illis communicare detrectarent. Sæpè enim cælestis spiritus ad humilitatis nostræ custodiam paruulis reuelat, quæ nonnunquam maioribus abscondit. Sic Dominus

nus per Ietro idolorum cultorem, Mosem sanctissimũ virum, qui cum Deo facie ad faciem loquebatur, edocuit. Cuius ille consilium (quamuis Deum haberet rerum gerendarum magistrum, atque doctorem) non est aspernatus. Eodemque humilitatis spiritu D. August. ait, Ego senex & Episcopus, paratus sum à puero doceri. Sciebat enim vir sanctus paruulis diuina mysteria reuelari; ideoque sic se more paruuli, imò & infra paruulum deiiciebat, vt à paruulorum magistro erudiretur. Hinc etiam D. Hieronym. sibi ipsi diffidens, Nolo, inquit, vti proprio iudicio, pessimo consultore. Exod. 18. August. Hieron.

I.

Sed videamus quid discipuli Domino ipsos consulenti respõderint? *Vnde istos quis poterit hic saturare panibus in solitudine?* Hac responsione apertè cernimus, quàm difficilè mens humana ad ea, quæ supra rationis fastigium posita sunt, se attollat. Discipuli enim, qui tot Domini miracula viderant, nondum tantum in fide profecerant, vt crederent eum qui cunctis animantibus prouidentiæ suæ virtute cibum suppeditat, posse etiã pauculos panes ad hanc turbam alendam augere; quod Elias, & Elisæus antè fecissent. Sed quid miramur sic in fide rudes adhuc discipulos vacillasse, cùm idem etiam Moysi contigerit, qui cum Deo facie ad faciem loquebatur; quique admiranda illa signa, atque prodigia in Aegypto partim quidem viderat, partim etiam ipse ediderat? Domino enim carnes se daturum populo suo in deserto pollicenti, respondit, Sexcenta millia peditum huius populi sunt, & tu dicis: Dabo eis esum carnium mense integro? Nunquid ouium & boûm multitudo cædetur, vt possit sufficere ad cibum? Vel omnes pisces maris in vnum congregabuntur, vt eos satient? Cui respondit Dominus, Nunquid manus Domini inualida est? Iam nunc videbis an meus sermo opere compleatur. Num. 11.

Ex his igitur apertè liquet fratres, quàm sit difficile hominibus etiã iustis ad ea, quæ supra rationem posita sunt, hoc est, ad ea, quæ sola fide & spe attingimus, assurgere: quod tamen maximè proprium Christiani hominis esse constat. Vix enim vlla virtus est, ad quam assequendã non nobis naturę conditor Deus igniculos quosdam, & veluti semina indiderit. Quia enim virtus est animi habitus rationi consentaneus, nihil mirum si rationalis creatura quandam, licet obscuram, & imperfectã propensionem ad illam habeat. Hinc Cicero, Sunt, inquit, ingeniis nostris semina innata virtutum: quæ si adolescere liceret, Cicero.

ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. Vnde Stoici Philosophi aiebant, finem hominis esse, naturæ conuenienter viuere. At cùm fides & spes dignitatis suæ altitudine supra ipsam sese rationem efferant; dictu mirum est, quàm ęgrè se ad eas iusti etiam & pij homines attollant: quod his Moysi & Apostolorum exemplis discimus. Pauci enim sunt, qui illam spei, fideique
Rom.4. præstantiam Abrahæ imitentur: qui in spem contra spem credidit: nec considerauit corpus suum emortuum, & emortuam vuluam Saræ: sed confortatus est fide, dans gloriam Deo; plenissimè sciens, quia quæcunq; promisit Deus, potens est & præstare. Et tamen hæc tam rara virtus (vt modò diximus) maximè propria Christiani hominis est. Tria enim hominum genera reperire licet, qui variis modis vitam suam moderantur. Quidam enim adeò rudi & agresti ingenio sunt, vt solo affectu & impetu animi sine vllo rationis iudicio ad res gerendas aguntur. Sunt alij cultioris ingenij, qui multis in rebus, non quid cupiditas appetat, sed quid consilium & ratio suadeat, sequuntur. Et illi quidem inter pecudes & bruta animantia (quæ sola appetitione aguntur magis quàm agant) isti verò inter homines magis (quorum est propria ratio) numerari possunt. Est autem tertium hominum genus, qui compressa cupiditate non ratione solùm sed multò magis fide vitam suam moderantur: quamuis non sit à ratione alienum, Deo fidere & credere. Pugnant tamen aliquando inter se humana ratio, diuina gratia destituta; cum fide cælitus nobis indita. Oblata enim pauperis inopia trepidat humana ratio, neque audet suis necessitatibus adimere quod alienis largiatur. At fides diuinæ veritati innixa, quę ait, Qui dat
Prou.28. pauperi, non indigebit, rationis hæsitantiam, & trepidationem comprimit, diuinæq; promissionis spe secura, audacter sibi adimit, quod alterius indigentiæ tribuat. Quisquis igitur hoc modo vitam suam moderatur, hic iam supra humanæ naturæ conditionem elatus, altior homine factus est: vtpotè qui non tam humana ratione, quàm diuino lumine vitam suam regit, ac dirigit.

Sed vt ad historiam redeamus, cùm discipuli parũ aptè Domino respondissent, & responsione sua fidei infirmitatem (quam tot miraculis erudiri debuerat) ostendissent, nihil aduersus illos cælestis magister cõmotus fuit, vtpote qui probè nosset figmẽtum nostrum. Potuisset ille quidem quod antè aduersus hominem in fide nutantem dixerat, proclamare, O generatio in-
Mar.9. credula, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? Sed

nihil tamen tale hoc in loco dixit, vt qua lenitate alienam infirmitatem perferre deberemus, exemplo suo monstraret.

Quærit autem ab eis, *Quot panes habetis? Qui responderunt, septem. Præcepit ergo turbæ discumbere super terram. & accipiens septem panes, gratias agens, fregit, & dabat discipulis, vt apponerent: & apposuerunt turbæ. Et habebant pisciculos paucos, & ipsos similiter benedixit, & iussit apponi.* In hoc opere iam discipulorum benignitatem, & hospitalitatis virtutem cernimus, quorum anteà fidei infirmitatem notabamus. Cùm enim in deserto essent, vbi nulla suppetebat alimenti copia; tamen totum, quod sibi reseruauerant penu, turbæ liberaliter apposuerunt, nihil sibi reseruantes, nec illud causantes, quòd ipsi quoque non minus quàm turba esurirent, & egerent, neque haberent in solitudine quo indigentiæ suæ consulerent. Nihil horum dixerunt: sed pium magistri affectum, & misericordiam sectantes, suique quodammodo obliti libenter sibi subtraxerunt, quod esurienti populo præberent. Hic enim misericordiæ affectus adeò proprius piorum hominum est, vt non solùm ad eiusdem naturæ consortes, sed ad muta etiam animantia proferatur. Vnde Salomon ait; Nouit iustus iumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia. Prou. 12. Cuius rei gratissimum nobis exemplum Beatus Pater Franciscus exhibet. Cùm enim vir sanctus (vt D. Bonauentura refert) in monasterio S. Verecundi hospitaretur, ouis S. Bonauent. quædam agniculum peperit illa nocte. Aderat sus ferocissima, quæ vitæ innocenti non parcens, rapaci eum morsu necauit. Hoc audito, pius pater mira compassione commotus, & agni sine macula recordatus lamentabatur pro morte agniculi coram omnibus dicens: Heu me, frater agnicule, animal innocens, Christum hominibus repræsentans, maledicta sit impia, quæ te interfecit, nullusque de ea comedat homo, nec bestia. Mirabile dictu; statim infirmari cœpit porca malefica, & tribus diebus corpoream pœnam exoluens, vltricem tandem pertulit necem. Proiecta autem in vallum monasterij, ibique longo tempore iacens, in modum tabulæ desiccata, nulli fuit esca famelico. Aduertat igitur humana impietas atque crudelitas quali pœna sit in morte ferienda, si sic brutorum ferocitas percussa est. Satis igitur hoc exemplo liquet, hunc misericordię affectũ virorũ sanctorũ maximè propriũ esse: at viscera impiorũ crudelia, quæ ipsam humanitatẽ exuisse, & in ferinã

immanitatem degenerasse videntur. Verùm his monstris omissis ad discipulos redeamus; & quod misericordiæ suæ præmium retulerint, inspiciamus.

II.

Manducauerunt omnes, & saturati sunt, & sustulerunt quod superer at de fragmentis septem sportas. En quo præmio pius Dominus benignitatis officia in hac etiam vita afficit. Septem panes discipuli porrexerũt, & septem pro illis sportas panibus refertas collegerunt. Amator enim humanæ salutis Dominus, quæ ad hominum salutem & sospitatem pertinent, non modò in futura vita, sed in hac etiam magnificentissimis præmiis remunerat. Infirmi enim in fide homines hac præcipuè de causa à benignitatis & misericordiæ officiis retardantur, quòd inopiæ suæ, suorumque timent; ideoque manus à largiendo contrahunt, ne fortè liberalitas in alios in suã recurrat inopiam.

Compellit me, fratres, hodierna sancti Euangelij lectio (quæ tota de misericordia est) ad virtutis huius studium vos adhortari. Ad quod efficiendum poterã maximos virtutis huius fructus & commoda enumerare. Sed quoniam multi fidelium (vt dicere cœpimus) humano quodam metu (ne videlicet sibi desit quod aliis largiuntur) ad hoc benignitatis officium tardiores fiunt; hanc solùm trepidationem tum sanctarum literarum testimoniis, tum clarissimis exemplis adimere conabor. Dominus ergo huius infirmitatis nostræ conscius, fidem suã interposuit, nunquam illis defuturum quod in alios benignè erogarent, sed cum fœnore etiam illis omnia redditurũ. Alibi igitur ait (quod paulo antè diximus) Qui dat pauperi, non egebit. Alibi: Honora Dominum de tua substantia; & de primitiis omniũ frugum tuarum da pauperibus; & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt. Alibi verò, Alij, inquit, diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. Quid verò illud? Fœneratur Domino qui miseretur pauperis: & vicissitudinem suam reddet ei. Neq. hoc mirum videri debet. Cùm enim idem Dominus dicat, Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis; quid mirum si seipsum astringat ei, qui pauperis miseretur, qui se in paupere refectum clamat?

Prou. 3.

Eodẽ 11.

Eodẽ 19.

Matt. 25.

Cæterùm non ingratum vobis futurum puto, si hanc Domini promissionem exemplis etiam cõfirmauero. Sunt enim (vt D. Gregor. ait) nonnulli, quos ad amorem patriæ cælestis magis mouent exempla quàm verba. Vt igitur vos ad hæc miseri-

Gregor. lib. 1. dialog.

cordiæ

cordiæ officia promptiores reddam, ex innumeris exẽplis duo tantùm hoc in loco referam, non solũ quæ hanc virtutem commendent, sed quæ facilè ostendant, misericordes homines non in altera vita solum, sed in hac etiam magnificentissimis à Domino præmiis cumulari. Inter quæ primo loco sanctissimi viri Paulini Nolanę vrbis episcopi verè mirandum exemplũ, quod D. Gregor. initio statim lib. 3. Dialogorũ copiosè describit, cõmemorabo. Is igitur depopulata Campania VVandalorum excursionibus, cũ redimendis captiuis cuncta consumpsisset, seipsum quoque in eleëmosynam tradidit. Profectus enim in Africam vicaria seruitute redemit viduæ Nolanæ filium: olitoremque se fecit barbari Domini, vt matrem vnici amissione consternatam, eo recuperato consolaretur. Iactẽt qui volunt facultates suas se in pauperum vsum impẽdisse: Ecce qui omnia impenderat, inuenit prætereà quemadmodum inops factus, omnium diuitum eleëmosynas superaret. Cæterùm misericordiæ remunerator Deus, virum tantæ pietatis non est passus diutiùs iugo premi impiorum. Contulit enim illi Prophetiæ spiritum, quo afflatus, cùm prædixisset regem in proximo moriturũ, diuinationique respondisset euentus, tantæ admirationi fuit, vt statim libertatem sibi acciperet, & aliis impetraret. Pro vnius liberatione se in seruitium obtulit, sed cum omnibus simul, qui Nola eius ciuitate abducti fuerant, liberatus est. Frumento insuper nauibus imposito, ad patriam postliminio rediit, pristinæque dignitati honorificentissimè fuit restitutus. Gregor. lib. 3. dialog.

Serapionis quoque monachi eleëmosynę haud minori commendatione dignæ, si donantis tantum animus perpendatur, nõ etiã doni magnitudo. Cùm enim nihil pręter tunicã, & pallium, & Euangeliorum codicem haberet, duobus pauperculis obuiam factus, alteri pallium, alteri tunicam dedit: & cùm nudus sederet, interrogatus quis eum despoliasset, protento codice illo, quẽ manu tenebat, Hic, inquit, spoliauit me. Iterum alios mendicantes conspicatus, etiam codicem vendidit, & venditi pretium illis distribuit, dicens à Domino præceptum esse: Vẽde omnia quæ habes, & da pauperibus. Necdũ se istud implesse putauit, donec semetipsum quibusdam gentilibus vendidit: ita tamen vt ipsos Domino lucraretur. Cumque eos ad Christum conuertisset, pecunia, quã acceperat, se redemit. Post talia charitatis officia in Abbatem electus apud Arsinoen, decem millium monachorum pater fieri meruit, & qui omnes pręibat pietate, omnibus præesse dignus fuit. Serapion. Matt. 19.

His igitur exemplis fratres, hoc agere volui, vt qui futuræ indigentiæ metu, miserorum inopiæ non succurritis, hanc inanem formidinem fide & spe diuinæ prouidentiæ à vobis excutiatis. Qui enim toties hanc donorum vicissitudinem misericordiæ operibus promisit, fidem vtique suam liberabit; neque fame illum perire sinet, qui fide fultus in hoc se periculū propter nominis eius gloriam coniecit.

Erunt fortasse aliqui, quorum vel trepidatio, vel auaritia, ne his quidem exemplis flecti ad misericordiam possit. Dum enim vita manet, se sibi prospicere velle dicunt; in morte autem se liberales in pauperes futuros. Hoc ipsum Eutychia, B. Luciæ mater, filiæ dixerat. At sancta virgo, Non est (inquit) ô mater admodum gratum Deo munus, quod qui offert, ideò offert, quòd illius vsu suprema sibi interdicat dies. Da dum sana es; ne si moriens dederis, inuita dedisse videaris: rem vtique quam velis nolis, relinquere cogeris. Si enim in nullam prorsus vtilitatem mihi tunc bona mea cedunt, si iam corpus alendi, vestiendi, & ornandi cura cessauit, si ipsum in terram versum, aut in vermium escam datum est: quid quæso magnum facio, cùm quæ in eius vsum paraueram largior? Est quidem adeò grata Deo misericordiæ virtus, vt eo etiam tempore exhibita, grata sit. Sed tantum tamen eleëmosyna viuentium, præcellit eleëmosynas morientium, vt vnus aliquando nummus viuentis, gratior Deo sit, quàm centum morientis. Non enim tam censum, quàm animum Dominus ponderat, qui in viuis magis elucet. In morientibus enim, & in iis præsertim, qui inhumani in vita fuerunt, nescias an eo tēpore voluntas magis, an necessitas eos ad benignè faciendum moueat. Neq. verò se quisquam ab hoc officio per inopiam excusare velit: sed illud magis senioris Tobiæ consilium, quo filium admonebat, sibi ante oculos ponat. Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multùm tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguū tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartire stude. Hactenus fratres & de misericordia, & de Euangelica lectione diximus. Nunc quid de tota hac sacra lectione elicere potissimum debeamus, paucis explicabo.

Tob. 4.

TRACTATIO THEMATIS.

Misereor super turbam: quia ecce iam triduò sustinent me. Siue (vt Matthæus dicit) perseuerant mecum. Tota hæc S. Euangelij lectio fructum nobis proponit eorum, qui cum Domino perse-

Matt. 15.

perseuerant, ipsumque per deserta sequuntur. Quid enim Dominus prætermisit, quod modò ad eorum salutem pertineret, qui ipsum sequebantur? Ægrotis salutis beneficium impendit: esurientes insigni edito miraculo refecit: ignorantes verò cælesti doctrina aureo illo suo ore prolata pauit, & præsentiæ suæ lenitate, atque dignitate lætificauit. Quid igitur ex his consequi necesse est? Illud certè, vt quoniam idem modò Christus Dominus est inter Angelos regnans, qui fuit inter homines versans, eadem quoque beneficia iis, qui ipsum sequuntur sit impartiturus. Quod enim tunc apertè in corporibus sequentium se gerebat, hoc modò inuisibili virtute in eorum mentibus agit, qui illum sequuntur. Quò quidem exemplo monemur fratres, vt Christum Dominum cum hac turba sequamur, illique adhæreamus; quò horum tantorum beneficiorum participes efficiamur.

Verùm dicet aliquis: Quomodo hoc tempore cùm corporis sui præsentiam Christus Dominus à nobis subtraxerit, & syderibus intulerit, illum sequi poterimus? Ad hoc D. Augustinus respondet his verbis: Tantò nobis melius est, quantò magis in illum imus, quo nihil melius est. Imus autem non ambulando, sed amando: quem tantò habebimus præsentiorem, quantò eundem amorem, quo in eum tendimus, poterimus habere puriorem. Hanc autem amoris puritatem assequemur, si mentem nostram à nimio terrenarum rerũ amore abducentes, illam in vita, in doctrina, in operibus, atque beneficiis Domini saluatoris cogitandis perpetuo defigamus; illum docentem audiamus, signa edentem admiremur; nascentem, morientem, à mortuis resurgentem, & in cælos ascendentem, contemplemur; vt qui corpore non possumus, mente, cogitatione, & amore cælestem agnum quocunque perrexerit sequamur, illique indissolubili charitatis vinculo adhæreamus. Augus.

Neque verò periculum est, ne hæc assidua cum eo familiaritas & consuetudo (quod dici solet) contemptum pariat. Tantùm enim hæc familiaritas à contemptu abest, vt nihil ad reuerentiam & dilectionem erga illum magis inducere possit. Hoc enim vel præcipuum inter corporea & spiritualia bona discrimen D. Thom. esse ait, quòd terrenarum rerum consuetudo sæpe earundem fastidium, & contemptum parit: contrà verò, Dei rerumque cælestium familiaritas, sitim semper & amorem auget. Ratio autem in promptu est. Dissimile D. Thomas.

Quò

Quò enim quiſque terrena bona magis verſat ac voluit,eò ma gis eorum inanitatem,fragilitatem,fallaciam,& inconſtantia experitur; vtpotè quæ toties ſpem noſtrã fallant,dum quæ pro futura credebantur nocent; & quæ ſitim animæ ſedatura pol licebantur, non modò non ſedant, ſed magis irritant & a gent. Contrà verò cùm Deus diuinaque omnia ſummam ſt bilitatem,veritatem,perfectionemque contineant, quò ma illa verſamus,eò clariùs eorum dignitatem,vtilitatem,ſuaui tem,& elegantiam cernimus; atque ita magis eorum amore deſiderio inflammamur. Quo fit,vt ſi quis multis annorũ ſp tiis in diuina pulchritudinis ſpecie contemplanda eſſet anim defixus,non dubium,quin nouas ſemper admirationis,amor & ſuauitatis cauſas in ea deprehenderet. Hinc ſancti illi An choritæ,qui in ſolitudinibus commorantes, omni humano ſ latio deſtituti,aſperrimam vitam agebant,hac ſola diuinæ co templationis ſuauitate animum ſuum ita reficiebant, vt neq ſquallentis eremi horrifica ſpecies, neque illa victus aſperit neque corporis nuditas,neque feruentiſſimus Solis æſtus,ne aëris inclementia,eos ab hoc ſtudio reuocaret. Omnia enim h incommoda, diuinæ contemplationis & dilectionis inæſtim bilis dulcedo ſuperabat. Quò enim in hoc officio diutiùs v ſabantur, eò maiori ſuauitatis, lucis, & dilectionis abunda complebantur.

III.

Hæc igitur prima ratio eſt, qua per charitatem Domino ad hæremus, atque illum ſequimur. Non ſolùm autem charita (quæ nos maximè Chriſto coniungit) ſed viua etiam ſpes cha

Pſal. 72. ritatis igne incenſa hoc præſtat. Hinc regius Vates, Mihi, in quit,adhærere Deo bonum eſt: ponere in Domino Deo me ſpem meam. Deo enim adhæret,quiſquis in illo ſpem ſuam re poſitam habet,hoc eſt, qui ſalutis ſuæ præſidium non in fallaci bus,infidis,atq; fragilibus huius vitæ rebus, ſed in vno illo col locant,qui nullius ſpem fallere poteſt. Hoc ipſum autem ſan

1. Reg. 12. ctus ille Propheta Samuel Iſraelitico populo humanis opibu intento ſuadere conabatur his verbis: Nolite recedere à terg Domini, & nolite declinare poſt vana, quæ non proderunt vo bis,hoc eſt, nolite ad incerta & vana hominum auxilia cõfuge re,ſed ad Dei opem,& auxilium (quod nulli piorum vnquã de fuit) tota mente atque fiducia oculos cõuertite. Quod quia ip

Thren. 4. quodã tempore præſtare noluerunt,errorẽ hunc malis ſuis edo cti,ſerò tandem agnoſcentes,per Hieremiam dicunt: Cùm ad

huc

uc subsisteremus, defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrũ vanũ, cùm respiceremus attẽti ad gentẽ, quæ saluare nos nõ poterat. Quocircà lõga oratione Vates regius de vtraq. spe, inani videlicet, ac solida disserit: simulque cui tutò fidendum, cuique minimè fidendum sit, vtriusque spei facta collatione, docet his verbis: Nolite confidere in principibus, in filiis hominũ; in quibus nõ est salus. Cur ita tandẽ? Subdit causam, exibit spiritus eius, & reuertetur in terrã suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorũ. Quæ enim maior diffidẽtiæ causa, quàm humanæ vitæ, rerumq. humanarũ fragilitas, & inconstantia, quæ quotidiè spes nostras fallit, & eludit? Cui ergo fidendũ ais? Beatus, inquit, cuius Deus Iacob adiutor eius: spes eius in Dño Deo ipsius. Quare beatus? Quia nihil potest animo cogitari, quod ad spẽ hominum fulciendã adiuuet, quod non in vno eo cumulatissimè reperiatur. Quid enim tu primũ cupis, vt alicui tutò fidere possis? Primùm quidẽ opes & potentiã. Qui enim egẽs, & impotens est, quî poterit aliis esse præsidio, cũ sibi nõ possit? At hic Dñs (ait idẽ) fecit cælum, & terrã, mare, & omnia quæ in eis sunt. Quis igitur illo ditior, quis potẽtior? Quid amplius optas? Certè vt fidẽ & promissorũ veritatẽ seruet: vt quam opẽ supplicibus suis benignè pollicitus est, fideliter præstet. Hanc quoque virtutẽ protinus illi tribuit, cùm ait: Qui custodit veritatẽ in seculũ: hoc est, cuius veritas in promissis præstandis immutabilis & æterna est, quemadmodũ ipse æternus est. Quid prætereà requiris? Equidẽ, vt nõ verax modò, sed etiã iustus sit, quò iniustè læsos ab iniuria tueatur, atq. defendat. Hoc ipsum protinus de illo prædicat cùm subdit; Facit iudiciũ iniuriã patientibus. Hoc enim vel maximè ad iustitiæ rectitudinẽ pertinet, à potẽtioribus oppressos tueri, & vindictã de illis sumere. Sed ais, Nõ illũ modò iustum, sed etiam misericordem opto, vt erratis meis ignoscat, vt miserias meas eleuet, vt morbis meis & malis opem ferat. Ad hoc Propheta explicandũ plurima diuinæ misericordiæ opera longa oratione enumerat. Vbi enim dixerat, eũ facere iudiciũ iniuriã patientibus (quod ad iustitiã pertinet) opera deinde misericordiæ eius enumerat, cùm subdit, Dat escã esurientibus, & soluit cõpeditos, illuminat cæcos, erigit elisos, custodit aduenas, pupillum & viduã suscipiet. His omnibus nihil est, quod desiderari ampliùs possit, nisi vt talis tantusq. Dñs in æternũ permaneat, quo æternũ & indeficiens ab eo auxiliũ sperare possimus. Hoc ipsum in fine huius Psalmi Propheta declarat, cùm ait: Regnabit Dominus in secula, Deus tuus Sion in ge-

Psal. 145. Ibidem. Ibidem. Ibidem. Ibidem. Ibidem. Ibidem.

in generatione & generationem. Hocautem perpetuũ spe
nostræ firmamentum aliquantò obscuriùs Moysi Dominus de
clarauit, cùm illi, quo nomine vocaretur sciscitanti, respondi
Exod. 3. Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israël; Qui est, misit me a
vos. Quorsum Dominus hoc in loco amplissimi huius nomi
nis meminit, cuius vim & maiestatem rudis ille populus adhu
assequi non valeret? Certè quoniam huius nominis ratione
spem aliam longè firmiorem, quàm quæ illos in Aegyptu
duxerat, excitabat. Illi enim ingenti spe de fratris Ioseph d
gnitate & imperio concepta, patrio solo derelicto, in Aegyptu
descenderant: at defuncto Ioseph, & rege alio, qui Ioseph igno
rabat, imperium tenente, omnis eorum spes, & felicitas cum i
lo pariter concidit. Cùm ergo Dominus ait, Ego sum qui sum
perinde est, ac si diceret, Non ego is sum, qui quemadmodu
frater vester Ioseph, vobis aliquando deesse possim. Ego eni
sum qui sum: qui in æternum idem permaneo; in quem nu
temporum vicissitudo, nulla rerum mutatio, nullumque mo
ius habere potest. Ideoque tutò mihi iam fidere potestis, & v
tam, atque salutem vestram mihi committere; quæ patroci
meo stabilis & secura erit. Quæ cùm ita sint, quid quæso a
plius humana mens ad spem suam fulciendam vel cogitare,
optare possit? Meritò ergo Vates sanctus securitatẽ eorũ co
Psal. 124. mendat, qui huic solidissimæ petrę innitũtur, cùm ait; Qui c
Canti. 8. fidunt in Domino sicut mons Sion. Meritò item sancti Ange
idem in sponsa consilium mirantur dicentes, Quæ est ista, qu
ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum su
Quãuis enim arduus esset ascensus, si suis viribus niteretur, ha
tamẽ cælesti auxilio planus illi & facilis reddebatur. Quo in lo
Bernard. co non ineleganter D. Bernardus ait, Frustrà sponsa nititur, si n
innititur. Si autẽ innititur, omnia possibilia sunt super eum in
nitenti, qui omnia potest. Hac via sancti omnes in desperatissi
mis etiã casibus salutem sibi pepererunt. Hinc Dominus Abde
Hierem. 39. melech Aethiopi per Hieremiam ait, Ecce ego inducã sermo
nes meos super ciuitatem hanc in malum, & non in bonum: E
liberabo te, & non tradêris in manus virorum, quos tu formi
das, sed eruens liberabo te; & gladio non cades, quia in me ha
buisti fiduciã. Videtis igitur hanc in communi omnium vastita
te liberationẽ, ab hac in Deo fiducia profluxisse? Nec ad hun
modò, sed ad omnes in vniuersum hanc eandem salutem perti
Psal. 90. nere Dñs testatur, cùm ait, Quoniã in me sperauit, liberabo eũ
protegã eũ, quoniã cognouit nomen meũ, &c. quæ sequuntur

Sed

Sed ne stertentibus, ac dormitantibus huius doctrinæ occasione ansam licẽtiùs viuendi præbeam, illud etiam monebo, ne quis sibi de sola spe sine spei comitibus blandiatur. Comites verò spei, timor Domini, & iustitia sunt: quæ toties in literis sanctis cum ea coniuncta reperiuntur. Hinc regius Vates: Sacrificate, ait, sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino. Et iterũ: Beneplacitum est Domino super timentes eũ; & in eis qui sperant super misericordia eius. Videtis ergo in his locis, spei timorem & iustitiam simul copulari? Aliter enim spes dormiẽtium, atque improbè agentium, sæpè non tam spes quàm temeritas & inanis præsumptio est. Eos autẽ, qui in malis suis perseuerantes, salutẽ sibi ex sola diuinæ misericordiæ spe pollicẽtur, D. Augustinus inter obstinatos enumerat. Sic enim ait, Obstinatè viuit, siue qui non cõuertitur desperans de indulgentia peccatorum, siue qui sic in misericordia Dei sperat, vt vsq. in finem vitæ in criminum suorum peruersitate permaneat. Hæc ille. Quid igitur magis formidandũ, quàm inter obstinatos numerari? An nõ hoc malorũ omnium extremum est? Deniq. idẽ alibi ait: Lubrica spes est, quæ inter fomenta peccati saluari se sperat. Verè lubrica quæ hominẽ deludit: quæ cùm salutẽ se tenere per stultam confidentiam putat, vitã & salutem amittit. Qua ergò ratione tutò sperare liceat, idẽ Pater Augustinus declarat his verbis: Ille sperat, qui bonam conscientiam gerit: quem verò mala consciẽtia pungit, nõ sibi sperat, nisi damnationẽ. Vt ergo speret regnũ, habeat bonam conscientiam: & vt habeat bonam conscientiam, credat, & operetur. Monachus quidam in vitis patrum dixit ad beatum Antoniũ, Ora pro me pater. Cui vir sanctus: Nec ego, inquit, tui misereor, nec Deus, nisi tu pro te sollicitus fueris & oraueris Deum.

Psal. 4. Psal. 146. Augusti. Idem. Idem.

Cæterùm huius spei, quam perditi, & profligati homines habent, fallacia ex eo liquet, quòd vbi calamitate aliqua premuntur, nullũ ex hac spe solatium, nullum se refugium habere in ea putant: sed trepidi ac diffidentes, Deo relicto, ad sola humana præsidia confugiũt. Si tu ergo tantoperè Dei misericordiã magnificas, vt sine vllo pietatis studio, te diuinæ felicitatis consortẽ futurũ speres: quo nã modo qui tam magna tibi de diuina misericordia in futurum polliceris, tam parua modò de ea sperare non audes? Qui enim maxima donat, minima vtiq. non negabit. Cernis igitur vel hoc vno argumento, hanc esse serpẽtis antiqui fallaciã, qui eo tẽpore spẽ tibi adimit, cùm salutaris futura esset: eo verò auget, quo te securũ in peccatis dormire faciat?

Hac enim spe, infinita hominum millia in gehennam quotidi
detrudit. Omnes enim ferè qui damnantur, hac spe, dum viue
rent, salutem sibi pollicebantur.

Vt igitur eò vnde digressi sumus redeamus, quicunq; his sp
& dilectionis gressibus, Dominum sequuntur, omnia in eo s
Clemens Alex. lutis & dignitatis suæ præsidia inuenient. Hinc Clemens Ale
Verbũ, ait Christus, pater, & mater, & magister, & altor, & o
nia est. Parum erat si vnum aliquid horum esset, nisi omni
mul esset. Quæ cùm ita sint fratres, toto studio in hoc incum
mus, vt cum Propheta verè dicere possimus, Mihi autẽ adhæ
Psal. 72. re Deo bonum est; ponere in Domino Deo meo spem mea
quo illi semper adhærentes, illum semper cogitantes, illũ qu
cunque perrexerit sequentes, illiusque semper vestigiis insi
tes, in vno illo spes omnes, opesque nostras collocantes, ab i
doceri, refici, sanari, & bonis omnibus cumulari mereamur: q
cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in secula seculoru
Amen.

AD LECTOREM.



Voniam ea quæ de spei atq. timoris coniunct-
ne in huius concionis fine diximus, ad totius v
nostræ constitutionẽ magnoperè conducunt, v
buit nõnihil hac de re extra concionẽ ipsam ad
monere, & pręclarã D. Bernardi sententiã hoc in
loco attexere. Est igitur sciendũ, quædam esse in litteris sanctis
quæ nobis salutarẽ timorem incutiant (cuiusmodi sunt variæ
Domino plagæ immissæ, vastationes terrarũ, & horrẽdæ min
atq. terrores, qui in libris Prophetarum continentur) multa itẽ
quæ spẽ nostram & charitatẽ in Deũ vehementer excitẽt: qu
lia sunt omnia Dominicæ Incarnationis opera ac beneficia. C
terùm si in solis illis recogitandis assiduè versemur, periculũ e
ne in modica tristitia absorbeamur: contrà verò, si illis præte
missis, sola diuinæ misericordiæ opera contẽplemur, periculum
item est, ne in leuitatẽ, negligentiam, & inanem fiduciam inci
damus. Quocirca salutare nobis à D. Bernard. consiliũ datur, v
nunquã ita nos diuinæ misericordiæ operibus contẽplandis ad
dicamus, vt non etiam diuinæ iustitiæ opera contẽplemur: qu
spem simul cũ timore in mentibus nostris coniungamus: vt sp
quidem timorẽ temperet, ne in desperationẽ labatur: & timo
spei alacritatem corrigat, ne in falsam securitatem degeneret.

Quam

Quam rē vir ſanctus his memorabilibus aureiſq. verbis (quodque maius eſt) exemplo ſuo docet. Ait igitur: Si rectè Apoſtolo viſum eſt caput Chriſti referre ad deitatem, puto & nobis non incongruè videri pedes ad hominem pertinere: quorum alterū miſericordiam, alterum iudicium nominemus. Felix mens, cui ſemel Dominus Ieſus vtrumque infixerit pedem. A duobus ſignis cognoſcite eam, quæ huiuſmodi eſt, quæ ſecum neceſſe eſt referat diuinis impreſſa veſtigiis. Ipſa ſunt timor & ſpes, ille iudicij, iſta miſericordiæ repræſentans imaginem. Meritò beneplacitum eſt Deo ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius: cùm ſapientiæ timor initiū ſit, ſpes profectus. Nam conſummationem ſibi charitas vendicat. Quæ cùm ita ſint, nō paruus fructus eſt in primo hoc oſculo, quod ad pedes accipitur: tantùm curato, vt neutro frauderis illorū. Porrò enim ſi iam dolore peccati & iudicij timore cōpungeris; veritatis iudiciique veſtigio labia impreſſiſti. Quod ſi timorem doloremque diuinæ intuitu bonitatis, & ſpe conſequendæ indulgentiæ temperas, etiam miſericordiæ pedē amplecti te noueris. Alioquin alterum ſine altero oſculari non expedit, quia & recordatio ſolius iudicij in barathrum deſperationis præcipitat, & miſericordiæ fallax aſſentatio peſſimam generat ſecuritatē. Datū eſt & mihi miſero nonnunquā ſedere ſecus pedes Dn̄i Ieſu: & modò hūc modò illū tota deuotione amplecti, in quantū me eius benignitas dignabatur admittere. At ſi quando miſerationis oblitus, ſtimulante conſcientia, iudicio paulò diutiùs inhærerem; mox metu incredibili ac miſerabili confuſione deiectus, & tenebroſo circunfuſus horrore, hoc ſolum palpitans de profundis clamabam: Quis nouit poteſtatem iræ tuæ; & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Quod ſi eo relicto pedē miſericordiæ plus tenere contingeret, tanta econtrariò incuria & negligentia diſſoluebar, vt confeſtim & oratio tepidior, & actio pigrior, & riſus promptior, & ſermo incautior, & omnis deniq. vtriuſque hominis ſtatus inconſtantior appareret. Proinde magiſtra inſtructus experientia, non iudicium iam ſolum, aut ſolā miſericordiam, ſed miſericordiam pariter & iudicium cantabo tibi Domine: In æternum non obliuiſcar iuſtificationes iſtas. Cātabiles mihi erūt ambæ pariter in loco peregrinationis meæ: quouſque miſericordia ſuperexaltata iudicio, miſeria conticeſcat, ac ſola cantet tibi de cætero gloria mea, & non compungar. Hactenus D. Bernardi verba: in quibus non ſegniter huius viri ſanctiſſimi timor (quem ipſe de ſe prædicat) animaduertendus

 eſt.

est. Qui si tantoperè diuinum iudicium formidabat, vt penè desperationis baratrum præcipitaretur: quantùm quæso nos iudicium timere par est, qui tam longo interuallo ab huius diuini viri puritate distamus? Hoc sanè (quoniam paucis explicare non possumus) pietati vestræ etiam atque etiam cogitandum relinquimus.

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN CONCIO I. IN QUA iuxta Euangelicæ lectionis doctrinam de multiplici hypocritarum genere disseritur.

THE. *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Mat. 7.

IN hodierna S. Euangelij lectione scopulū quendam cælestis magister, in quo nonnunquam innocentiæ nauis alliditur, nobis demonstrat, & signa quibus illum deprehendere, & ab eo declinare valeamus detegit. Ait igitur: *Attēdite à falsis Prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos.* & cætera quæ sequuntur vsque ad finem.

AVE MARIA.

Ne longius ab Euangelica lectione discedamus, vellem quidem in præsenti concione nō solùm de falsis prophetis, qui ouina pelle luporum feritatē abscondunt, quales hæretici sunt, sed de multis aliis tum rebus tum personis, quæ sub externa bonitatis specie incautos fallunt, disserere. Ad hoc igitur meminisse oportet quod aliàs à nobis sæpè dictum est, in rebus omnibus quæ vel natura, vel arte, vel moribus etiam hominū constant, alias res esse veras, alias autem quæ verarum imaginem & speciem mentiantur. Est enim purum aurum, est & adulterinum: est numus verus & adulterinus. Medici quoque sanitatem veram, & falsam, famemque & sitim falsam & veram esse describunt. Sed ad mores veniamus. Sunt veri Prophetæ & sunt falsi, de quibus in præsenti lectione Dominus ait, *Attendite à falsis prophe-*

prophetis,&c. Sũt prætereà veri Christi Apostoli, sunt & Pseudoapostoli: quorum fallaciã, atq. perfidiam Paulus in Epistolis non semel accusat: adeò, vt nonnunquam Dei zelo aduersus illos incandescens dicat, Vtinam abscindãtur qui vos conturbãt. Galat. 5.
Sed maior in rebus, quàm in personis differentia est. Est enim vera & falsa iustitia, vera & falsa humilitas, vera & falsa pœnitentia, vera & falsa virtus, vera & falsa nobilitas, vera & falsa sapientia, veræ atq. falsæ diuitiæ, vera & falsa bona, verus & falsus honor, vera item & falsa felicitas. Deniq. si omnes res humanas diligentiùs consideremus, vix aliquam laude dignã inueniemus, cui non aliam adulterinam, eiq. similem deprehendamus. Idque tanta similitudine, vt nonnunquam res adulterinæ atq. fallaces verarum imaginem viuidius quàm veritas ipsa repræsentent. Quam rẽ Aristoteles quoq. significauit cùm dixit, nonnunquã euenire, vt quædã falsa quibusdã veris probabiliora sint; hoc est, nonnulla mendacia probari verisimiliùs, quàm quæ vera sunt. Huius rei exemplum Diuus Augustinus, in lib. Cõfessionum memorat. Ait enim, nocturnos quosdã fures domum effregisse, vt eius opes diriperent; qui clamore Dominorum perterrefacti, instrumenta quibus fores effregerãt relinquentes, aufugerunt. Cùm autẽ eadem hora Alippius eiusdẽ D. Augustini familiaris amicus, rei quæ gesta erat ignarus, illàc transiens, ferramenta illa humi iacentia attolleret, manuq. teneret, à domesticis (quorũ domus suffodiebatur) cõprehensus, furti reus est iudicatus. Quis enim nõ hoc modo deprehensum, furem esse crederet, cùm is tamen ab hoc crimine alienissimus esset? Quam rem D. Augustinus Domini consilio & prouidentia contigisse ait; vt qui futurus erat Ecclesiæ minister, hoc exẽplo disceret, non omnia quæ veritatis speciem referrent, vera esse; & multa etiam falsa esse, quæ veritatis imaginem magis, quàm vera repræsentarent. Quæ certè res admiratione non vacat. Perindè enim hoc est, ac si quis nobilis pictor tanta arte ad viuum hominem effingeret, vt clariùs veri hominis speciem, quàm viuus homo referret.

Aristotel.

August.

Hæc igitur, fratres, omnium ferè errorum & miseriarũ, quæ in hac vita versantur, communis causa & origo est. Cùm enim volũtas nostra sic ab opifice Deo instituta fuerit, vt nullo modo in aliquid ferri possit, nisi vel bonum sit, vel boni speciem referat: (non enim in malum sub ratione mali tendere potest) hinc fit, vt sæpè homines in rerum delectu fallantur, dum adulterina bona pro veris bonis, & falsam imaginem veritatis pro

veritate ipsa consectantur. In quanto autem hi periculo versentur, apud Esaiam Dominus declarat his verbis; Væ qui dicunt, Malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Hac igitur fallaci rerũ specie mortales miseri eo modo decipiuntur, quo pisces & aues: quæ propositam ante oculos escam videntes, nec hamum qui intra eam latet aspicientes dolo capiuntur. Quod enim illis obiicitur cibus quidem apparet quo vita alitur, cùm tamen laqueus sit, quo vita eripitur. Sic esca enim quæ foris videtur, hamus latet, qui non videtur. Sic igitur miseri homines tanquã aues rationis expertes decipiuntur, cùm ipsi rationis compotes sint; qua tamen vti nolũt, vt per eam vera bona ab adulterinis & apparentibus discernant.

Esai. 5.

Simil.

Hoc item modo vulgus hominum felices esse illos putat, qui rebus omnibus ad vitæ vsum & voluptatem circumfluũt. Itaque cũ nobilium, aut principum domos ingrediuntur, & famulorum greges, atque parietes aulęis sericis ornatos, & fulgentes auro atque argento abacos inspiciunt, beatos illos sæpè iudicant, qui tamen nesciunt quanti lateant sub illis ornamentis Sydri, & quàm multæ spinæ sub roseis illis coloribus delitescant. Quãuis enim isti quemadmodũ pauperes rerũ inopia minimè premantur, at auaritiæ & ambitionis fame variisq́. desideriis, quibus nihil satis est, nouo paupertatis genere premuntur.

Cæterùm pij homines, qui spiritu Dei aguntur, ab hoc communi periculo immunes sunt. Hęc enim inter lucis & tenebrarũ filios vel præcipua differentia est, quòd illi diuina luce collustrati, inter vera & falsa bona discernere sciunt, quod isti nesciunt. Quam rem olim Dominus in lege adumbrauit: qui inter mundorum animaliũ signa, hoc præcipuè designauit, quòd ea vngulam diuiderent. Quo signo piorum hominum discretio, atque prudẽtia intelligitur: qui diuino lumine illustrati, inter vera & falsa bona, inter lucem & tenebras, inter dulcia & amara discernere sciunt. Quod cuius meriti & gratiæ sit, breuiter Dominus per Prophetam ostendit cùm dixit: Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris. Quam rem nõ vno in loco insignis ille inter morales Philosophos Seneca ad humanæ vitæ institutionem maximè necessariã esse cõfitetur. Quid (inquit ille) tam necessariũ, quàm pretia rebus imponere? hoc est, quid vile & pretiosum sit sine errore diiudicare. Vnde cũ olim in concilio Sanctorũ monachorum (in quo magnus ille Antonius erat) de præstantia & dignitate virtutum ageretur, & alij qui-

Leuit. 7.
Deut. 14.

Seneca.

quidem abſtinentiam, alij ſacras vigilias, alij orationis ſtudiũ, & alij aliud commendarent, magnus ille Antonius diſcretionem cunctis moralibus virtutibus prætulit; eam aſſerens eſſe aliarum virtutum aurigam, atque rectricem; quęque omnibus medium illud, atque temperamentum præſcribat, ſine quo virtus nulla eſſe poteſt; atque ad eam etiam pertinere inter veras, falſaſque virtutes, atque inter vera & fallacia bona diſcernere.

I.

Arbitror, fratres, vos qua ratione hanc diſcretionis virtutem aſſequi valeatis, à me requirere, ne ficta boni ſpecie decipiamini. Plurima enim geminas habent facies, quæ foris quidem alba, intus verò nigra; foris dulcia, intus amara; foris pulchra, intus deformia ſunt. Et foris quidem placidam quietem, intus autem curarum & ſollicitudinum materiam præbent. Ad hoc igitur reſpondemus varias eſſe pro varia rerum natura diiudicandi, atque diſcernendi artes. In metallorum namque iudicio, ſunt aurifices huius artis periti; eſt & lapis lydius, qui verum ab adulterino auro diſcriminat. At in Philoſophia, quoniam ſæpè ſapientiæ ſtudioſi perperam colligentes, pro veris falſa amplectebantur, artem quandam adinuenêre, qua à falſis vera, & legitimas probationes à ſophiſticis & apparentibus diſcernerent; quam Dialecticam appellarunt. Verùm hæc ad Philoſophiæ diſciplinas pertinent. Nos aliud quærimus: nempè qua ratione in rerum iudicio, electione, & æſtimatione non decipiamur; néve pro veris bonis falſa, atque fallentia amplectamur: in quo non humanarum diſciplinarum veritas, ſed æterna ſalus & vita periclitatur. Non igitur æquum erat vt in re tanti momenti cæleſtis magiſter hominibus deeſſet, ſacras enim literas nobis magno ſuo munere contulit, quæ nos pretioſum à vili ſeparare, & res omnes ſuis nominibus appellare omnes hoſtium noſtrorum dolos, & fraudes intelligere docent. Eſt enim hæc cæleſtis doctrina, veluti quædam nauigantium charta, quæ & rectam nauigaturis viam, & ſcopulos etiam ſub leni vnda latentes apertiſſimè demonſtrat. Itaque in hodierna ſancti Euangelij lectione duas inſignes fraudes nobis detegit: quarũ altera ad hæreticos, altera ad fideles pertinet: de quibus in reliqua concionis huius parte nobis diſſerendum eſt. Ait igitur Dominus: Partitio.

Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium; intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Hos autem in Eccleſia non defuturos apertè Paulus in ea concione, quam ad ſeniores Epheſi habuit, his verbis expoſuit: Ego ſcio quod poſt

Actor.20. discessionem meam intrabunt lupi rapaces non parcentes gregi:& ex vobis exurgent viri peruersa loquentes, vt abducant discipulos post se. Ab his ergò lupis nos cauere Dominus admonet, cùm ait: *Attendite*, hoc est, non segniter, sed sollicitè & prudenter *attendite*, ne lupis istis, qui ad vos in vestimentis ouium veniunt, decipiamini. Ouium autem vestimenta, sunt primùm eorum blandiloquentia, & dulces sermones, quibus simplicium corda subuertunt. Scitum est enim illud Sapientis, Fistula dulce canit volucrẽ dum decipit auceps. Vestimenta item ouiũ quæcunque pertinent ad externam sanctitatis speciem; qualia sunt ieiunia, eleëmosynæ, oratio, diuitiarum simulata contemptio, & his similia. Isti igitur, quamuis externa specie oues, intus tamen, hoc est, in animo lupi sunt: quia reuera oues Christi simplices & innocentes dilacerare student. Quos tamen magis, quàm apertos lupos, formidare debemus. Tantò enim potentiores ad fallendum sunt, quantò magis sanctitatis speciem, atque ouium imaginem referunt. De his namque Paulus: Huiusmodi (inquit) Pseudoapostoli sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. Et non mirum, Ipse enim Satanas transfigurat se in angelum lucis. Non est ergo magnum, si ministri eius transfigurentur velut ministri iustitiæ; quorum finis erit secundum opera ipsorum. Sic etiam venatores tergoribus se ferarum vestiunt, quas illaqueare student. Sic aucupes auicularum, quas captare student, vocem & cantillationem arte imitantur, quo illas hac simulata vocis imitatione decipiant. Hæc est autem inter omnes Ecclesiæ persequutiones frequentissima. Alia enim fuit tyrannorum, alia falsorum fratrum, de quibus queritur Paulus; alia verò eademq. grauissima, extitit hæreticorum; quæ in omnibus ferè ætatibus, ac in nostra præcipuè grassatur; quæq. acerbiùs lingua, quàm tyranni armis Ecclesiam Christi impugnat.

2.Cor.11.

Simil.

Simil.

Has porrò tres Ecclesiæ persecutiones mirabili quadã imagine Ioannes in Apocalypsi vidit. Ait enim, quòd cùm agnus aperuisset vnum de septem sigillis (quibus mysticus ille liber claudebatur) audiuit vnum de quatuor animalibus dicens, Veni & vide. Et vidi (inquit) & ecce equus albus, & qui sedebat super illum habebat arcum; Et data est ei corona; Et exiuit vincens vt vinceret. Et cùm aperuisset sigillum secundum, audiui secundum animal dicens; Veni & vide. Et vidi, & ecce equus rufus, & qui sedebat super illum datum est ei, vt sumeret pacem de terra; & datus est ei gladius magnus. Et cùm aperuisset

Apoc.6.

sec

ſet ſigillum tertium, audiui tertium animal dicens; Veni & vide, Et vidi, & ecce equus niger; & qui ſedebat ſuper illũ habebat ſtateram in manu ſua. Et cùm aperuiſſet ſigillum quartum, audiui quartum animal dicens: Veni & vide. Et vidi, & ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper illum nomẽ illi Mors: & infernus ſequebatur eum. His quatuor equis, eorumq́ue ſeſſoribus ſanctus Euangeliſta Eccleſiæ felicitatẽ ſimul & varias aduerſus illam perſecutiones excitandas deſcribit. In equo enim albo (vt eſt à nobis alibi expoſitũ) eiusq́. ſeſſore, qui & arcu & regia corona inſignitus erat, ſempiterni regis Chriſti triumphũ, victoriamq́ue deſignat. Equus enim albus puriſſimam eius humanitatem; ſeſſor autem regia corona redimitus, diuini verbi maieſtatem repræſentat. Arcus verò quem manu geſtabat, diuinam potentiam, qua mundũ ſibi ſubegit, apertè deſignat. Quo quidem arcu ſagittas illas emittebat: de quibus in Pſalmo legimus; Sagittæ tuæ acutæ (populi ſub te cadent) in corda inimicorum regis. Hac igitur imagine triumphus Chriſti, & clariſſima de mundo victoria ſignificatur. Tres verò equi ſubſequentes, tres grauiſſimas Eccleſię perſecutiones adumbrant. Equus enim rufus & ſeſſor eius, qui pacem de terra ſuſtulit, cuique gladius magnus datus eſt, ſanguinolentam & immanem tyrannorum perſecutionem, quæ per omnes mundi regiones graſſata, longo tempore durauit, adumbrat. Hoc enim gladij huius magnitudo deſignat. Equus autem niger (vt Rupertus hoc in loco exponit) falſorum fratrum cateruam deſignat (de quibus iam olim Apoſtolus queſtus eſt) qui prauis exemplis, & ſcelerata vita incautis hominibus, parumq́ue in virtute firmis offendiculo & ſcandalo ſunt. Vix enim quidquam ad malum magis, quàm mala exempla (eorum præſertim, qui in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti ſunt) mentes hominum ſollicitat. Seſſor autem huius equi ſtateram habere dicitur in manu ſua: quo ſigno æquitatem & iuſtitiam ſimulat. Sed ſtatera hæc non fidelis, ſed doloſa eſt, quæ iniuſtitiam æquitatis & iuſtitiæ nomine tegit. Vnde non immeritò Diuus Auguſtinus hypocritas, ſanctitatis ſimias appellat. Simia enim ea quæ ſunt hominis propria referre & imitari conatur; quod hypocritæ & ſanctitatis ſimulatores faciunt. Equum verò pallidum hæreticorum perſecutionem ſignificare idem Rupertus ait: qui pallore vultus abſtinentiam, carnisq́ue macerationem referentes ſub ouina pelle luporum feritatem animo incluſam geſtant: à quibus nos ſollicitè cauere Saluator hoc in loco monet cùm ait, *Attendite à falſis prophetis, qui veniunt*

In concione Dominicæ Aſcenſionis.

Pſal. 44.

Auguſt.

veniunt ad vos in vestimentis ouium, &c. Isti igitur cùm pallio vultus se spiritu incipere appareant, carne tamen consummatur, ad quam eorum fraudulentia tendit: quamuis ærati isti nostræ hæretici velut callidissimi animarum aucupes, vtrumque hominibus proponunt, vt omnes in sagena sua includant. Si enim spiritualis sis, spiritualia tibi dogmata proponunt, externa opera ac ceremonias Pharisæorum magis quàm Christianorum esse docentes: Christi legem spiritualem esse, nõ carnalem (qualis Iudæorum extitit) prædicantes. Contrà verò si carnalis sis, & carnis indulgentiæ addictus, omnem tibi ieiunandi, confitendi, decimas soluendi, præpositis Ecclesiæ parendi, ac postremò bonorum operum laborem adimunt; solaque sine operibus fide salutem hominibus pollicentur. Quid igitur dulcius atque suauius carni proponi potuit? Hac igitur esca infinitam propè carnalium hominũ multitudinem retibus suis illaquearunt. Quam enim illi anteà prauè viuendi rationem cum metu tamen & pungentis conscientiæ aculeo sequebantur, modò prauis dogmatibus imbuti, eorundem perditos mores sine vlla trepidatione sectantur. Hoc est igitur faustum illud Euangelium quod vesana eorum cupiditas exoptabat, vt placida atque tranquilla conscientia in voluptatum, atque libidinum cœno requiescerent.

Sed quæretis, Cùm isti vestimentis ouiũ induti veniant, & blandiloquentia sua non luporum rabiem, sed ouium mansuetudinem præseferant, vbique Christum, vbique Euangelium & verbum Dei resonantes, qua ratione eos esse lupos dignoscemus? Ad hoc nobis commodissimum signum Dominus præbet cùm ait, *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Quantumuis simulent atque dissimulent, tamen alicubi produnt se spiritu diuino esse destitutos, dum si quis vitam & mores eorum attentius obseruet, reperiet illos sibi placentes, humanam gloriam sitientes, assentatores, inuidos, maledicos, & obtrectatores, nonnunquam & ventri deditos, commodisque suis seruientes, & suum potius negotium, quàm veritatis agentes. Huiusmodi enim notis fere notantur in scripturis; & maximè apud Paulum: Nam
Rom. 16. rogo, inquit, vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis. Hinc Dominus: *A fructibus*, inquit, *eorum cognoscetis eos. Nunquid colligũt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona bonos fructus facit: mala autem arbor malos fructus facit.* Si igitur hoc indicio qualis arbor sit agnosci potest,

test, respondeant hæretici, quinam boni fructus, quæ morum commutatio, quæ vitæ disciplina, quæ puritas aut sanctitas ex hoc eorum Euangelio consecuta sit, ipsis planè tacentibus, res ipsa loquitur. Sublata enim annua confessione (quæ magna ex parte homines in officio continebat) sublatisque Ecclesiæ ieiuniis, delectuque ciborum, quibus carnis petulantia comprimitur, quodque his maius est, sublatis bonorum operum meritis; quid superest, nisi vt in omni libidine, & intemperantia homines versentur? Id adeò verum est, vt comitiis Germaniæ habitis, de restituenda Cęsareis legibus, peccatorum confessione deliberatum sit; quod re ipsa animaduersum fuerit, abrogata cõfessione (quæ velut humanę intemperantiæ frænum quoddam erat) in omnia turpitudinum, atque libidinum flagitia & homines & mulieres solutis habentis irruisse. Hi sunt igitur fructus, qui ex infaustissimo hoc Euangelio consecuti sunt: vt omittam interim tot cædes, tot homicidia, tot bella; quibus vniuersus penè Christianus orbis ardet, totque discordiarum seminaria, quibus non modò priuatorum domus; sed etiam vrbes, prouinciæ, & regna intestinis inter se atque feralibus odiis conflictantur; adeò, vt nec maria à sanguinolentis bellis, & assiduis direptionibus immunia sint. Ab his igitur fructibus noui isti Prophetæ dignosci poterunt. Sed hæreticos missos facientes, ad fideles veniamus: in quibus etiam suum hypocrisis genus inueniri declarat Saluator, cùm subdit.

II.

Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cælorum sed qui facit voluntatem patris mei. Hæc Domini verba non ad hæreticos modò, sed ad fideles etiam pertinent. Ad hos enim Dñs ait, *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, &c.* Quod perindè est, ac si diceret, Quid ore me compellatis Dominum, si non facitis quæ præcipio? Si enim me Dominum verè agnoscitis, iussis meis obtemperate. Si verò non agnoscitis, quid sibi vult contraria præceptis meis Domini compellatio? Nihil sanè profuerit hæc honorifica vox, si obediẽtia desit: imò verò ea vos magis accusabit, cùm arguat aut hypocritam, aut infidelem, qui quod ore profitetur, factis negat. Cùm igitur hic locus sicut & superior hypocritas perstringat, de hypocrisi nobis in reliqua concionis huius parte disserendum est.

Est autem duplex hypocrisis species. Vt enim duplex est superbia, altera carnalis (qualis est eorum qui de opibus, aut nobilitate, aut potentia gloriantur,) altera verò spiritualis, quæ de

virtutum

virtutum splendore insolescit: sic alia est hypocrisis carnalis (sic enim illam appellare libuit) qua quis opes aut nobilitatem, aut potentiam ostentat, quam non habet; alia verò spiritualis, quæ sanctimoniam, & pietatem fallaci virtutis imagine mentitur. Et quidem prior illa adeò latè patet, vt vix quisquam ab ea immunis sit. Cuius rei causa reddenda est. Constat planè inter omnes humani cordis affectus vehementissimum esse propriæ excellentiæ, & gloriæ desiderium. Constat item communem esse multitudinis errorem, vt paupertatem quidem probri & ignominiæ, diuitias verò gloriæ loco ducant. Quem errorem Ecclesiasticus expressit cùm dixit; Pauper locutus est, & dicunt; Quis est hic? Locutus est sensatè, & non est datus ei locus. Diues locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum eius vsque ad nubes perducent. Cùm igitur vulgi homines (quorum infinita penè turba est) adeò vehementer & ignominię notam fugiāt, & gloriæ dignitatem appetant; hinc fit vt paupertatem qua premuntur, quanta possint arte dissimulent, & diuitias quas non habent, simili studio ostentare nitantur. Domi igitur sordes inclusas tegunt, foris autem quicquid habent splendidum omnium oculis subiiciunt. Et domi quidē furfuraceo pane frequenter vtuntur, & necessariò ad vitam cibo seipsos fraudant, vt quod necessitati corporis subtrahūt, in cultiores vestes quæ omnium oculis conspicuæ sunt expendant. Eademque de causa cùm maximè egeant, neque manibus victum quęrere, neque aut nobilibus aut principibus viris seruire volunt, quòd vtrumque inglorium sibi esse ducant: maluntque fame & inedia perire, quàm se ad hæc officia demittere. Eademque de causa neque eleemosynas à ditioribus, nisi occultissimè accipere volūt: quòd paupertatis opinionem magis, quàm famis & indigentiæ cruciatum vereantur.

Eccli. 13.

Sed hæc leuiora incōmoda sunt, quæ corpus præcipuè attingunt: illa verò multò maiora, quæ animam sauciant, & lethali vulnere feriunt. Hac enim de causa multi nobiliū neq. famulis stipendia, neq. creditoribus exigentibus debita soluūt. Imò verò nouum æs alienum conflant, ne quicquam de consueto domestici splendoris apparatu imminuant. Iam verò pauperum inopiæ Christiana charitate consulere qui possunt, qui spontè se in has angustias propter humanam gloriam coniecerunt? Tales igitur non vitæ, atque saluti suæ, non animæ, non Christianæ charitati, non postremò Deo; sed stultorum oculis & vulgi opinioni seruiunt; quandoquidem ad illa omnia steriles & inanes,

ad hęc autem sola effusi & prodigi sunt. Denique adeò latè malum hoc serpit, eoque deuenit, vt iam glorię loco inter optimates ducatur magnum æs alienum conflasse, & ingentis summæ debitorem esse. Nihil autem diligentius generis humani hostis curat, quàm vt homines in hoc necessitatis barathrum cõiiciat. Nullum enim tantum flagitium est, quod homines nõ aggrediantur, cùm magna aliqua necessitate & inopia constringuntur. Tantas enim vires necessitas habet, vt pios etiã matres ad infantum suorum dilaceratiónẽ impulerit, effeceritq́. vt viscera sua in alimentum verterint. Quid ergo non faciet, quid non tentabit, quas leges non euertet, qui huiusmodi necessitate constringitur? Ex hac enim iniustæ lites, ex hac furta, peculatus, rapinæ, pauperum & pupillorum oppressio, ex hac tyrannides & iniquæ leges, ex hac crudelitas & inhumanitas oriuntur; dum homines quacumque ratione siue honesta, siue turpi necessitati, aut potius vanitati suæ cõsulere studẽt. Hæc igitur mala omnia, fratres, ex carnali illa hypocrisi oriuntur, qua homines supra fortunas & facultates suas assurgere nituntur; & quas opes non habent, vana simulatione ostentare volunt; quod ab occulta superbiæ radice proficisci certum est. Huius autem criminis Moabitas Dominus per Prophetam accusat, cùm ait, Audiuimus superbiam Moab: superbus est valdè. Superbia eius, & arrogantia eius plusquam fortitudo eius. Alio verò in loco superbię huius Moabitarum supplicium declarat, cùm ait, Quia plus fecit, quàm potuit, idcirco perierunt. Esaiæ 16. Ierem. 48

Huius verò morbi remedium est, vt homo intra fines sibi à Deo præscriptos se contineat; neque ambulet in magnis & mirabilibus super se: idem sit extra, qui intus; in foro, qui in domo; neque aliud fronte ostendat, aliud corde tegat: illudq́ue Ecclesiastici consilium impleat; Ne accipias faciem aduersus faciem tuam, dum aliud foris ostendis, aliud intus abscondis. Quisquis autem hoc sibi imperare poterit, sciat magnas se, verasq́ue diuitias assecutum. Est enim (vt Paulus ait) quæstus magnus pietas cum sufficientia: pro quo alius vertit, Animus sua sorte contentus. Talem animum adeò felicem Seneca iudicauit, vt dicere non dubitauerit, Qui desiderium clausit, cum ipso Ioue de felicitate contendat. Hactenus de carnali hypocrisi. Nunc ad spiritualem veniamus. Eccli. 4. Seneca.

III.

Hanc autem hypocrisim duplicem esse statuo; alteram qua homo simulata sanctitatis imagine alios decipere conatur, & vir bonus

bonus atque innocens aliis apparere nititur, cùm ipse nequi suæ sibi conscius sit: alteram verò magis occultam; qua ipse homo decipit, & aliud de se iudicat, quàm sit. De priori illa q apertior est, nihil hoc in loco dicam, ne improbis hominibus occasionem bonos viros infamandi tribuam; qui vt nequitiam suam tegere valeant, illos hypocrisis & affectatæ laudis & gloriæ cupidos insimulare solent. Quo etiã nomine sibi ipsis gratulantur, & scurrilitatem, atque intemperantiam suam tuentur, quod his moribus imbuti, quàm longissimè ab hypocrisis vitio se abesse glorientur. De hac igitur hypocrisi apertissima, nihil: sed de illa quæ occultissima est, pauca subiiciam. De ea namque

Pro. 14. Salomon ait, Est via quæ videtur homini recta, & nouissima eius ducunt ad mortem.

Hanc porrò Saluator designauit, cùm dixit; *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cælorum, &c.* Hæc autem hypocrisis non vno modo auctorem suum decipit. Sunt enim variæ eius species. Prima est eorum, qui bona quidem opera, non tamen bona intentione agunt: qualia erant eorum quibus Dominus ait, Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab

Matth. 6. Luc. 16. hominibus. Et alio in loco, Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus, Deus autem nouit corda vestra. Isti igitur externam illam bonorum operum speciem contemplantes, nec quid in corde lateret animaduertentes, seipsos decipiebant, sibique ipsis hypocritæ erant. Est enim & maxima & occultissima amoris proprij vis, quæ se frequentissimè diuinis etiam exercitiis immiscet, & aliquid vndecumque captare nititur, quod in carnis

Gregor. suæ cedat commodum, aut voluptatem. Hinc D. Gregorius; Sæpe, inquit, mens sibi mentitur & fingit de bono opere amare quod non amat: de mundi autem gloria non amare quod amat. Cuius rei memorabile, imò & formidabile idẽ Gregorius nar-

Lib. 1. dial. cap. 10. rat exemplum, quod hoc in loco attexere libuit. Fortunatus, inquit, vir sanctissimus magna in expellendis dæmonibus Dei gratia pollebat. Quodam igitur tempore ex obsesso quodã homine immundum spiritum excussit; qui malignus spiritus cùm vesperascente iam die secretam ab omnibus horam cerneret, peregrinum quempiam se esse simulans circuire cœpit ciuitatis plateas & clamare, O virum sanctum Fortunatum Episcopum, ecce quid fecit, peregrinum hominem de hospitio suo expulit. Quæro vbi requiescere debeam, & in ciuitate eius nõ inuenio. Tunc quidam in hospitio cum vxore sua & paruulo filio ad prunas sedebat: qui vocem eius audiens, & quid Episcopus ei

fece-

fecerit requirens, hunc inuitauit hospitio, & sedere secum iuxta prunas fecit. Cumq. vicissim aliqua confabularētur, paruulum eius filium idem malignus spiritus intrauit, atq. in easdem prunas proiecit, ibiq; mox eius animam excussit. Qui orbatus miser, vel quem ipse susceperit, vel quē Episcopus expulit, agnouit. Hactenus Gregorius. Huius autem rei adeò mirabilis causam idē declarat his verbis: Multa videntur bona, sed non sunt, quia bono animo non fiunt. Vnde & in Euangelio veritas dicit, Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Quia cùm peruersa est intentio quæ præcedit, prauum est omne opus quod sequitur, quamuis esse rectum videatur. Ego namque hunc virum, qui dum quasi hospitalitatem exhiberet orbatus filio est, non pietatis opere delectatū æstimo, sed Episcopi derogatione. Nam pœna subsequens declarauit, quia præcedens illa susceptio sine culpa non fuit. Sunt namq. nonnulli, qui idcirco bona facere student, vt gratiam alienæ operationis obnubilent. Nec pascuntur bono quod faciunt, sed laude boni, qua cæteros premunt. Qua de re existimo hūc virum, qui malignum spiritum in hospitalitatem suscepit, ostentationem boni potius intendisse, vt meliora opera quàm Episcopus fecisse videretur, cùm ipse susciperet eum, quem vir Domini Fortunatus expulisset. Hactenus Gregorius. Quis igitur fratres, sub hoc lapide scorpionem latêre intelligeret? quis hac benignitatis imagine non deciperetur? An non ergò videtis hominē hac boni operis specie falli, sibiq. ipsi hypocritam esse? Scio planè aliquando deprauatæ intentionis vitium auctori suo notum esse. Aliquando tamen adeò occultum est, adeoq. se virtutis imagine palliat, vt nisi oculatissimus sis, anguem sub viridi herba latentem, eiusque colorem referentem deprehendere nequeas. Quocircà sollicitè vir pius intima sua perscrutetur, & in bonis operibus quæ agit studiosè inquirat, quid præcipuè ipsum ad opus bonum moueat, semperque sibi diffidens, de sui ipsius amore sibi suspectus sit, ne cùm Dominus tempus acceperit, quo iustitias iudicabit, & renes & corda scrutabitur, manifestabitq; consilia cordium, pro auro aurichalcum, & pro vera iustitia falsam in eo deprehendat.

Idē Grego. ibidē.

Matth. 6.

Simil.

IIII.

Est etiam tertium aliud hypocrisis genus iis, quæ hactenus diximus, occultius. Ex iis enim qui dicunt: Domine Domine, quidam sine vllo mentis affectu has frequenter voces repetunt: qui Dominū strepitu magis labiorū, quàm affectu mētis hono- III.

rant. Alij autem blandissimum pectus his vocibus adiungunt: quod etsi laudabile semper sit, in aliquibus ingeniis nō tantùm habet laudis, quantum dulcedinis ac suauitatis. Sunt enim quidam ita ab ipsa natura ficti atq. informati, vt dulci quodā & tenero affectu erga diuina moueātur; quod nonnullis etiā philosophorum, qui diuina gratia destituti erant, contigit. Quicunq. autem sic affecti sunt, tantùm sibi sanctitatis tribuunt, quātum dulcedinis atq. suauitatis in diuinarum rerum contemplatione percipiunt. Qua quidē in re periculosè decipiuntur. Non enim diuinæ suauitatis gustus, sed charitatis affectus, virtutum officia, laborum patientia, cupiditatum cohibitio, vitæ puritas, & cordis humilitas veræ sanctitatis argumenta sunt. Multos enim videmus spiritualibus iis delitiis affluentes, qui in harum virtutum officiis interdum claudicant: qui quamuis ipsi sibi interius vigere atq. florere videantur, oblata tamen graui aliqua tentatione, de statu mentis deiiciuntur: quos Dominus in Euangelio aptissimè per illud semen designauit, quod supra petram iactū, hybernisq. aquis nutritum adoleuit, quod postmodum incalescente Sole arefactum est. Quisquis igitur talis est, quemadmodum in lib. Iob scribitur; humectus videtur antequàm veniat Sol, & in ortu eius germē eius egredietur; qui tamen posteà meridiani feruoris gestu facilè arescit. Cuius mentis statum regius Propheta in persona sua expressit cùm ait, Ego dixi in abundātia mea, non mouebor in æternū. Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Videtis ergo quàm fallax de se homo iudicium proferat, cùm diuina illa cōsolatione circunfluit? Qui enim tunc se immutabilem fore credebat, subtracta paulisper diuinæ cōsolationis præsentia, subitò cōturbatur & commouetur. Quare diuinæ pietatis munus est, vt quisquis hoc errore tenetur, illa diuinæ consolationis gratia ad horam destituatur; vt cùm se ad cætera virtutum officia hoc tempore infirmum & fragilem videat, imbecillitatem & infirmitatem suam apertè cognoscat, nec sibi plus tribuat, quàm illa veræ virtutis argumēta, quæ paulò antè diximus, declarant. Aliter enim, qui existimat se aliquid esse cùm nihil sit, ipse se seducit, sibiq. ipsi hypocrita est. Cùm autem adeò fragilis & imperfecta multorum iustitia sit, bona iustitiæ pars est, vt hanc ipsam infirmitatem suam humiliter homo cognoscat. Quod qui non facit, dupliciter in officio delinquit; & quia non plenè præstat quód debet, & quód humilem sui cognitionem, quæ huius infirmitatis remedium erat, sibi subtrahit.

[Marginal references: Lucæ 8. — Iob 8. — Psal. 29. — Gala. 6.]

Veram

Veram igitur virtutis probationem fratres, non in sola informi fide, non in sanctis verbis, dulci etiam & blando affectu repetitis, sed in diuinę voluntatis obedientia sitā esse Saluator ait. Tantùm igitur quisque veræ virtutis & sanctitatis habet, quātum in propriæ voluntatis abdicatione, & diuinæ adimpletione profecit. Neque enim altera voluntas stabiliri potest, nisi altera euellatur, vt nihil intra nos sit; quod vel diuinis præceptis, vel diuinæ erga nos dispositioni obsistere possit: quò læti & libentes quacunque nos ille siue plana siue aspera via ducat, illum sequamur. Cuius obedientiæ exemplum quo magis inobedientia nostra pudore afficiatur, non ex sacris, sed ex prophanis literis vobis hoc in loco proponam. Sic enim Seneca Demetriū Philosophum cum Deo loquentem inducit. Hoc vnū (inquit) Dij immortales, de vobis queri possum; quòd non antè mihi voluntatem vestram notam fecistis. Prior enim ad ista venissem, ad quæ nunc vocatus adsum. Vultis liberos sumere? illos vobis sustuli. Vultis aliquam partem corporis? sumite. Non magnam rē promitto, citò totum relinquā. Vultis spiritum? quid ni? nullam moram faciam, quò minus recipiatis quod dedistis. A volēte feretis quicquid petieritis. Quid ergo est? Maluissem offerre, quàm tradere. Quid opus fuit auferre? accipere potuissetis: sed ne nunc quidem auferetis: quia nihil eripitur nisi retinenti. Nihil cogor, nihil patior inuitus, nec seruio Deo, sed assentio. Hactenus ille. Quis quæso vestrûm fratres, hanc tantam Philosophiam in ethnico homine non miretur? qui neq. Christū nouerat, neq. Euangelium audierat, neq. de cælestibus gaudiis & gehennæ suppliciis aut futura vita quicquam nouerat? Et tamē solo rationis lumine eruditus, hanc tantam diuino numini reuerentiā & obedientiam vel exhibebat, vel exhibendā esse intelligebat? Quisquis igitur hac Euangelica sententia institutus, regnum cælorum iis destinatum esse credit, qui cælestis Patris voluntatem faciunt, tota animi contentione præstare studeat, quod hic insignis Philosophus (vt diximus) vel præstitit, vel præstandum esse docuit. Sic enim fiet, vt voluntatem Patris æterni tanquam legitimi filij exequentes, cælestis patrimonij hereditatem filiis adoptionis promissam eodē patre donante cernere mereamur.

Seneca.

IN EADEM DOMINICA SEPTIMA POST PENTECOSTEN CONCIO SEcunda, in qua lectio Euangelica explanatur, & in fine sententia verbis thematis comprehensa, paulò fusiùs explicatur.

THE. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Mat. 7.



HOdierna sancti Euãgelij lectio, dilectissimi, velut peroratio est eius sermonis, quẽ Dominus ad discipulos in mõte habuit: in quo perfectionis Euãgelicæ summa continetur. Et quidẽ in huius sermonis initio, cælestis huius Philosophiæ doctores Dominus erudiuit; & quales esse deberent, clarissimis nominibus impositis docuit, dũ eos sal terrę, lucem mundi, ciuitatemq́. supra montem positam appellauit. Hæc enim nomina, eorundem officia breuiter designant. Quia verò (vt Poëta dixit)

Terra salutiferas herbas, eademq́; nocentes
Nutrit, & vrticæ proxima sæpè rosa est.

Sic etiam cum bonis doctoribus mali quoque emergere solent; ideò quemadmodum initio sermonis huius veros doctores nobis Dominus cõmendauit: ita in fine à falsis cauendum esse monet his verbis: *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium: intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Matth. 7. Horũ autẽ Pseudoprophetarũ nomine hęreticos, fraudulentosq́. doctores potissimũ Dominus intellexit: de quibus tamen hodie apud vos agere non est animus. Cùm enim hoc Lusitaniæ regnum Domini beneficio ab hæreticorum veneno immune sit, non est cur aduersus absentes inclamare debeamus; qui etiam si pręsentes essent, nihil oratione nostra cõmouerentur. Quos enim Ecclesiæ auctoritas & Conciliorum decreta, sanctorumq́. Patrum consensus, & totius antiquitatis vetusta religio à perfidia sua nõ reuocant, quomodo rudi hac oratione nostra reuocarẽtur? Pręsertim cùm D. Paulus hos homines à dęmone subuersos esse dicat: à cuius tyrannide & potestate non facilè emergere possunt. Illud tamen vnum dicam, quòd nisi penitus subuersi essent, eos ad sanam mentem reduceret: nempè sectarum confusa multitudo; quas hodie zizaniarum seminator dæmon inter eos sparsit.

sit. Numerantur enim à viris doctis supra decem & octo centũ sectarum nomina, quæ ab eis orta sunt; vt nõ fuerint plures linguæ eorum, qui turrim Babylonis ædificabant. Quis igitur hoc argumento non apertè eorũ errores & mendacia agnoscat? Veritatis enim natura simplex est, & simplici via tendit: mendaciũ autem fœcundissimum, quod infinitis modis à veritate deuiat. Vnica enim via est collimãdi atque attingendi scopum: at infinita propè diuerticula sunt, quibus ab eo deflectimus. Cùm autem vnusquisque eorum aliorũ dogmata impugnet, & sua tantummodo tueatur, ipsi se armis suis iugulant; quemadmodum olim Madianitæ, expugnante Gedeone, mutua se cæde truncabant. Quid enim mirabilius, aut etiam miserabilius, quàm in tam paucis annis, tot hæresum monstra atque prodigia ab vna radice pullulasse? Quod quidẽ iustissimo Dei iudicio euenisse putandum est: vt apertè homines viderent, in quàm multa atq. horrenda præcipitia, vbi à Deo deseruntur, ruant. Quo etiam indicio nullum miseris excusationis velamẽ relinquitur. Quod enim maius erroris, & mendacij argumentum, quàm hæc tam multiplex sectarum varietas? Sed hæreticos missos faciamus, & ad mores nostros instituendos atq. examinandos veniamus.

Attendite (inquit) *à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium: intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Ex his Domini verbis intelligimus, eò vsque homines à Deo auersos degenerare, vt truculentarum bestiarum nominibus appellentur: cùm Pseudoprophetas Dominus hoc in loco rapaces lupos ouina pelle tectos appellet, quòd luporum rapacitatem & fraudes imitentur. Vnde colligimus, omnes eos, qui ferarum rabiem, aut truculentiam, aut fraudem, aut nocendi vim imitantur, earundem ferarum nominibus appellandos esse. Hęc autem adeò indigna nomina illis pręcipuè conueniũt, qui diuturna peccandi consuetudine efferatos mores induerunt. Sunt enim duo delinquentiũ hominum genera. Quidã enim & rarò & non sine metu ac trepidatione delinquunt: qui tamen vbi aliquãdo fortè deliquerint, à delicto surgere, & ad priorem statũ redire student. Sunt tamen alij sic in malis obstinati, vt nunquam scelera sceleribus addere cessent. Cùm autẽ vnumquodq. lethale peccatum nos à Deo separet, quò quisq. plura peccauit, eò lõgiùs à Deo, hoc est, à diuina luce & splẽdore discedit: atq. ita in densissimis tenebris iacens, in omnia pecatorũ præcipitia ruit: ideoq. non mirũ si hoc genus hominũ pro varietate criminũ, multiplici quoq. ferarũ nomine designetur: quod non obscurè Dñs esu-

rienti Petro ostendit, cùm improborum hominũ mores in linteo illo quadrupedibus, & reptilibus, & serpentibus pleno ostẽdit. Hinc S. Iob. Frater (inquit) fui draconũ, & socius struthionum. Et ad Ezechielem Dominus ait, Fili hominis, increduli & subuersores sunt tecum; & cum scorpionibus habitas. Et Herodi iubet idẽ Dominus in Euangelio renunciari; Ite, dicite vulpi illi. Idemq. ad discipulos: Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Et Ioannes Baptista sceleratos homines vocat genimina viperarum. Quam rem cùm viri sapientes intelligerent, fœminam quandã nomine Circem socios Vlyssis in varias animantiũ formas veneficiis suis transmutasse finxerunt. Qua fictione significare voluerunt; improbos homines variarum bestiarum, & mores, & nomina sortiri. Tales igitur quorundã hominũ mores & ingenia sunt, vt eos nõ quidẽ Circes, sed Spiritus sanctus serpentes, dracones, scorpiones, & id genus nominibus ferarum appellet. Nec id immeritò. Multos enim reperire licet, qui malitia serpentes, dracones ferocitate, crudelitate tigrides, rapacitate lupos, astutia vulpes, & viperas detractione imitantur. Vipera enim serpens est, qui venenato ore quos momorderit, interficit. Suntq. non pauci huius generis viperę: de quibus in Salomone legimus: Si mordeat serpens in silentio, nihil eò minus habet qui occultè detrahit. Sunt enim serpentũ corpora lethali veneno plena, atq. ita per os, & interdum etiã per oculos venenum spirant, & flatu quoq. ipsum aërẽ inficiunt. Talia sunt autem maledicorũ quorundam hominũ pectora quæ vipereo infecta veneno, de omnibus malè sentiunt, omnibus inuidẽt, omnia oderunt, atq. fastidiunt: & ita de omnibus malè loquuntur: quia ex abundantia cordis os loquitur. Cùm enim liuoris, & prauæ voluntatis veneno pleni sint, consequens est, vt prauos humores, qui in eorum pectore nutriuntur, per os passim euomant. Hos autem sacræ literæ aliquando serpentes, aliquando aspides, aliquando verò proprio nomine detractores & maledicos appellant: quorũ non exigua turba in mũdo est: quorumq. os maledictione & amaritudine plenũ est. Et quidem si quẽ horũ maledicũ appelles, summæ iniuriæ loco ducet. Et qui adeò contumeliosum putat maledicum vocari, non putat esse. Quæso ergo te, si adeò ignominiosum hoc tibi nomen arbitraris, exaudi te aliquando cùm loqueris, videbisque te hoc ipsum agere, cuius nomen detestaris & horres.

Act. 10. Iob 30. Ezech. 2. Luc. 13. Idem 10. Idem 3. Matth. 12

I.

Constat igitur ex his prauos homines truculẽtis feris similes esse.

esse. Quid verò si illud etiã addamus, quod multi non modò feris, sed ipsis etiã dæmonibus similes fiunt? Hoc certè Saluator ipse testatur, cùm ad discipulos ait: Nónne ego vos duodecim e- Ioan.6.
legi, & ex vobis vnus diabolus est? Et ad Iudæos, qui ipsum occidere volebãt: Vos, inquit, ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat, &c. Diabolum appellat eũ qui diaboli opera & peccata imitabatur, diaboli autẽ peccata præcipua sunt, primùm quidẽ superbia, quæ illũ è cælo deiecit: deinde inuidia, per quã mortẽ introduxit in orbem terrarum: tũ odiũ generis humani: ideoq; bella & dissidia, atq. discordias seminat inter fratres: ac postremò obstinatus in sceleribus animus, à quibus nunquã emerget. Quod si diabolus est, I.
quisquis opera & mores diaboli imitatur, ergo qui superbus est, qui inuidus, qui dissidiorũ seminator, & qui in malo obstinatus est, quid aliud quàm diabolus erit? Quod si diabolus dicitur esse Iob 41.
Rex super vniuersos filios superbiæ, quot homines inueniemus hoc vitio infectos, qui eius filij, & mẽbra existunt? Ergò quisquis hoc vitio contaminatus fuerit, non dubiũ, quin inter diaboli seruos & filios numerãdus sit. Et si inuidia maximè dæmo- II.
nẽ facit, quot huius generis dæmones in mũdo reperire licebit, qui aliena felicitate marcent, qui alienas opes suã inopiã, alienã lætitiã suas lachrymas, aliena cõmoda sua incommoda esse ducunt: qui nunquã sine magno suo dolore alienam felicitatẽ vident? Quot enim in aliena domo bona cernũt, tot in corde suo telis sauciantur. Quod planè vitium non tam hominũ, quàm dæmonũ est: quorũ ea est natura, vt non ob aliquã suam vtilitatẽ noceant, sed vt noceãt. Sicut enim quidã adeò boni viri sunt, vt Simil.
præmia rectè factorũ putent esse ipsa rectè facta, ita dæmones adeò mali sunt, vt nõ aliud malefaciẽdi præmiũ, quàm ipsa malefacta quærant. Quod planè liuidis omnibus commune est. Nam & auarus, & impudicus, & ambitiosus aliquid vtilitatis, aut voluptatis ex malis operibus captant: tu tamen inuide, quid acquiris cùm inuides? Nihil certè. Nihil enim tibi ex hoc quòd aliis inuides, lucri aut voluptatis accedit. Imò verò tantũ abest, vt aliquid iucunditatis assequaris, vt etiam nouum animi cruciatum acquiras, cùm aliorum opibus & fortunis inuides.

Quid verò de iis referam, qui dæmonũ more discordias se- III.
minãt inter fratres? Quod sanè crimẽ nõ solùm odibile, sed etiã Prou.6.
abominabile Domino esse dicitur. Sex enim sunt (ait Salomon) quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius. Septimum autẽ esse ait, seminare inter fratres discordias. Quod ij faciunt,

ciunt, qui quicquid mali de absente proximo audiunt, eidem protinus denunciant: vt hac delatione, eius ineãt gratiam; & ex conflatis venenata lingua inimicitiis, nouas ipsi acquirant amicitias. Hinc Ecclesiasticus: Vir peccator turbabit amicos, & in medio pacẽ habentium immittet inimicitiã. O vipereã linguã! ô generis humani pestẽ & exitium! ô non tàm hominis, quàm dæmonis inuentũ! qui inter primos mundi fratres discordias seminauit; idemq́. nunc pacem hominum turbat, amicitias dirimit, charitatem violat, scindit vnitatem, & bella intestina concitat! Vix enim dissidiũ aliquod inter homines oritur, quod nõ ex hoc manauerit seminario: vix vnquã maritus zelotypiæ spiritu ebrius, vxorem iugulauit, qui non tetrum hoc facinus ex alicuius delatione antè conceperit.

Eccli 28.

IIII. Quòd si in malis obstinatio proprium dæmonis peccatũ est; quot passim huiusmodi dæmones reperire licet, qui nullis neq. minis flecti, nec beneficiis emolliri, neq. plagis concuti, neq. diuinis promissis trahi ad pœnitentiã volunt? Hoc verò maximè propriũ dæmonum est, qui obstinatis in malo animis perseuerant: quos imitantur, qui sic obdurati & insanabiles permanent. En fratres, quò per diuturnã peccandi consuetudinem miserãdus homo deueniat, & cuius similitudinem & imaginẽ referat, qui ad imaginem & similitudinem Dei factus est.

Hæc ideò paulò fusiùs à me dicta sunt fratres, vt intelligatis sceleratos homines diuturna peccandi consuetudine, sic à naturæ suæ præstantia degenerare, vt non modò luporum sub ouina pelle latentium, sed aliarum etiam ferarum & serpentum, atque adeò ipsorum etiam dæmonum rabiem & mores imitẽtur, eorundemque nomina sortiãtur. Sed ad verba Domini iterum veniamus.

Attendite (inquit) *à falsis Prophetis, &c.* Pseudoprophetarũ nomine hæreticos intelligi diximus: de quibus tamen nihil nos dicturos polliciti sumus. Est tamen aliud intra Ecclesiæ fines Pseudoprophetarũ genus, quod nõ minus quàm aliud sub ouina pelle nocet. Sũt enim falsi fratres, sunt multi in sacris ordinibus constituti, sacerdotaliq́. habitu induti, qui luxu & intẽperantia vitę, prauisq́. exemplis nõ minus incautis & simplicibus, quàm hæretici nocent. Quã rem multis lachrymis & lõga oratione Diuus Bernardus deplorat his verbis: Olim prædictũ est, & nũc tẽpus impletionis aduenit. Ecclesiæ vox est: Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara priùs in nece martyrũ, amarior pòst in conflictu hæreticorũ, amarissima nunc in moribus domc-

Bernar. super Cant.

domesticorum. Non fugare, non fugere eos potest, ita inualuerunt, & multiplicati sunt super numerum. Intestina & insanabilis est plaga Ecclesiæ; & ideo in pace amaritudo eius amarissima. Hactenus Bernardus. Isti igitur ouina quoque pelle tecti sunt, cùm officio & ministerio seruos se Christi profitentur. Quorum tamen vita à dignitatis ratione dissentiens, non minus quàm luporum feritas & fraudulenta nocet.

Quo autem indicio illos discernere valeamus, declarat protinus Saluator cùm subdit, *A fructibus eorum cognoscetis eos*. Sapienter, inquit, à fructibus operum, non à foliis verborum. Israël enim vitis frondosa: nõ est vua in vitibus, & nõ sunt ficus in ficulnea. Non ergo à verborum foliis, sed ab operum fructibus veri Ecclesiæ ministri, & pastores diiudicandi sunt; quales videlicet erga pauperes, erga viduas, erga infirmos, variisque calamitatibus oppressos, quales denique erga seipsos, & quales erga delinquentes sint. Erga se enim rigidi atque seueri; erga alios verò mites, benigni, misericordes, & patiẽtes esse debent, sic tamen, vt in tranquillitate censuram æquitatis non deserant. Isti sunt ergo externorum operum fructus, quibus de arbore, bona sit an mala, pronunciandum est. Oseæ 10. Hiere. 8.

Sed ais, Fieri potest, vt omnia ista vel inanis gloriæ affectu, vel lucri, aut maioris dignitatis cupiditate fiant. Hac enim virtutum opinione solent homines ad maiores dignitatum gradus promoueri. Cùm ergo propriæ excellentiæ appetitus adeò altè visceribus hominũ hæreat, fieri sanè poterit, vt hæc omnia virtutum officia, ex hac appetitione proficiscantur. Pompeius ille magnus (vt in eius vita memorat Plutarchus) dum Romæ ageret, libertini sui vxore clam abutebatur: qui tamen ad bellum Mythridaticum profectus, oblatas sibi speciosissimas virgines repudiauit: quam rem non virtutis amore, sed honoris & gloriæ intuitu fecisse credendus est. Ad hoc igitur respondeo fratres, officij nostri esse, à fructibus externorum operum corda dignoscere: Dei autem esse scrutari renes & corda. Ipse enim est spirituũ ponderator, ipse discretor cogitationum, & intentionum: ipse hominum corda, & merita velut in statêra appendit. Quocirca suas illi partes tribuamus, nos nostras assumamus. Ille ex corde opera diiudicat, nos ex operibus corda diiudicare iubemur. Hinc Apostolus, Nolite, inquit, ante tẽpus iudicare, quoadusque veniat Dñs, qui & illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit cõsilia cordium. Olim Dñs in lege, animalium carnibus vesci permittebat; esum autem sanguinis seuerissima Plutarchus. 1. Cor. 4.

pœna proposita inhibebat. Cuius rei causam assignat, quòd iste animalium sanguinem sibi sumpserit, quem homines proa missis piaculis in sacrificium ipsi offerrent. Hac ergo lege ex crandum facinus esse decreuit, si homines sibi sumerent, quæ is tanquam sibi proprium reseruauerat. Cùm ergo occultorum iudicium non ad homines, sed ad Deum spectet, quisquis hoc sibi assumit, Dei officium, dignitatem, & iudicandi facultatem vsurpat: quod proditor ille Angelus fecit, qui Dei sedem & dignitatem inuadere præsumpsit. In quo crimine sunt, qui cùm pios homines templa adire, deuotius orare, pauperibus subuenire, & sacramenta frequentare, & similia pietatis opera exercere vident, inuidiæ zelo extimulati, malignè opera illa interpretantes, magis ex hypocrisi & inani gloria, quàm à religionis affectu ea proficisci dictitant. Itaque fratres vt ex malis fructibus arborē malā, sic ex bonis bonam æstimare iubemur. II.

Matt. 7. Sed ad id quod sequitur, veniamus. *Non*, ait, *qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.* Hæc Domini sententia latè patet. Non enim ad hæreticos solum, de quibus hactenus locutus est, sed ad fideles etiam pertinet. Hæretici enim, quò se aliis venditent, in ore semper habent Christum, Euangelium, verbum Domini. Multi quoque fidelium hoc idē Dñi nomen frequentius inclamantes, securitatem sibi pollicentur. Quos tamen Dominus hoc in loco apertè perstingit, cùm has voces nihil ad salutem conferre dicat, si diuinorum mandatorum obedientia desit: qua cælestis patris voluntas continetur. Ad hoc autem genus hominum agnoscendum, scire oportet, inter virtutum officia, quædam esse ad agendum facilia, quædam verò difficilia. Quidam autem homines nimium sui amantes ex his officiis ea eligunt, quæ sunt faciliora. Facilè enim est orare, & orationis verba parum attentè repetere: Facilè item legere, sacras conciones audire, diuinis laudibus & missæ sacrificio quotidiè interesse, de rebus diuinis colloquia miscere; hæc quidem faciliora sunt, atque multis in promptu posita. At difficiliora sunt seipsum abnegare, carnem cum vitiis & concupiscentiis crucifigere, male parta restituere, delinquenti contrà nos veniam donare, linguæ petulantiam & oculorum licentiam cohibere, cupidites frænare, cor & corpus castum integrumque seruare, carnem cùm opus fuerit, aut Ecclesia præcipit, ieiuniis macerare, ac postremò propria volūtate abdicata, se totum diuinæ voluntatis obsequio mancipare: hoc

est,

est, non tam sibi quàm Deo viuere. Illi enim non sibi, sed illi viuunt, qui propria voluntate ac omnibus eius desideriis repudiatis, Christi Domine voluntatem (quæ non alia quàm patris est) tota animi deuotione amplectuntur. Hæc igitur quis neget esse ad agendum difficiliora? Sunt itaque inter fideles non pauci, qui ea, quæ facilia esse diximus, libenter exequuntur; hæc autem difficilia ne attingunt quidem: vtpote qui religionem omnem summis labiis, non in imo corde atque visceribus infixam habeant. Horum igitur Dominus errorem falsamque securitatem his verbis arguit. *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum; sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.* Regnum enim illud, regnum est omnium seculorum, regnũ omnium delitiarum, & gaudiorum, regnum, cuius opulentiam & gloriam, nec oculus vidit, neque auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: regnum, in quod nullus intrat coinquinatus & immundus: regnum denique, in quo cælestem regem in decore & specie sua videbimus, similesque ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Ad hanc autem tantam fœlicitatem nisi per varios labores atque certamina non peruenitur.

Cuius rei cùm multæ sint causæ, non postrema est lapsæ naturæ morbus atque corruptio, quæ ad delitias & voluptates prona, omnem virtutis & honestatis laborem refugit atque detrectat. Illa namque maledictio, qua generis nostri principi dictum est, Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos tibi germinabit. In sudore vultus tui vescêris pane tuo, non minus miseras animas, quàm terram attingit, quæ sponte quidem sua sine cultore varias vitiorum spinas germinat: fruges autem virtutum non nisi assiduo cultu, & labore, & sudore vultus nostri. Quin & altera maledictio, quæ feminam perstringit, vt in dolore filios pareret, animæ quoque nostræ miseriam declarat, quę virtutum atque bonorum operũ fœtus in dolore parit: cùm constet virtutum omnium officia in rebus asperis atque difficilibus versari. Nihil autem hîc de mundi atque serpentis antiqui impugnationibus dico, qui carnis nostræ fragilitate, variisque cupiditatibus ad exitium nostrum abutuntur. Cuius rei gratia Ecclesiæ voce monemur, vt simus fortes in bello, & pugnemus cum antiquo serpente, quò æternum regnum accipiamus. In cuius rei argumentũ insignis illa mulier in Prouerbiis, (quæ fidelis animæ typum gerit) manum suam misit ad fortia, & accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachiũ suum. Ac demum

Gen. 3.

Prou. 31.

Ibidem. demum de ipsa dicitur: Fortitudo & decor indumentum eius: quia videlicet tota eius vita fortitudine & constantia velut indumento quodam vestita atque armata erat, cùm ad omnia virtutum officia animi robore atque fortitudine opus sit. Actor. 14. Quo nomine Apostolus: Per multas, inquit, tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Matth. 7. Et Saluator ante huius sacræ lectionis initium; Angusta, inquit, est porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam. Hac tamen sancti omnes ingressi sunt: quorum innumera exempla hoc in loco recensere possem; sed ne longior sim, tria tantum trium Patriarcharum exempla commemorabo: qui primi omnium sollemni fœdere pactum cum Domino inire, in quorum sinu Ecclesia morientium animas collocari à Domino precatur. Eas, inquit, recipi iubeas in sinum Patriarcharum tuorum Abraham amici tui, & Iacob electi tui, & Isaac dilecti tui. Quibus autem hos tres sanctissimos Patriarchas Dominus laboribus in hac vita exercuerit, longa oratione D. Chrysost. in secundo De diuina prouidentia libro amplificat; Chrysost. quos ego paucis hoc in loco attingam.

Et quidem Abraham primùm iussus est, cùm septuaginta esset annorum, egredi ex terra sua, & cognatione sua. Gen. 12. Itaque patriam, cognatos, amicos, opes, & possessiones, & omnia denique quæ sunt in vita chara & periucunda reliquit, & in barbaras regiones priuatis inter se regnis, atque odiis dissidentes ire compulsus est. Quid igitur hoc vitæ genere molestius? Non enim sibi soli metuebat, verũ fratri, & vxori, & cunctæ familiæ. Quid verò necessaria illa in Aegyptum profectio, quanta illum molestia affecit? Fames enim valida Palæstinam occupauerat: qua de causa in Aegyptum proficisci coactus est. Quò cùm peruenisset veluti malorum finem inuenturus, alia illum rursus fame tristior atque acerbior clades inuasit, ita vt periclitari de vita, & (quod multò maius erat) de vxoris pudicitia cogeretur. Atque Gen. 12. eò timoris deductus est, vt ad vxorem diceret: Noui quòd pulchra sis mulier; & quòd cùm te viderint Aegyptij dicturi sunt, Vxor illius est; & interficient me, & te reseruabunt. Dic ergo obsecro te, quòd soror mea sis; vt bene sit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui. His verbis vsus est, qui propter Deum, & patriam, & cognatos, & omnia quę in vita chara sunt, reliquerat; quique magnifica illa à Domino promissa acceperat. Ibidem. Faciam te in gentem magnam, & magnificabo nomen tuũ, erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, &c. Et alio in lo-

in loco: Noli timere Abram, Ego protector tuus, & merces tua magna nimis. Eius verò vxorem, qui tam ampla à Deo promissa acceperat, permisit alienæ libidini exponi. Quę res quantum animo viri sanctissimi doloris aculeũ infixerit, nullis sanè verbis explicari poterit. Nosse tamen aliqua ex parte illi poterunt, qui zelotypiæ spiritu aliquando exagitati fuêre. Nec tamẽ hoc tanto cruciatu vir sanctus fractus, ac debilitatus fuit. Alius enim diceret, Vbi sunt tam ampla illa promissa, vbi protectio, vbi benedictio benedicentibus, & maledicentibus maledictio? Nihil horum dixit, nec dẽ promissis antea Domini beneficiis dubitauit, nec de obsequio, fide & amore erga Deum aliquid remisit; quod inter maximas eius laudes meritò numerandum est. Gen. 15.

Iam verò qualis illa tentatio fuit, cùm à Domino iussus est charissimum filium (qui præter spem in extrema senectute natus fuerat) iam adultum suis manibus mactare & incendere? Namque si lapis esset, si ferrum, si adamas denique, posset ne non molliri, non flecti, non frangi ad decorum filij amantissimi aspectum? Peruenerat enim ad ipsum ætatis florem iam sapientia maturus, & animi religione perfectus. Aspiciebat patrem se ligantem, nec reluctabatur: impositus rogo non resiliebat: videbat gladium contra se vibrari, nec omnino terrebatur. Quid hoc animo religiosius, quid deuotius, quid mirabilius?

Sed iam Abrahamum relinquentes, eius filium Isaac intueamur. Hunc igitur Dei electum, hunc in cuius semine gentes omnes benedicendæ erant: hunc in cuius sacrificio summum illud sacrificium, quo salus mundi continebatur, adumbratum est, longo tempore voluit Dominus in tenebris & caligine cæca versari. Iam enim oculis captus erat, cùm ipsum Iacob filius pelliculis collo manibusq́ue impositis deludens, maiorem natu filium Esau simulauit, eiusq́ue sibi benedictionem surripuit. Deinde posteaquàm idem Iacob annos viginti in Mesopotamia egisset, viuum reperit. Quot autem annis post hunc reditum superuixerit, non satis constat. Quid igitur calamitosius quàm tantam vitæ partem sine Solis aspectu in tenebris & caligine domi clausum agere? Verè namque is illa S. Tobiæ verba vsurpare poterat; Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video? Omnibus enim penè mundi deliciis, quas oculis vsurpamus, qui oculis capti sunt, carent. Non Solem, non Lunam, non stellas, non mare, non herbescentem terram, non flumina, non fontes, non camporum amœnitates, non hortorum frondes, flores, & fructus, non postremò facies Tob. 5.

eorum, quos charissimos habent, videre possunt. Denique (vt vno verbo dicam) homini in tenebris degenti totus mundus tenebris obrutus est atque sepultus. Hoc igitur exemplo satis liquet, quàm multis incommodis Dominus amicorum suorum vitam agitari velit. Vna enim cæcitas corporis, instar multorum incommodorum atque miseriarum est.

Verùm ab hoc digressi, Iacob eius filij labores expendamus; qui & multi & varij fuerunt. Mitto cõtentiones & pugnas Laban soceri, qui decies mercedem eius mutauit, eumque fugientem hostili animo insecutus est. Ad Cananæorum terram venio: in quá primùm eius filia Dina à Sichem filio Emor vi oppressa ac deuirginitata est. Iũgitur huic calamitati cædes & vastatio Sichimorum, quæ sancti viri pectus incredibili dolore & metu sauciauit: dolore quidem propter iniustissimam tot innocentum necem: metu autem propter finitimarum gentiũ bella; quæ illum, ipsiusque familiam parricidali odio propter illud immanissimum facinus insectaturæ erant, nisi huic periculo diuina prouidentia obstitisset. Quid verò filiorum perditos mores commemorem; quos sanctus Ioseph apud Patrem sanctissimum, de pessimo crimine accusauit? Quò enim is sanctior & religiosior, eò acerbius scelera omnia, præsertim filiorum detestabatur. Nec video quid ei in vita gratum aut iucundum esse posset, cùm recoleret filios se habere impurissimos. Iam verò stuprum quod Ruben primogenitus Patris vxori intulit, quo animo illum tulisse putamus? Quid enim magis detestabile atque horrendum, quàm patris sanctissimi vxorem fœdissimo stupro commaculasse?

Sed ne his quidem sceleribus contenti, addunt ferale illud & execrandum facinus, quo in Ioseph pueri innocentissimi, patrique suo charissimi teterrimã necem coniurarunt; nõ ob aliud crimen, quàm quòd se illis superiorem futurum, non quidem iactaret, sed somniasse se puerulus diceret. Cæterùm vbi mortis consiliũ in venditionem commutassent, tulerunt tunicam eius, & in sanguine hœdi, quẽ occiderãt, tinxerũt, mittentes qui ferrent ad patrem & dicerent, Hanc inuenimus: vide vtrum tunica filij tui sit, an non. Quã cùm cognouisset pater, ait: Tunica filij mei est: fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph. Scissisque vestibus, indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore. Congregatis autem cunctis liberis eius, vt lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere; sed ait; Descendam ad filiũ meum lugens in infernum. Quæ vis autem oratio-

nis

nis huius doloris acerbitatem explicare queat? Neque enim solam lugebat mortem, sed ipsum quoque mortis genus: pluri-maque erant, quæ ipsius animum confunderent, ac penè in desperationem præcipitarent; quòd amatæ illius filius, quòd melior reliquis, quòd maximè dilectus, quòd in ipso ætatis flore, quòd ab eo missus, quòd neque in domo, neque in lecto, neque patre coràm assistente, neque dicens aliquid & audiens: & quòd non communi morte omnium, quòd viuens à ferarum immanitate discerptus fuerat; quòd ne reliquias quidem illius reperire poterat, & humo cōdere: quòd ista illi in iuuentute nō contigissent, quando melius ferre potuisset, sed in senectute vltima. Eratque miserandum omninò spectaculum videre canos verendos puluere fœdatos, senileque pectus discissa tunica nudatum, lamentaque consolationem admittētia nullam. Hæc omnia ex Chrysostomo.

Hæc autem fratres, eo à me cōsilio tam multis inducta sunt, partim vt his exemplis intelligatis cælorum regnū nequaquam iis patere, qui sola Domini, Domini, appellatione contenti sunt (quod omnibus facile atque in promptu est) sed iis qui crucem suam quotidie portant, quique ita se diuinæ voluntati subdiderunt, vt nullos propter eam labores ac certamina recusent: partim etiam vt quicumque his aut similibus cladibus conflictantur, nequaquam se à Deo derelinqui, sed exerceri magis ac probari existiment; dummodo suppliciter se Deo submittentes, quod est necessitatis, vertant in materiam virtutis. Ne verò cuiquam quod suademus difficile videatur, audiat Epictetum Philosophum, hoc est, ethnicum hominum, hoc ipsum nobis suadentem. Oculos, inquit, in Deum attolle, ac dicito, Vtere me Domine ad quæcumque velis, tecum sentio, æquanimus sum, nihil eorum detrecto, quæ tibi videantur. Quocumque velis; age. Vis me imperare, in priuata vita degere, exulare, pauperem esse, diuitē? Ego tibi pro omnibus his apud homines assentior. Hactenus ille. Quid quæso ab homine ethnico dici religiosius potuit? Quisquis igitur hoc ex animo dixerit, ille verè ac propriè cælestis patris voluntatē facit, qui se omnibus in rebus siue lętus siue tristibus, eius prouidentię atq. ordini submittit. Quātus ergo pudor est, si Christiani homines fidei mysteriis, sacramentis, & doctrinis instituti, præstare nolint, quod infidelis hominis Philosophia pręstitit, vel præstandum esse docuit? Hic est igitur fratres præcipuus bonæ arboris fructus, quo cælestis patris voluntas impletur. Epictetus.

III. Nunc

III.

Nunc consequens est, vt quis malæ arboris fructus atque finis sit inspiciamus. Hoc quidem Saluator protinus ostēdit, cùm
Matt. 7. Simil. subdit: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Quibus verbis hoc significare Dominus voluit, quòd quemadmodum hortorum cultores sterilē arborem euellunt ne terram occupet, & vmbra sua frugiferis arboribus noceat, eamque igni reseruant: ita cælestis pater improbos & sceleratos homines ante diem è medio frequenter tollit, ne vel cæteris praui operis exemplo noceant, vel ipsi diutius malè viuendo, maiorem sibi damnationis cumulum acquirant: quæ res inter beneficia Domini numeranda est. Vnde cùm Salomoni Deus sapientiam, quam petierat, & opes, quas non petierat,
3. Reg. 3. contulisset, adiecit: Si autem ambulaueris in viis meis, & custodieris præcepta mea, longos faciam dies tuos. Beneficiū autem Dei fuit sub hac lege diuturnam vitam Salomoni concessisse. Si enim posteaquàm idolorum aras extruxit, diutius vixisset, & in eodē delicto permansisset, quid illi longa vita, nisi longa peccatorum colluuies fuisset? Tolerat quidem diu improbos Dominus, & ad pœnitentiam expectat: quos (si in instituta improbitate persistant) è medio tollit. Hac ergo de causa sterilis arbor exciditur, nec solùm exciditur, sed etiam in ignem mittitur.

De hoc autem igne frequenter Dominus in Euangelio mentionem facit, quòd eius commemoratio ad perterrefacienda obduratorum hominum corda plurimum valeat. Vndè alibi
Ioan. 15. ait, Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet; & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Itemque
Matt. 13. alibi: In tempore messis, hoc est, in die iudicij messoribus Angelis precepturus est, vt zizania in fasciculos colligant ad comburendum. Quid sit autem in fasciculos colligare zizania, D.
Gregor. Gregor. declarat. Hoc enim esse ait adulteros cum adulteris, impudicos cum impudicis, superbos cum superbis, auaros cum auaris, inuidos cum inuidis, maledicos cum maledicis, periuros cum periuris, & blasphemos cum blasphemis colligari; vt quos similis culpa constrinxerat, similis etiam apud inferos pœna torqueat.

Quæri autem solet, an ille ignis verus, atque corporeus, an metaphoricus sit. Ad hoc autem vno consensu sancti patris respondent, ignem illum corporeum esse, qui tamen ab hoc nostro igne multis in rebus distat. Primùm enim noster ignis lignorum fomenta, atque materiam, qua foueatur requirit: ille

vero

verò instar elementaris ignis simili materia non eget. Præterea, hic noster ignis nutrimentis deficientibus deficit: ille verò in æternum non deficiet. Hic etiam noster ignis viua corpora quæ corripuerit extinguit, & in cinerem vertit; ille autem semper quidem cruciat, sed nunquam extinguit, vt damnatus homo semper quidem crucietur, sed nunquam moriatur. Hic etiã eodem semper modo cruciat quos incendit: ille autẽ tanquam diuinæ iustitiæ instrumentum diuersimodè pro varietate culparum animas damnatorum torquet.

Quæretis autem, quî fieri possit, vt corporeus ignis in spiritum agere valeat, cùm tam longo interuallo corpus & spiritus distent. Ad hoc idem D. Gregor. respondet, non esse mirum si diuina virtute corpus agat in spiritum. Videmus enim (inquit ille) animas, quæ spirituales substantiæ sunt, corporum claustris includi ac detineri. Si ergo corpus animam continet, quid mirum si illam ignis corporeus attingat, & contineat? Modò quidem anima intra corpus latet, quò ipsum viuificet; tunc intra ignem manebit, vt in ipso semper moriatur, nec tamen finiatur. Ad quam rem probandam appositè idem sanctus illam Domini sententiam citat: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius. Si igitur ignis dæmonibus paratus est, dæmones autem spirituales substantiæ sunt, efficitur sanè vt animæ quoque reproborum hoc eodem igne torqueantur. Et quidem ante extremi iudicij diem, animæ solùm cruciantur; post illum tamen animæ simul cum corporibus eodem igne torquebuntur. Nunc expendite quæso fratres, quale erit inter tot ignium globos, atque feruentes lebetes, corpore simul, atque anima sine fine cruciari? Quî fieri autem potest, vt qui hoc firmissima fide tenent, peccare aliquando audeant? Aristotelis sententia est, eum, qui non credat, neque timere quicquam, neque sperare. Vnde diuersa ratione colligimus, eum qui credat, & timere & sperare debere. Quid verò magis sperandum quàm cælestis gloria? quid magis timendum quàm gehennæ tormenta? Mira ergo diaboli arte fit, vt cùm veram fidem improbi etiam homines habeant, non tamen tantoperè exhorrenda timeant, neque tantoperè desideranda expectent. Si nunquam ignem homo aut vidisset, aut vim eius expertus esset; non esset mirum, huius ignis timore non angi. Sed cùm quotidie eius vim & acrimoniam experiamur, quomodo id admittere audemus, quod æterno igne plectendum est?

Gregor.

Gregor.
Matt. 25.

Arist.

Fateor vobis fratres, multas esse apud inferos pœnas, quæ me

valde terreant. Sunt enim tenebræ exteriores; sunt mallei percutientes stultorum corpora; est horrenda dæmonum facies; est vermis immortalis; est mors quæ semper viuit, & nũquam moritur; est fœtor horribilis, & frigus intolerabile; est fletus, & stridor dentium; est denique ipsa priuatio summi boni, quæ pœnarum omnium grauissima est. Confiteor tamen imbecillitatem & ignorantiam meam; nihil esse quod tantoperè animum meum perterrefaciat, quàm hic ignis cruciatus. Est enim hic ignis hoc nostro igne ad cruciandum multo acrior.

Experiamur ergo fratres aliquanti per obsecro pœnam hãc, quæ nobis si impiè agamus, proposita est. Si enim vel extremo tantùm digito ignem contingere intolerabile videtur; quale quæso erit, toto corpore & anima in illo flammarũ pelago cum æternis ignibus colluctari? Quis hęc cõsiderans nõ expauescat? Quis non dies noctesque hãc pœnam reformidet, vt eam euadat? Quis non extremam eorum cæcitatem non miretur, qui hæc vera esse credunt, nec timent? Si vel leuissimas etiam dolorum molestias in hoc seculo ferre non possumus, quomodo immania illa tormenta perferemus? Si huius vitæ calamitates quæ velut vmbræ quędam futurorũ malorum sunt, vix tolerare possumus, quomodo poterimus habitare cum ardoribus sempiternis? Si adeò delicati sumus, vt in lecto iacẽtes, neque vnius pulicis morsum, nec culicis strepitum ferre possimus, quomodo illarum serpentium morsus, & flammarum cruciatus perpetuò sustinebimus? Quis igitur tam ferreus est, vt hæc audiens non expauescat? quis tam amens, vt non ea omni ratione vitare studeat? Si hæc ipsa nihil apud vos efficiunt, quid agam? quò me vertam? quid vltrà dicam? Vtinam liceret mihi per vias publicas ingredientem, pedibus me cunctorum hominum prosternere, supplicique ab omnibus voce deposcere, vt sibi quisque consulat, sibi dum tempus est prouideat, suique ipsius misereatur! Si vos non religio, non timor Domini, non Christi crux, non claui, non alapæ, non flagella, cæteraque eius tormenta & beneficia tangunt, tangat saltem vel amor vestri, malorumque vobis impendentium metus ne hanc temporis opportunitatem, quæ vobis diuino beneficio contingit, vacuam abire sinatis: sed eam in pietatis & iustitiæ operibus expendentes, diuinisq; legibus & præceptis obtemperantes, & ab his cruciatibus liberari, & ad cælestem gloriam ipso donante, peruenire valeatis.

DO

DOMINICA OCTAVA POST PENTECOSTEN CONCIO PRIMA: IN qua post Euangelicæ lectionis explanationem, sententia verbis thematis comprehensa fusius explicatur.

THE. *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis: vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Lucæ 26.



VM vnigenitus Dei filius ad hoc à cælesti Patre in hunc mundum missus fuerit, vt ea quæ in cælo & in terra sunt instauraret, & salutem humanam constitueret (hac enim de causa Saluatoris mundi nomen sortitus est) varias hominibus expediendæ salutis vias in Euangelio proposuit. Aliis enim innocentiæ, aliis pœnitentiæ, aliis crucis & patientiæ, aliis paupertatis Euãgelicæ viam proposuit: per quas homines gradientes, aditum sibi ad sempiternam gloriam patefacerent. Quia verò non omnibus per has vias ingredi perfectè datum est: aliam multò faciliorem in hodierna S. Euangelij lectione proponit; quæ misericordiæ & beneficentiæ officiis continetur: quæ facit, vt misericordiam apud Dominum in iudicio inueniat, qui misericordiæ officiis erga conseruos vsus est. Vt autem virtutis huius fructum & salutarem vim commẽdaret, hanc nobis parabolam in Euangelica lectione proponit, quæ sic habet: *Homo quidã erat diues, qui habebat villicum: & hic diffamatus est apud illũ, quasi dissipasset bona illius.* Et quæ sequuntur vsque in finem.

AVE MARIA.

Hæc parabola, fratres, quàm simplicibus verbis Dominus proposuit, multis quidem mysteriis referta est: ideoq. diligentius à nobis tractanda, & à vobis attentius audienda est. Ait igitur Dominus: *Homo quidam erat diues*. Hic homo Christus Dominus est; qui non hominis solùm, sed etiam Dei filius paternæ hæreditatis & glorię hęres est: qui licèt in arctissima paupertate in hoc mundo vitam egerit, natus in stabulo, nudusque affixus patibulo, & alieno conditus tumulo fuerit, quatenus

tamen Dei filius est, vniuersorum est hæres atque Dominus. Iob. Eius enim est illa vox in libro Iob, Omnia quæ sub cælo sunt, mea sunt. Hic igitur est homo diues; qui etiam est diues in misericordia, & diues in omnes qui inuocant illum. Hic autem homo villicum habet: villicus autem, id est, rerum Domini sui dispensator, vnusquisque nostrûm est: cuius obsequio Dominus omnia huius mundi bona destinauit. Omnia enim subiecit pedibus eius; oues & boues vniuersas; insuper & pecora campi, &c. Hæc enim omnia Dei dona sunt humanæ vitæ vtilitati seruientia; vt iis videlicet homo & vitam suam tueri, & naturæ suæ consórtes iuuare posset. Hac enim lege omnia hæc illi bona tradita sunt, vt ea fideliter distribuens, fidelis dispensatoris officio fungeretur. Quia verò qui his mundi opibus abúdant, non semper eis ad aliorum vtilitatem, sed ad luxum, & libidinem, & fastum, corporisque delitias vtuntur, ideò apud Dominum infamantur, quòd eius bona non dispensent, sed dissipent.

Quocirca villicum suum ad se Dominus aduocans ait, *Quid hoc audeo de te?* Quo verbo Dominus in cælo residens, se omnia quæ in terris geruntur, intelligere ostendit. De eo namque scriptum est; Auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abscondetur. Nec solùm audit, sed etiam videt; sicut ipse ait, Et faciebatis malum in oculis meis. Omnia enim nuda & aperta sunt oculis eius: quamuis improbi homines vsque adeò se in omnia scelera effundant, vt non quidem verbis, sed re ipsa testari videantur quod est in Psalmo; Et dixerunt, Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. Vnde Ecclesiasticus impudicum & adulterum hominem sic secum ratiocinantem inducit: Quis me videt? Tenebræ circundant me, & parietes cooperiunt me, quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur altissimus. Et non intellexit, quoniam oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes. Quam Ecclesiastici sententiam prophana etiam Philosophia confirmat. Interrogatus enim Thales vnus ex septem Græciæ sapientibus, an lateret Deum homo malefaciens, respondit; Ne cogitans quidem. Animaduertat ergo impudicus homo se in oculis Dei omnia cernentis peccare; pudeatque illum Dei oculos non vereri, qui vilissimorum etiam hominum dum delinquit, oculos vereretur. Neque verò quoniam in cælo residet, à longè illum prospi-

cere existimet: propior enim est illi, quàm homo ipse sibi: à quo in barathrum præcipitari tunc posset; qui tamen ob immensas benignitatis suæ diuitias peccantem ad pœnitentiam expectat.

Quid hoc, inquit, audio de te? Quamuis scelera nostra omnia Deo aperta & conspicua sint, & Angelorum quoque, qui vnicuique nostrum adsunt, relatione res nostras intelligat; nihil tamen hoc in loco decernere voluit, nisi prius reum ipsum conueniret, & illius confessionem audiret: iudices seculi exemplo suo admonens, ne cuiusquam delatione sententiam aduersus inauditam partem proferant. Sæpe enim dilatores longè aliter, quàm sese res habeat, eam proferunt; cùm præsertim præcipitatio, iudicij nouerca esse dicatur. Sic enim Dauid Rex, alioqui sanctissimus, & prudentissimus lapsus fuit, cùm delatori Sibæ aduersus Miphiboseth nimium credulas aures præbuit, iniquamque sententiam protulit; quam minimè protulisset, si ascito ad se Miphiboseth dixisset, *Quid hoc audio de te?* Nec iudices modò, sed nos etiam admonet, ne facilè assensum detrahentibus præbeamus, cùm non rarò magis ex libidine, quàm ex vero aliorum errata commemorent: qui eo ipso quod detrahunt, seipsos produnt; maledicosque se esse re ipsa confitentur: atque ita seipsos fide indignos faciunt.

Quid hoc audio de te? Mira planè hominis huius diuitis lenitas & patientia! Alius rerum suarum iactura exacerbatus diceret; Furcifer, latro, prædo, bonorum meorum dissipator, fideique datæ proditor, cur bona mea dissipasti? cur dilapidasti? cur quæ mea, filiorumque meorum erant, in vsus atque libidines tuas expendisti? in crucem & carcerem te agam, donec nouissimum mihi quadrantem reddas. Nihil horum dicit: sed blandè, leniterque ait, *Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ.* Hac igitur diuitis hominis proposita mansuetudine Dominus clementiæ, atque lenitatis suæ magnitudinem voluit ostendere; qui se adeò clementer cum peccatoribus gerit, vt illos ad pœnitentiam non solùm expectet, sed etiam vocet & adiuuet. Diximus aliàs, duas esse in peccato facies; quarum altera ad indignationem ex rei indignitate; altera ad compassionem ex infinita eius miseria prouocat. Dominus autem aliquando illam, quandoque istam faciem contemplans, stupenda iudicia & opera exequitur. Initio quippè mũdi eam faciem intuens, quæ indignationem excitat, tanta aduersus illam ira commotus est, vt vniuersum terrarum orbem,

quem paulo anteà condiderat, & omnia quę in eo erant, immissa aquarum inundatione sepelierit atque deleuerit. At in fine mundi eam faciem intuitus, quæ miserationem commouet, sic erga illam affectus fuit, sic misericordiæ eius viscera commota sunt, vt profuso sanguine suo mundum à sempiterna morte redemerit. Illa igitur prior facies inspecta mundum perdidit; hæc verò perditum seruauit. Quo exemplo nos quoque fratres in proximorum erratis ab indignationis facie oculos auertentes, illam intueamur, quæ miserationem magis & compassionem commouet. Illud enim ad superni iudicis æquitatem, hoc ad miseriæ nostræ infirmitatem magis spectat. Non igitur partes iudicis inuadamus; sed nostras nobis assumamus; ne in illud periculum incidamus, in quod quidam ex sanctis illis Anachoritis incurrit, de quo S. Dorotheus refert, quòd cùm ei quidam nuntiasset vnum ex monachis in lapsum carnis incidisse, exclamauerit, O quàm malè egit! An nescitis fratres, quàm horrenda res de ipso narratur in libro Seniorum? Nam Angelus sanctus animam illius, qui peccarat, cùm iam ex hac vita migrasset, ad senem hunc detulit, & ait illi: Ecce quem iudicasti vita functus est. Quò igitur animam eius iubes deferri, ad cælorum regnum, an ad pœnas æternas? Quod perinde est ac si diceret: Quoniam tu iam iudex ac censor es iustorum simul & peccatorum, dic obsecro mihi, quid fieri iubes, de hac misera anima quid fieri statuis? Censes ne misericordia, an pœna & cruciatu dignam? Qua quidem horrēda visione adeò perculsus est senior ille sanctissimus, vt reliquū vitæ suæ tempus in gemitibus, in lachrymis, & laboribus egerit, Deum assiduis precibus fatigans, vt veniam sibi erroris huius concederet. Hactenus Dorotheus. Hoc igitur exemplo intelligere licet fratres, quàm graue sit quod nos tam facilè admittimus, cùm aduersus aliena errata grauiter indignamur. Sed redeamus ad villicum.

Dorotheus.

Quid hoc, inquit, *audio de te? Redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris vltrà villicare.* His Domini verbis adeò villici pectus sauciatum fuit, vt intra se diceret; *Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem?* Hoc est, quò ibo? quò me vertam? quid consilij capiam? Duo enim mihi ingentia mala proposita sunt: vnum, vt rationem reddam eorum bonorum quæ dissipaui (in quo periculum est, ne in carcerem coniiciar & venditioni cum filiis exponar, vt quæ dissipaui, soluam) alterum (quod mihi molestius & acerbius est) villicationis officium

cium mihi esse adimendum. Quid igitur hoc tempore faciam? quomodo mihi, liberisque meis prospiciam? qua ratione vitam inopem sustentabo, qui anteà Domini mei opibus circumfluebam? Pessimum enim infelicitatis genus est fuisse felicem. *Quid igitur faciam? fodere non valeo, mendicare erubesco.* Vtraq. ineres & rationis reddendæ periculum, & futuræ inopiæ malum vehementer angit.

Hoc igitur exemplo, fratres, duo ingentia pericula, quæ vnicuique nostrûm imminent, voluit nobis magister cælestis ob oculos ponere: vnum est rationis vitæ nostræ reddendæ, alterum sublata per mortem satisfaciendi atque negotiandi opportunitas. Ea est enim ad spirituales res intelligendas ingenij nostri tarditas, vt eas non nisi terrenarum rerum imaginibus intelligere valeamus; quæ tamen longissimo interuallo infra illarum dignitatem consistunt. Illud enim persuasum vobis esse debet fratres, quòd quemadmodum bona quibus in hoc mundo vtimur, vmbram tantùm referunt cælestium bonorum: ita mala quibus in hoc mundo vexamur, vix tenuem quandam imaginem referunt eorum malorum, quibus in altera vita improbi cruciantur. Quæ enim temporariæ mortis ad sempiternam mortem comparatio? Vtimur tamen his exemplis, quòd alia non habeamus. Si igitur villicus hic vsque adeò angebatur, quòd apud dominum furti reus ageretur, pœnamque siue carceris siue capitis meritis suis debitam formidaret, quantò magis quisque nostrum trepidare debet, cùm recolit se æquissimo illi iudici totius anteactæ vitæ, perceptorumque bonorum rationem redditurum: in quo nõ carceris aut capitis, sed æterna pœna transgressoribus proposita est? Quantùm enim inter tempus & æternitatem, tam latum inter vtramque pœnam discrimen est. Hac autem de causa viri etiam sanctissimi superni iudicis faciem præuenientes, seipsos (vt Apostolus monet) iudicabant, vt ante eius tribunal iudicati, non iudicandi apparerent, de se ipsis supplicium spontè sumentes, ne ad æterna supplicia damnarentur. Mirum est, quod vobis modò referam. Beatus P. N. Vincentius, quem post Apostolos mira concionandi gratia emicuisse dicunt, inter tot itinera atque labores, quos quotidianis concionibus habendis patiebatur, adeò se verè de se ipso supplicium sumebat, vt singulis noctibus corpus suum acerbissimè verberaret. Sed hoc minus mirum. Illud verò maximè mirabile, quòd cùm is in lecto ægrotaret, neque se ipse cædere posset, socium

 in Chri-

in Christi nomine adiurabat, vt ipsum non leniter & blandè, sed atrociter flagellaret. Qualis ergo animus, quis metus, quæ trepidatio huius viri sanctissimi erat, qui post tot in illa sua legatione exhaustos labores, totque edita miracula, tantumque animarum fructum, sic se ad rationem reddendam præparabat? Quid hîc dicet improbus homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem: qui toties iram iudicis irritauit, toties leges eius perfregit, nec tamen vnius diei inediam ad redimenda tot crimina passus est? Quis hîc dæmonis præstigias, atque dolos hominum decipientis, atque excæcantis non agnoscat?

Quid verò illud, si ad vitæ nostræ iudicium referatur; *Non poteris vltrà villicare?* Hoc est, vbi primùm animam efflaueris, nulla tibi satisfaciẽdi, aut placandi iudicis opportunitas suppetet. Quamdiu enim in hac vita sumus, locus misericordię, locus veniæ, locus pœnitentiæ precibus, ieiuniis, eleemosynis, cęterisque remediis est. Vbi autem ab hac vita excesserimus, hæc omnia subsidia (nisi cùm viuentium suffragiis adiuuamur, nobis interclusa sunt: ideoque nisi nobis in hac vita prospexerimus, in altera nulla spes reliqua nobis est. Quæ res facit, vt viri etiam innocentissimi hoc mortis iudicium vehementer reformident. Venerabilis Beda in Anglorum historia duos nobiles adolescentes in quadam insula fuisse ait; qui purissimum Deo famulatum exhibebant. Cumque vterque graui morbo decumberet, alter nomine Egbertus finem sibi vitæ imminere, rationisque reddendæ tempus instare credens, tanto metu correptus fuit, vt è lecto surgens, seque in oratione prosternens, pœnitendi spatium à Domino amarissimis lachrymis postularet. Et præter sollennem canonici temporis psalmodiam (si non valetudo corporis obsisteret) quotidie Psalterium totum in memoriam diuinæ laudis decantaturũ vouit. Et in omni septimana diem cum nocte ieiunum permansurum. Cumque finitis lachrymis & precibus domum rediret, inuenit sodalem dormientem: & ipse quoque lectulum conscendens, cœpit inquietem membra laxare: & cùm paululum quiesceret, expergefactus sodalis ait: O frater Egberte, ò quid fecisti? sperabam nos pariter in vitam æternam intraturos. Verumtamen scito, quia quæ postulasti accipies. Didicerat enim per visionem quid ille petisset, & quid impetrasset. Quid multa? Hic proxima nocte defunctus est. At verò Egbertus decussa molestia ægritudinis conualuit: ac multò pòst tempore viuens, acceptumque sacerdotij gradum condignis ornans actibus, post multa

Beda.

multa virtutũ opera nuper, id eſt, anno Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo vigeſimonono, cùm eſſet annorum nonaginta migrauit ad Dominũ. Hoc exemplum, fratres, ſatis erat, vt humanis mentibus etiam ſi ferreæ eſſent, rationis huius reddendæ metũ incuteret. Quid verò illud? quantò formidabilius? quòd innocentiſſimus Iob huius rationis metu perculſus, idem pœnitendi ſpatium petebat, Dimitte (inquit) me, vt plangam paulułum dolorẽ meum, antequàm vadã ad terrã tenebroſam & opertã mortis caligine. Hoc petebat, qui Domini teſtimonio neminem in terra ſimilem habebat. Hoc petebat, qui de ſe dicere potuit; Pater eram pauperũ, oculus fui cæco, & pes claudo. Hoc petebat, qui verè dicere potuit; Nec reprehendit me cor meum in omni vita mea. Poſtremò hoc petebat, qui tot calamitatibus vno impetu in ipſum eodẽ tẽporis momento irruentibus, quę vel lapidea corda mollire poſſent, ſic ſe geſſit, vt de eo ſcriptum ſit, In omnibus his non peccauit Iob labiis ſuis, neque ſtultum quid contra Deum locutus eſt. Qualis verò illa eiuſdẽ calamitas, Nocte os meũ perforatur doloribus; & qui me comedunt, non dormiunt: à multitudine eorũ conſumitur veſtimentum meum. Hic igitur tantus vir vſq. adeò iudicij huius trepidatione angebatur, vt poſt tãta virtutum & patiẽtię merita, paululum ſpatij ad pœnitendum à Domino flagitaret. Quid igitur hunc tantum in illo metum excitabat? Certè pœnarũ ęternitas; quæ illi ante oculos obuerſabatur. Cuius cõſideratio tantoperè virorum etiã ſanctiſſimorum animos perterrefaciebat, vt nullos labores, nulla certamina recuſarent, modò ab illa pœnarũ æternitate liberati, ęternæ felicitatis compotes fierẽt. Heu me miſerum & infelicẽ! Si tales viri, qui à Spiritu ſancto certiſſimo veritatis magiſtro erudiebantur, & agebantur, ſic trepidabant, ſic angebantur; quid nos miſeri facimus, qui toties peccata peccatis & ſcelera ſceleribus cumulamus? Vnde tantus hic ſtupor, tanta cæcitas? An hæc fortè cæcitas noua peccati pœna eſt? Sic enim quidam ex patribus ait, Puto quòd iam magna ſit pœna peccati, metum ac memoriã futuri perdidiſſe iudicij. Quæ enim ſaxa, quæ cautes, his tantis exemplorum fulminibus nõ frangantur? Hic ego Dei atque hominum fidem imploro; hîc cælum, terras, maria in teſtes aduerſus dementiam & cæcitatem noſtrã aduoco. Si hoc idem iudicium protinus à morte nobis imminet, ſi hęc eadem pœnarũ, vel gaudiorũ ęternitas nobis propoſita eſt, ſi hic vnus dies de tota ęternitate ſententiam feret, ſi quod in ea decretũ ſemel fuerit, fixũ immotũq. perpetuò manebit, ſi vlte-

Iob.

vlterius villicandi facultas sublata est, si innocētissimos viros tot suscipere labores videmus, vt se ad hāc rationē reddendā præpararent, nos qui venundati sumus sub peccato, qui sordidæ carnis mācipia fuimus, qui non Deo, sed sæculo tota vita seruiuimus, qui non Dei sed hominū oculis placere curauimus, qui opes ab illo nobis cōcessas in luxu atq. libidine consumpsimus, qui vix obolū Christo pauperi porreximus, quomodo tā securè agimus? quomodo in vtranq. aurē somnum capiamus? quomodo nulla cura, nulloq. metu huius æternitatis angimur? Quis nos ita fascinauit, quis sic excæcauit, sic è mente deduxit, vt hanc tantā rē neq. vnquā cogitemus, neq. sentiamus, neq. nos ad illā opportunè præparemus? Vbi quæso mēs? vbi iudiciū? vbi consiliū? vbi ratio? vbi malorū sensus? cuius est impendētia mala horrere atq. precauere; presertim cùm de harū rerū (quas diximus) fide & veritate nō dubitemus? Qui tamen sic vitam instituimus, quasi ea omnia, quæ credimus, mera somnia & puerorū territamēta putaremus.

II.

Animaduerto, fratres, iam dudū vos à me requirere quid facto opus sit, vt hoc tantū discrimen euadere possitis. Ad hoc nobis cælestis magister huius villici exēplo salutare remediū prouidet cùm ait: *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis: vt cùm defeceritis, recipiāt vos in æterna tabernacula.* Diuitias quidē Syriaca lingua Māmona appellari Diuus Hieronymus ait. Cur autem iniquitatis nomen illis Dn̄s affingat, illud in causa est, quòd frequenter malis artibus parentur, & ad malū, hoc est, ad fastum, luxū, delitias, atq. superbiā multos mortalium alliciant. Quemadmodū ergo Apostolus concupiscentiā carnis, siue fomitē, qui intra nos latet, peccatum appellat quòd à peccato primi parentis originē ducat, & ad peccatū incitet: ita diuitias Dominus iniquas appellat, quòd frequenter iniustitia & iniquitate parentur, & ad iniquitatē (vt modò diximus) inuitent: non quòd in diuitiis iniquitas vlla sit, sed in earū abusu. Cùm enim (vt Sapiens ait) pecuniæ obediant omnia, qui pecuniosus est, si diuino timore destitutus fuerit, ad quæuis facinora parata habet instrumenta. Qua de causa Dominus formidandam illam sententiam protulit; Quàm difficile qui diuitias habent, intrabunt in regnum cælorum!

Sed quorsum Dn̄s hoc in loco, in quo de diuitiis in pauperes erogandis agebatur, de earum iniquitate mentionē facit? Magno certè consilio. Hac enim ratione immensa eius bonitas & propensa in genus humanum charitas, apertissimè declaratur.

Quam

Quam rē paucis explicare tentabo. Principiò cõstat opes, bona omnia quæ habemus, Dei esse, non nostra, Apostolo testãte, qui ait, Quid habes, quod non accepisti? Et regius Vates, Tua sunt, inquit, Dñe omnia; & quæ de manu tua accepimus dedimus tibi. Quanta ergò ea bonitas, quę illa ipsa quæ in Domini sui vtilitatē cedere debebant, nostræ vtilitati nostrisq; cõmodis seruire voluit? Hoc enim significare voluit cùm villicũ in hac parabola inducit ipsis Domini sui bonis sibi consulentem, dum ea debitoribus largiens, amicos qui indigēti sibi succurrerēt, comparauit. Perinde enim hoc est, ac si princeps aliquis alicui famulo magni pretij annulũ, aut torquē aureã seruandã traderet: pro qua postmodũ idem princeps magnũ illi pondus auri & argenti daret. Ad hunc ergo modũ supernus ille princeps hæc temporaria bona nobis tradidit, pro quibus tamen posteà regnũ cælorũ ea bene dispensantibus tribuit. Deinde in eo ipsius bonitas elucet, quod re omniũ vilissima, qualis pecunia est, rē omniũ maximã, nempè cæleste regnũ, quod sancti martyres fuso sanguine, atq. membrorũ omnium dilaceratione mercati sunt, nobis clementissimè tribuit. Quid enim clementius, quàm ea re immensas illas & sempiternas cælestis gloriæ opes, quarũ dignitas & magnitudo neq. oculis cerni, nec vllo sensu comprehendi potest, nobis ob exiguum metallũ donare, quo domestica vtensilia, & huiusmodi quisquilias emere solemus? Simil.

Vt autem huius pretij maiorem adhuc vilitatem designaret, Mammona, siue diuitias iniquitatis illas appellauit. Quamuis enim vilissima res ex natura sua pecunia sit, vilior tamen adhuc apparet, si eius abusus & mala quibus ea occasionem præbet inspiciamus. Constat enim nihil esse in mũdo peccato vilius, abiectius, magisq. detestãdum. Proximè verò ad hanc summam vilitatem pecunia accedit: quæ licet peccatum non sit, materiam tamē & occasionem plurimis peccatis præbet. Quò ergo magis diuina bonitas & charitas inclinari potuit, quàm vt sempiternũ illud beatitudinis regnũ hominibus pro re adeò vili & contemnenda impartiret? Quid enim minus ab homine propter hoc tantum bonum exigi potuit? Quanto ergo felicitatis & gloriæ nostræ desiderio flagrat, qui eam tam vili pretio distrahit? Hac ergo de causa Dominus de diuitiarum iniquitate mentionē fecit, vt hanc tantam cælestis patris dignationē hominibus declararet. Deinde etiam ideò de diuitiarũ iniquitate mentionem fecit, vt nobis ostenderet, qua ratione ea, quæ ferè iniustitiæ & vanitati seruire solent, in pietatis & iustitiæ fructum verteremus,

mus, dum eas in misericordiæ & benignitatis officiis expendimus. Cumque homines diuitiis quæstum & lucra augere studeant, ostendit hac parabola qua ratione vera lucra non temporaria, sed æterna per eas lucrari valeamus. Postremò cùm diuites ferè velint à pauperibus multum rogari, & velut benefactores ab eis haberi, Dominus contrà significari pauperes potius diuitibus quærendos & ambiendos, ac necessitatis beneficia obtrudenda, vt eos apud Deum habeant patronos & intercessores. Vnde Diuus Gregorius, Multum (inquit) ad edomandam dantis superbiam valet, si cùm terrena tribuit, verba sollicitè cælestis magistri penset; qui ait, *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Si enim eorum amicitiis æterna tabernacula acquirimus, dantes proculdubio pensare debemus, quia patronis potius munera offerimus, quàm egenis dona largiamur. Qui itaq. nunc temporale subsidium pauperi tribuit, ab eo postmodum perpetua recepturus, vt ita dicam, quasi ad frugem terrã excolit, quæ quod accepit, vberiùs reddit. Hactenus Gregorius. Quocirca non immeritò D. Chrysologus virtutis huius fructum, atq. rationem declarãs ait, Manus pauperis Abrahæ sinus est; vbi quicquid pauper acceperit, mox reponit. Thesaurus cæli est manus pauperis; quod suscipit, ne in terra pereat, reponit in cælo. Thesaurizate vobis (inquit) thesauros in cælo. Manus pauperis est gazophylacium Christi: quia quicquid pauper accipit, Christus acceptat. Da ergo homo pauperi terram, vt accipias cælum: da nummum, vt accipias regnum: da micam, vt accipias totum: da pauperi, vt des tibi: quia quicquid pauperi dederis, tu habebis; quod pauperi non dederis, habebit alter. Clamat Deus, Misericordiam volo. Homo, petit Deus, sed tibi non sibi. Misericordiã volo. Humanam misericordiam petit, vt largiatur diuinam. Est in cælis misericordia, ad quam per terrenas misericordias peruenitur. Domine (inquit) in cælo misericordia tua. Dicturus causam in iudicio Dei, patronum tibi misericordiam, per quã liberari possis, assume. Qui de patrocinio misericordiæ certus est, de venia sit securus, de absolutione non dubitet. Beati (inquit) misericordes: quia ipsi misericordiam consequentur. Gratis misericordiam sperat sibi, qui hîc nõ fecerit misericordiam. Qui facit misericordiam, currit ad præmium: qui non facit misericordiam, decurrit ad pœnam. Hactenus Chrysologus. Cuius verba ferreas etiam mentes ad benignitatis & misericordiæ officia emollire certè deberent.

Gregor. lib. 21. Moral.

Simil.

Chrys. ser. de Ieiu, & Eleemos.

Sed quoniam Dominus nos ab amicis, quos nobis eleëmosynæ beneficiis comparauimus, in æterna tabernacula perducendos esse ait, quærendum est quinam isti sint, qui nos ad hæc tabernacula ducant. Hos Diuus Ambrosius sanctos Angelos esse ait; qui animarum nostrarum in cælum portitores esse perhibẽtur. Cuius rei insigne exemplum paralytici cuiusdã seruuli nomine D. Gregor. narrat his verbis. Hic ex quo illum scire potuimus, vsque ad finem vitæ paralyticus iacebat. Quid dicam? quia stare non poterat; qui nunquam in lecto surgere vel ad sedendum valebat: nunquam manum ad os ducere, nunquam se potuit in latus aliud declinare. Huic ad seruiendum mater cũ fratre aderant: & quicquid ex eleëmosyna potuisset accipere, hoc eorum manibus pauperibus erogabat. Studebat autem semper in dolore gratias agere; hymnis ac laudibus diebus ac noctibus vacare. Sed cùm iam tempus esset, vt tanta eius patientia remunerari debuisset, membrorum dolor ad vitalia rediit. Cumq. iã se morti proximum agnouisset, peregrinos viros atq. in hospitalitatem susceptos admonuit vt surgerent, & cum eo Psalmos pro expectatione sui exitus decantarent. Cumq. & ipse cum eis moriens psalleret: voces psallentium repentè compescuit cum terrore magni clamoris dicens; Tacete, nunquid non auditis quantæ resonent laudes in cælo? & dum easdem laudes quas intus audierat aure cordis intẽderet, sancta illa anima carne exiẽs soluta est. Qua quidem exeunte tanta illic fragrantia odoris aspersa est, vt omnes qui illic aderant inæstimabili suauitate replerentur. Cui rei monachus noster interfuit, qui nunc vsq. viuit; & cũ magno fletu attestari solet: quia quousque corpus eius sepulturæ traderent, ab eorum naribus odoris illius fragrantia non recessit. Hactenus Gregor. Aliud quoque memorabile virtutis huius exemplum commemorabo; quod sanctus ille Ioannes (qui ob singularem benignitatis laudem, eleëmosynarij nomen obtinuit) referre solebat, vt homines ad huius virtutis studium excitaret. Aiebat enim, fuisse Petrum quendã cognomento Telonearium, qui cùm magna opum copia redundaret, nihil egentibus tribuebat. Itaq. dubitatum de eo est, ditior ne, an auarior esset. Hinc inter mendicos ortum est certamen; vnus profitebatur se ab eo eleëmosynam eliciturum, cæteri id omnino fieri posse negabant. Qui se facturum promiserat, accessit cũ multo precum ambitu; & dum hominem auertentem sese vrgere cœpisset, in iram concitauit ita, vt furore ardens, repentè arreptum panem (panes autem casu ancilla è fornace domũ co-

Ambrosius.

Greg. dialog. lib. 4. c. 14.

ctos referebat) in faciẽ precantis intorqueret; qui cùm declinasset ictum, sublato pane discedens, se tandem voti sui compotem factum sociis nunciauit. Petrus verò posteà aduersa valetudine agitatus, cùm postremò horis aliquot exanimis iacuisset & reuixisset, narrauit sibi interim visum fuisse, se ante tribunal Dei in cælo siti, ab aliis accusari, ab aliis defendi: in altera libræ lance peccata quæ commiserat appendi, in altera vnicum panem, quem ipse quondam proiecerat iratus. Et cùm exæquatu vtrinque pondus staret, iussus est ad vitam reuerti, ac pani superaddere aliquid quod præponderet (si multiplicis reatus supplicia cuperet euadere.) Itaq. cùm conualuisset, quæ cupidè cõflauerat, liberaliter cœpit effundere; neminẽ indigentiũ opis suæ expertem fieri passus. Quodã igitur die cùm conspexisset hominẽ attrita veste laceraq. amictũ, ad se euocatum, ea qua ipse induebatur donauit. Quam pauper (quia honestior erat quàm vt personæ suæ cõueniret) in foro detatã vendidit. Quamobrẽ Petrus se indignũ ratus, cuius vestibus pauper tegeretur, animo vehementer angi cœpit. Et dum doleret, nocte insecuta, vestimento illo indutũ Christũ vidit, hoc somnio facilè persuasum habens, Christo dari quicquid datur inopi. Quare dilargiẽdo omnia, nihil sibi reliqui fecit. Nec sic quidẽ satiatus, Hierosolymã profectus, venũ seipsum dedit; vt haberet quo adhuc aliorũ subueniret inopiæ: seruusq. factus est hominis, vt seruitutis pretiũ offerret Deo. O verè mutatio dexteræ excelsi; in vno homine summæ cupiditati summa successit munificentia! Quod si tantum panis cum iniuria datus efficere potuit, quid non efficiet benignè & cum charitate porrectus?

His exemplis, fratres, quantum benignitatis officia ad salutẽ conferant, intelligere licet. Nemo tamen sibi persuadeat, sola eleẽmosynarum largitate salutem sibi parare posse, si aliàs vitam ab omni lethalis criminis labe, præcipueq. ab omni carnis lasciuia immunẽ conseruare non studeat. Quid enim proderit larga manu eleẽmosynas facere, si adulter, scortator, constuprator, aut impudicus sis? In quanto autẽ salutis discrimine versentur qui se his vitiis inquinant, etiã si eleẽmosynas largiãtur, memorabili quodam exemplo quod D. Gregor. refert, indicandum curabo: quod tamen referre non auderem, nisi me sanctissimi huius Pontificis auctoritas commoueret. Eius hæc verba sunt: Ante triennium in hac pestilentia, quæ hanc vrbem clade vehementissima depopulata est (in qua etiam corporeo visu sagittæ cælitus venire, & singulos quosque ferire videbantur)

Greg. dialog. lib. 4 c. 36.

miles

miles quidam in hac eadem vrbe nostra percussus ad extrema
peruenit. Qui eductus è corpore exanimis iacuit; sed citius re-
diit, & quę cū eo fuerant gesta, narrauit. Aiebat enim (sicut tunc
res eadem etiam multis innotuit) quia pons erat, sub quo niger
fluuius atque caliginosus, fœtoris intolerabilis nebulam exha-
lans decurrebat. Transacto autem ponte amœna erant prata at-
que virentia, odoriferis herbarum floribus exornata: in quibus
dealbatorum hominum conuenticula visebantur. Tantusque
in eodem loco odor suauitatis inerat, vt ipsa suauitatis fragran-
tia illic deambulantes habitantesque satiaret. Ibi mansiones e-
rant diuersorum, multa luce completæ. Hæc verò erat in præ-
dicto ponte probatio, vt quisquis per eum vellet iniustus tran-
sire, in tenebrosum fœtentemque fluuium laberetur. Iusti ve-
rò quibus culpa non obsisteret, securo per eum gressu ac libero
ad loca amœna peruenirent. Post varias autem piorum & im-
proborum hominum sortes quas in altero seculo miles ille se
vidisse commemorabat, Stephanum quendam nobis notum se
cognouisse dicebat; qui dum transiret, eius pes lapsus est; & ex
medio corpore iam extra pontem deiectus, à quibusdam teter-
rimis viris ex flumine surgentibus per coxam deorsum, atque à
quibusdā abbatibus & speciosissimis viris cœpit per brachia sur-
sum trahi. Cumq; hoc luctamen esset, vt hunc boni spiritus sur-
sum, mali deorsum traherent, ipse qui hæc videbat ad corpus re-
uersus est, & quid de eo plenius gestum sit, minimè cognouit.
Qua in re de eiusdem Stephani vita datur intelligi, quia in eo
mala carnis cum eleëmosynarum operatione certabant. Qui e-
nim per coxas deorsum, per brachia trahebatur sursum, patet
nimirum, quia & eleëmosynas amauerat, & carnis vitiis perfe-
ctè non resistebat, quæ eum deorsum trahebant. Sed in illo oc-
culto examine quid in eo vicerit, & nos, & eū qui vidit & reuo-
catus est latet. Hactenus Gregorij verba: quę satis nobis esse de-
bent fratres, vt non solùm eleëmosynarum largitate, sed vitæ e-
tiam castimonia & puritate hoc tam ingens periculū, dubiamq;
sortem effugere studeamus: in qua non de temporaria morte,
quæ momento effluit, sed de æterno supplicio, quod nullo vn-
quam æuo terminatur, ferenda sententia est.

Nunc ergo fratres, in potestate nostra est, qualē supernū iu-
dicem in hoc tāto discrimine inueniamus. Vt enim D. Augusti- Augus.
nus ait, Durus est duris: mitis est piis. Simus ergo in pauperes
benigni & pij, vt piū iudicis vultū in illa hora inuenire merea-
mur, à quo benignè aspici, est in æternum seruari. Opportunè
ergo

ergo nos ad hunc diem præparemus: quandoquidē ad hoc no-
bis vita ipsa Dei munere data est; vt in illo die cum prudentibu
Matth.25 virginibus parati simus, non autem cum fatuis parari tunc inci-
piamus. Tunc enim non tam villicandi & negotiãdi, quàm re-
tribuendi & iudicandi tempus est. Itaque sola tunc illa miser
superest querela: Transiit messis: finita est ęstas; & nos saluati no
Ierem.8. sumus. Hoc est, Transiit iam metendi, & fructus colligendi
tempus, nec alia messis, aut æstas alia speranda est. Transiit
pœnitendi tempus, tempus merendi, tempus satisfacien-
tempus orandi, tempus impetrandi, tempus sperandi; &
instat solùm tempus quicquid egeris recipiendi. Hoc est e-
nim villicandi tempus nobis interdici. Tria opera impossibi-
4.Esd.4. lia in lib. Esdræ Angelus eidem proposuit, Reuoca (inquit) die
præteritum, metire ventum, & ignem pondera. Ignis cunctorũ
elementorum leuissimus pondere caret. Ventum verò quis me-
tiri possit? Multò ergo minus præteritum tempus reuocare. Vbi
ergo pœnitendi tempus præteriit, nemo illud amplius reuoca-
tum iri speret. Quæ enim supplicia damnati non subirent, vt a-
missum pœnitendi tempus reuocarent? Quibus igitur se diris
miseri deuouent, cùm seipsos irreparabili & nunquam reuocã-
da damnatione perire videant, cùm illam præsertim toties ad-
moniti tam facilè vitare potuissent? Nos ergo fratres, has nunc
lachrymas, hanc seram & inutilem pœnitentiam, hanc æternã
cladem momentaneo labore redimere possumus, si nos veteris
vitæ pœniteat, si nouam inchoare firmissimè proponamus, si in
pauperes benigni & liberales fuerimus, si omnem carnis lasci-
uiam, vt gehennæ ignem fugere studeamus, si has admonitio-
nes intimo pectore cōdamus, si iudicis huius metum visceribus
nostris ita infigamus, vt nullus dies elabatur, quin supplicibus
votis salutis nostræ causam seruatori nostro commendemus. Sic
enim fiet, vt ab eo tandem inter felices piorum animas (qui à
dextris eius in extremo illo & formidabili iudicio aderunt) glo-
ria & honore coronari mereamur.

IN

IN EADEM DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN CONCIO II. in qua post Euangelicæ lectionis enarrationem, de reddenda totius vitæ nostræ ratione agitur.

THE. *Redde rationem villicationis tuæ, nec enim poteris vltrà villicare.* Lucæ 16.



OMNIS Euãgelicæ Philosophiæ doctrina in duas partes distributa est: quas Apostolus initio statim eius Epistolæ, quam ad Romanos scripsit, breuiter designauit his verbis; Non erubesco Euangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti. Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem. Hæc prior Euangelij, ac potior pars: quæ iustitiam, hoc est, veram sanctitatem hominibus, peruigentem in Christum fidem tribuit. Alteram verò subdit protinus, cùm ait, Reuelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem & iniustitiam hominum eorum qui veritatẽ Dei in iniustitia detinent. Vtramq. ergo hanc partem Euangelica doctrina complectitur; quæ humilibus & obsequentibus gratiam, superbis autem & cõtemptoribus iram & indignationem denuntiat. Quas duas res idem Apostolus paulo pòst commemorat dicens; Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primùm & Græci. Gloria autem & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm & Græco. Hodierna quoque Sancti Euangelij parabola vtramque hanc cælestis doctrinæ partem complecti videtur. Quòd enim in ea Dominus re vilissima, hoc est, Mammona iniquitatis regnum cælorum pollicetur, immensas gratiæ & benignitatis suæ opes explicat. Cùm verò rationis reddendæ mentionem facit, & negotiandi atque merendi opportunitatem hominibus post mortem adimit (cùm ait, *Redde rationem villicationis tuæ: non enim poteris vltrà villicare.*) iram & indignationem, & supplicium bonorum suorum dissipatoribus cõminatur. Parabola autem sic habet.

Rom. 1.

Vbi sup.

Homo quidã erat diues, qui habebat villicum: & hic diffamatus est apud illũ, quasi dissipasset bona ipsius; & vocauit illum & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationẽ villicationis tuæ; iam enim nõ poteris vltrà villicare, &c. quæ sequuntur vsq. in finem.

AVE MARIA.

I.

Hieron. D. Hieronymi sententia est, fratres, in parabolis Euangelicis non esse singula verba excutienda. multa enim dicuntur ad parabolæ ornatum & contextum. Scopum autem parabolæ quò ea tendit, præcipuè inspiciendum esse, & ad illum omnia referenda, quem Dominus in calce parabolæ ad clariorem eius intelligentiam adiicere solet. Sic in fine parabolæ de decem virginibus scopum, quò tota parabola dirigitur, in fine posuit cùm dixit: Vigilate ergo; quia nescitis diem neque horam. Sic in fine parabolæ de seruo, qui decem millium talentorum debitor erat, nec tamen conseruo centum denariorum debitum remittere voluit, ad carcerem damnato, adiecit; Sic & pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. Ad eundem ergo modum in huius parabolæ fine quam audistis, quid per eam docere nos voluerit, explicat cùm subdit; *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis; vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Hoc est, opes quas habetis, in pauperum miseriis subleuandis impendite: vt misericordiam miseris exhibentes, misericordē in iudicio Dominum experiamini: patronosq. apud illum inueniatis eos, in quos beneficia contulistis. Sicut enim pauperes viduæ ostendentes Apostolo Petro vestes, quas illis Thabita insigni pietate femina contulerat, ipsum impulerunt, vt eam ad vitam reuocaret: ita pauperum eleemosynæ pro illis à quibus eas acceperūt, apud diuinas aures aduocant & clamant. Si enim profusus Abel sanguis de terra ad Dominum clamabat, iustitiam atque vindictam de parricida fratre postulans, multò magis apud misericordem Dominū profusa in pauperes benignitas misericordiam petens ad Dominum clamabit. Propensior quippè diuina bonitas ad misericordiam, quàm ad vindictam est: ideoque viri misericordiæ magnum in ea patrocinium coram superno iudice inuenient. Vnde in Ecclesiastico legimus: Conclude eleemosynam in corde pauperis; & hæc pro te exorabit ab omni malo. Itaque ibi latitans pietas, ad cælum vsque voces iactat. Hic est igitur parabolæ scopus: in qua tamen tria potissimùm animaduertere licet, quæ ex ea colliguntur.

Matt. 25.

Matt. 18.

Act. Apost.

Eccli. 34.

Primùm enim cùm villicus hic non ex suis, sed ex Domini sui opibus sibi suæque inopiæ consuluerit, intelligimus, opes atque diuitias quas homines habent, Dei dona atque beneficia esse; eosq. non prorsus dominos, sed bonorum Domini sui villicos,

cos, hoc est, œconomos ac dispensatores esse: Omnia enim hæc à mundi moderatore Domino pro singulari benignitate & prouidentia sua variè distribuũtur. Vnde est illud Ecclesiastici, Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt. Sic etiam Salomon, Diues, inquit, & pauper obuiauerunt sibi; vtriusque operator est Dominus. Hoc est, consilio & voluntate Domini fit, vt quidam ex hominibus diuitiis abundẽt, quidam paupertate premantur. Vtrumq. autẽ diuina dispensatione cõtingit, vt diues benignitatis officiis, pauper patientię virtute: ille benignè largiendo, hic patienter suam inopiam sustinendo, cælestem gloriam promereantur. Nemo igitur se bonorum quæ habet, omnino Dominum, sed dispensatorem agnoscat. Vt enim nihil intulimus in hunc mundum; ita nihil ex eo auferre possumus. Nudi egressi sumus de vtero matris, nudiq. in communem omnium matrem reuertemur. Hoc autem (vt Apostolus ait) à dispensatore quæritur, vt fidelis quis inueniatur. Fidelis autẽ dispensatio est, vt posteaquàm quis bonis à Deo perceptis pro conditionis suæ dignitate sobriè vsus fuerit, reliqua cõseruis largiatur, & pro vtrisque bonorum omnium largitori gratias agat. Hic est igitur honestus debitusq. diuitiarum vsus.

Eccl. 11. Prou. 22. 1. Cor. 4.

Secũdo verò loco villicus hic in parabola nobis ad imitãdum proponitur. Sed qua in re illum imitari debemus? In eo ne quòd Domini sui bona dissipauit? Nullo modo. Quid igitur? In eo quòd eiusdem Domini sui bona diripuit, cùm Domini sui debitoribus magnam debiti partem remisit? Multò minus. Hoc est enim latrocinium latrocinio cumulare. Nequaquam igitur in hoc illum imitari debemus, vt ex malè partis eleemosynas pauperibus erogemus. Vnde in Ecclesiastico legimus, Qui offert sacrificium ex substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris. Itemq. alibi, Hostiæ impiorum abominabiles Domino, quæ offeruntur ex scelere. Tales fuerunt hostiæ, quas Saul rex Domino ex pecoribus Amalecitarum offerre parabat, propter quas à Domino & vita, & regno, & (quod maius est) spiritu suo spoliatus fuit. Qua ergo in re illum imitari debemus? In eo sanè quòd, cùm à Domino suo deinceps villicare, hoc est, bona Domini dispensare prohiberetur, in futurum tempus oculos coniiciens, & inopiam qua defunctus officio suo premendus erat animaduertens, hoc præsentissimum remedium excogitauit, vt ipsis Domini sui bonis amicos sibi compararet, quorum opibus & beneficiis vitam inopem tueri posset. Ad hunc igitur modum cùm homo

Eccli. 34. Prou. 21.

considerat se Domini sui bona dissipasse, & in vanos vsus expendisse, intelligitque futurum aliquando (hoc est in mortis hora) vt Dominus illi dicat, *Redde rationem villicationis tuæ; iam enim non poteris vltrà villicare* (quia videlicet vbi ex hac vita excesserit, neque mereri, aut demereri, aut pro commissis satisfacere poterit) opportunè sibi consulit, & ante iudiciũ parat iustitiam. Sed quã ratione? Nimirum Domini sui bonis amicos & patronos sibi comparando. Cùm enim ea bona, quæ gratis à Domino accepimus, liberaliter & misericorditer cum indigentibus partimur, amicos nobis comparamus, qui causam nostram ante supernum iudicem tueantur: & misericordiã postulent iis, qui
Matt. 5. misericordia vsi fuerint: cùm scriptum sit, Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Tertiò, ex hac etiam parabola sequitur, quàm grata Domino sit huiusmodi bonorũ eius distributio. Si enim homo ille diues laudauit villicum iniquitatis, qui pro domino quidẽ fraudulenter, pro se autem prudenter egisset, quantò magis rerum omnium Dominus misericordẽ hominem laudabit, qui hac ratione Domini sui bonis sibi opportunè cõsuluerit? Si enim dominus ille opibus suis fraudatus, villici sui prudentiam commendauit, quantò magis cæli ac terræ Dominus, qui fraudari nõ potest, quique dando nihil amittit, hanc pij hominis prouidentiam laudabit; præsertim cùm ipse hæc eadem benignitatis officia vehementer hominibus commendauerit?

Hanc igitur facilem expediendæ salutis viam nobis Dominus in hac parabola ostendit, quam in sacræ huius lectionis fine apertè explicuit, cùm dixit: *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, vt cũ defeceritis, &c* Deficiet enim fratres vita, imò quotidie paulatim deficit. Labitur enim ætas vt vnda fluminis, quæ nunquam est eadem, sed semper alia atque alia. Alia enim decente, alia rursum atque alia succedit. Idem igitur in vita nostra euenit. Hodiernus quippe dies effluet & interibit nunquã rediturus, & alter crastina die superueniet simili ordine discessurus. Ita quicquid hactenus viximus, mors occupat & retinet. Quo fit, vt magna iã ex parte mortui simus; incerti quantum quod superest duraturum sit. Vita igitur deficit, mundus deficit; quia mundus transit & concupiscentia eius. Parentes, filij, & consanguinei deficient, opes & patrimonia, quamlibet maxima sint deficient; amici, dulcisque eorum consuetudo & colloquia deficient; voluptates etiam, ludi, ioci, quibus nos oblectauimus, deficient; atque hæc postremò lux & com-

communis aër, commune cælum, & omnia quæ eius complexu continentur, simili modo deficient. Demus igitur operam, fratres, vt cùm hæc omnia defecerint, amicos nobis eleëmosynis largiendis comparemus, qui nos in æterna tabernacula perducant, & causæ nostræ patrocinium ante supernum illum iudicem suscipiant.

Hæc igitur tria sunt, quæ in hac parabola potissimum continentur. Occasione autem huius prudentię, qua villicus iste vsus est, cælestis magister sententiam animaduersione dignissimam adiecit: *Quoniam*, inquit, *filij huius seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Improbos autem homines appositissimo nomine huius seculi filios appellat; quia videlicet secundum mundi leges vitam suam instituunt; quia ex illius placitis atque iudiciis pendēt, quia eius oculis seruiunt; quia illius magis quàm Dei rationem habent; quia illi magis quàm Deo placere satagunt; quia alterius seculi prorsus obliti, amorē omnem & fœlicitatem, curas & cogitationes omnes in rebus ad hanc vitam pertinentibus collocarunt, nullam cęlestium rerum curam habentes, perinde atque ad eas vel facti à Deo nō essent, vel ad ipsos minimè pertinerent.

Tales autem in generatione sua, hoc est, in huius seculi bonis exquirēdis prudentiores filiis lucis sunt. Quis enim verbis consequi possit noua inuenta, quæ isti quotidie excogitant vel ad opes congerendas, vel ad corporis voluptates & oblectamenta captanda? Quis noua genera vestium quotidiè renascentium, & alias atq. alias subinde formas mutantium explicabit? Quis tot cupediarum atque condimentorum irritamenta numerabit? Quis tot delitiarum, vnguentorum, ludorum genera; quis tot lucrandi atque fallendi rationes percensebit? Iam quis bellandi artes & instrumēta bellica, quæ ingeniosa hominum crudelitas in generis humani perniciem adinuenit (quibus alienas opes in suas verterent) oratione consequetur? At, qui tantùm in rebus terrenis sapiunt, qui ad hæc penetranda lynceos oculos habent, ad spiritualia atque diuina intelligenda talpis ipsis cæciores sunt. Nequeunt enim oculos suos tenebris assuefactos ad lumē perspicuæ veritatis attollere; similesq. sunt auibus, quarū intuitum nox illuminat, dies excæcat. Hæ namq. aues in tenebris vident; in meridiana verò claritate cæcutiunt. Itaq. si apud hos de rerum spiritualium dignitate & splendore disserere velis, si quanta sit diuini amoris vis & efficacitas, quanta diuinæ dulcedinis suauitas, quanta diuinæ gratiæ dignitas & potestas, quanta

Simil.

quanta virtutis & iustitiæ pulchritudo & honestas, quanta contrà peccati deformitas, quantum odium quo Deus illud detestetur, quanta illud seueritate puniat, coram illis explicare velis, adeò nihil horum intelligent, vt vix etiam dicenti fidem adhibeat. Isti igitur qui in generatione sua, hoc est, in rebus huius seculi prudentiores filiis lucis sunt, in rebus spiritualibus atque diuinis nocturnis auibus similes existunt. Sapientes enim sunt, vt faciant mala: bene autem facere nescierunt.

Hier. 4.

Quodque maiorem piis pudorem iniicit, non solùm in hac generatione sua prudentiores, sed etiam diligentiores filiis lucis sunt. Quid enim non faciunt? quid non moliuntur, vt vtilitatibus aut commoditatibus suis consulant? quas terras non peragrant, quæ maria non sulcant, quæ littora non attingunt, quæ maris aut terræ pericula reformidant? quibus se in bello periculis obiiciunt, cùm frequenter in medios hostium cuneos irrumpant, cùm inter districtos enses, & pila vndique minantia, & ferreos globos igne sulphureo iactos versentur, vt vel parum lucri, vel militarem gloriam, vel principum gratiam hac præcipiti audacia aucupentur? Quis igitur eorum qui Deo seruiunt, sempiternamq. cælestis gloriæ mercedem expectant, tantis se laboribus ob eius gratiam deuouet? Vnde in Ecclesiastica historia legimus; quòd cùm quidam ex illis sanctissimis eremi Patribus meretricem quandam speciosissimè ornatam vidisset, amarissimè flere cœpit. Causam verò lachrymarũ rogatus, Duo me, inquit, in hunc statum impulerunt; Alterũ miseranda huius animæ perditio atque infelicitas: alterum, quòd ego non tanto studio atque labore rerum omnium Domino, quàm ista perditis hominibus placere nititur.

Iam verò filij huius seculi vbi honoris aut vanitatis ratio exigit, quàm liberales imò & prodigi rerum suarum sunt, vt alienis oculis & mundo seruiant, cùm tamen filij lucis adeò parca manu stipem Christo pauperibus tribuant; qui ne calicem quidem aquæ frigidæ sine æterna mercede relinquit. Hunc igitur tam disparem affectum adeò molestè D. August. ferebat, vt magna voce in Meditationibus ad Dominum clamaret, Domine Iesu, cui pater omne iudicium dedit, censes ne iustum esse, vt filij huius seculi, noctis, & tenebrarum maiori studio & alacritate quærant fugitiuos honores, & perituras diuitias, quàm nos te Deum nostrum, qui cùm non essemus, fecisti nos; & cùm perditi essemus, sanguine tuo redemisti nos? Hoc est igitur, fratres, quod significare Dominus voluit, cùm filios huius seculi

August.

pru-

prudentiores filiis lucis in generatione sua dixit. Hactenus de Euangelica lectione; nunc ad sententiam thematis verbis comprehensam, quæ magnum nobis timorem incutit, veniamus.

TRACTATIO THEMATIS.

Redde rationem villicationis, &c. Iam primùm constat Christianæ religionis fundamentum esse, quod paucis Salomon in fine Ecclesiastes exposuit his verbis: Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato siue bonum, siue malum sit. Hæc enim extrema huius libri verba sunt, quæ vniuersæ eius doctinæ lucem afferunt. Quæ quidē sententia, quāuis fide Catholica teneatur, non tamen à grauissimorum Philosophorum existimatione longè abfuit. Communem enim sapientum sententiam Cicero esse asserit, impiis apud inferos parata esse supplicia. Si ergo impiis supplicia parantur, piis igitur atque iustis præmia decernentur: atque ita iudicium aliquod & examen meritorum hāc sententiā præcedere necesse est. Id etiam sequitur ex diuina prouidētia, quam clarissimi Philosophi non sine magna ratione confessi sunt. Alexander enim Aphrodisęus clarus in primis Philosophus in Epistola ad Antonium Pium Imperatorē ita philosophatur: Si Deus bonorū & malorum rationem nō habet, id erit aut quia res humanas ignorat, aut quia non potest meritas pœnas & præmia malis & bonis persoluere; aut certè quia cùm sciat & possit, nolit tamen. Si dixeris eum res nostras ignorare, adimis ei sapientiam: si non posse præmiis aut pœnis bonos & malos afficere, tollis ab eo potentiam. Si verò dixeris eum, quamuis & sciat & possit, nolle tamē pro meritis cuique retribuere, spolias illum iustitia, gratitudine, bonitate, & prouidentia, inuidæ enim & iniquæ naturæ est, meliora cùm possis, facere nolle: quod vtrumque à Deo alienissimum est. Denique quisquis aliud statuit, quod dictu quoq. nefas est, Deum facit aut lapidem, aut lignum: vt nihil magis referat Deum colere, quàm lapides & ligna colere: cùm nihil magis ab eo quàm ab istis sperare vel timere possis. Ex quo etiam sequitur vanam esse religionem, ad quam ipsa nos natura informauit ac finxit; quæ sicut pietatem erga parentes, ita religionis affectum erga Deum mentibus nostris insæuit. Nemo enim (vt Sapiens quidam ait) gratuito bonus est. Hinc Apostolus, Si secundum hominem ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Illud autem ausim asseuerare, vix quidquam hac blasphemia indignius in summam illam

Eccles. 12.

Cic. Rhetor. veter. lib. 1.

Alex. Aphro.

1. Cor. 15.

& infinitam bonitatem & æquitatem iactari posse. Cuius tan[tæ]
Soph.1. blasphemiæ supplicium idem ipse Dominus per Prophetam
comminatur, cùm ait, Visitabo super viros infixos in fæcibus
suis, & super omnes qui dicunt, Non faciet Dominus malè, &
non faciet bene. Infixos autem in fæcibus suis appellat eos, qui
in fœdo impudicitiæ luto volutantur, in eoque diutissimè à
diabolo vincti ita tenentur, vt nullis admonitionibus, nullis
minis ab hoc cœno emergere velint. Ex his igitur apertissimè
constat, non modò fide, sed etiam ratione in altera vita bo-
rum & malorum discrimen esse futurum, ac proinde iudicium
Hebr. 9. de vtrisque. Hinc Apostolus, Statutum est, ait, hominibus se-
mel mori, & post hoc iudicium. Tunc enim hæc vox vniuscu-
iusque nostrûm auribus insonare debet, Redde rationem villi-
cationis tuæ. In hoc autem iudicio nihil eorum deerit, quæ in
humanis iudiciis intercedere solent. Erunt enim in eo accusa-
tores, testes, reus pariter & iudex, & iudicij materia, de qua ra-
tio exigenda est. Accusatores autem erunt dæmones, qui nihil
quod ad damnationem nostram faciat, prætermittent. Testes
erunt sancti Angeli, qui nobis ad custodiam dati sunt, qui om-
nium operum nostrorum, siue bonorum, siue malorum, testes
incorruptissimi sunt. Testis etiam erit ipsa conscientia nostra,
quæ pro mille testibus esse dicitur. Testis etiam erit ipse iudex,
qui de se ait, Ego sum iudex, & testis. Omnia enim delicta in
Iob. 34. oculis Dei cuncta cernentis admittimus. Hinc quidam ex ami-
cis Iob de Deo loquens, Oculi, inquit, eius super omnes vias
hominum, & omnes gressus eorum considerat. Non sunt te-
nebræ, & non est vmbra mortis, vt abscondantur ibi qui ope-
rantur iniquitatem. Quid igitur hunc iudicem latere poterit?
Iob. 13. Posuisti (ait S. Iob) in neruo pedem meum, & obseruasti om-
nes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti: qui
quasi putredo consumendus sum, &c. Quod perinde est, ac si
diceret; Quamuis homo sim, putredini, innumerisque mise-
riis & ærumnis obnoxius, adeò tamen seuerè mecum agis, vt
primùm quidem, lege tua velut neruo quodam constrinxeris
me, ne mihi vnquam ab ea vel ad momentum declinare liceat.
Cuius rei tantam curam habes, vt obserues omnes semitas
vitæ meæ, & omnes gressus meos consideres, si qua fortè aut
prauo opere, aut verbo, aut etiam cogitatione ab ea declina-
uerim. De his namque omnibus rationem à me exacturus es,
dicturusque, *Redde rationem villicationis tuæ: iam enim non
poteris vltrà villicare.*

In quibus verbis cùm multa sint magnoperè formidanda, tum illud maximè timendum est quod ait, *Non poteris vltrà villicare.* Hoc est, vbi ab hac mortali vita excesseris, non iam negotiandi & villicandi, id est, pœnitendi, aut satisfaciēdi, merendi, aut demerendi, sed recipiendi quæ merueris tempus est.

Quid igitur faciam (ait reus homo) *quia Dominus meus auferet à me villicationem?* Quid faciam vbi ad tribunal iudicis cuncta cernentis sistendus ero? Quid faciam, si aduersum me sententia feratur, & si in gehenna perpetuò torquendus ero? Quid faciam, si nullos apud iudicem patronos, nulla virtutum merita mecum tulero? Quid postremò faciam, cùm totius vitæ meæ, hoc est, omnium diuinorum beneficiorū, omniumq́. maleficiorum meorum rationem redditurus sim? Quæ tantò erunt grauiora, quantò beneficia maiora fuerunt. Quid ergo faciam cùm de externis bonis, quæ mihi Dominus largitus est (quæ multis negata sunt) rationem exiget? Quàm multi enim sunt, qui reliquias mensæ meæ delitias suas putarent? Quàm multi erunt qui fame, nuditate, ære alieno, filiorum multitudine, variisque morbis & incommodis premātur: à quibus malis diuina prouidentia me immunem conseruauit? Ad hoc primum accusationis crimen alij quidem respondebunt, se omnia hæc bona in cultum atque vsum vitæ expendisse, & sibi suisque consuluisse: pauperum verò nullam prorsus curā habuisse, neq. ex Mammona iniquitatis amicos vllos comparasse. Alij contrà teste conscientia, duriùs respondebunt, se opes suas in ludo, epulis, comessationibus, exquisitis dapibus, vino pretioso, vnguentis, cultissimisque vestibus nulla miserorum habita ratione, insumpsisse: qui bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, nihil patiebantur super contritione Ioseph. Amos 6. Quid igitur isti, qui sic domini sui bona dissiparunt, aliud in extremo illo iudicio expectare poterunt, nisi quod iam anteà ex Domini sententia definitum est: Discedite à me maledicti in ignē ęternū: quia esuriui, & nō dedistis mihi mādučare: sitiui & nō dedistis mihi bibere, & quæ sequūtur? Non deerunt fortasse alij, qui supra istorū fastū & luxum illud etiam horrendum Matt. 25. facinus adiiciant, se pecuniis atq. opibus suis & virginum & viduarum pudorem expugnasse, easq́. ad fœdissimi flagitij cōsensum induxisse; & ita diuitias Dei beneficio concessas (propter quas illū magis colere ac diligere debuissent) in arma iniquitatis cōuertisse, quibus regnū Christi, & redemptionis eius beneficiū impugnarēt, & diaboli regnū propagarēt, & quod Christus

sanguinis sui pretio acquisierat, ipsi dato pretio peruerterint atq; deleuerint. Quo facinore, quid sceleratius? quid execrabilius? Hinc enim Dominus non iam externorum bonorum, sed pretiosi sanguinis sui rationem exiget, quem ille profudit, qui animam sanguinis eius pretio redemptam perdidit.

Verùm non hæc sola de externis bonis ratio (quorum nobis dispensatio credita est) exigetur. Alia sunt his multò maiora. Redde enim (inquiet Iudex) rationē adiumentorum omnium, quæ tibi ad bene viuendum contuli, hoc est fidei, baptismatis, doctrinæ, sacramentorum, concionum, admonitionum, diuinarumque inspirationum, quibus toties ad ostium mentis tuæ pulsans, ad studium te vitæ melioris excitabam. Quod si hæc parua sunt, redde mihi sanguinis mei rationem: redde crucis, & mortis, spinarum, verberum, sputorum, atque alaparum, contumeliarum, ac denique tot annorum, quos tam multis sudoribus in procuranda salute tua insumpsi. His te laboribus quæsiui, hoc te pretio redemi, his beneficiis ad mei amorem excitaui, his exemplis ad virtutis & pietatis studium prouocaui: tu verò his omnibus ingratus nec pretio sanguinis mei dignitatem tuam æstimasti, nec amori meo vicem reddidisti; nec tot exemplis ad virtutem aliquid addidisti. Redde præterea rationem totius vitæ, hoc est, tot annorum quos tibi ad viuendum contuli, vt his fidei talentis adiutus, æternæ vitæ, ad quam te condidi, negotium ageres. Vsque ad ictum enim oculi quæram à te omne tempus impensum quomodo fuerit expensum: quæ in eo virtutum merita congessisti, quæ pietatis opera edidisti; quos animi tui motus & ægritudines curasti; quos tibi amicos (qui te cùm deficeres in æterna tabernacula reciperent) parasti. Quid hîc respondebunt qui nihil minus quàm de hac ratione reddenda cogitarunt? qui sic vixerunt, vt se ad hanc solùm vitam fruendam natos crederent?

Nec de nobis solùm, sed de iis etiam, qui nostræ fidei commissi sunt, exigenda ratio est. Hoc est de famulis, filiis, ac domesticis omnibus, si eos (vt par erat) erudiuimus, corripuimus, 1. Tim. 5. pauimus & honestè tractauimus. Scriptum est enim: Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. Quid igitur hoc in loco dicent, qui ita seruis emptitiis, vt iumentis vsi sunt, nihilo magis eos ad pietatem & iustitiam erudientes, quàm si muta animalia essent? Quantum autem periculi ob neglectam filiorum institutionem & parentibus & filiis immineat, memorabile illud sacer-

dotis Heli exemplum satis declarat; qui hac negligentia & sibi, 1.Reg.4.
& filiis, & toti populo exitium attulit. Quid igitur hoc exemplo funestius, quid magis formidandum? Quis quæso pater hoc miserabili casu admonitus, non diligentissimam institutionis filiorum suorum curam habeat? Quos tamen videmus diebus festis atque Dominicis dum sacra peraguntur, parentibus conniuentibus, in foro turbas miscere ac ludere? Cur igitur non illos vobiscum in Ecclesia hoc tempore retinetis? Quid aliud barbari & immanes homines facerent? At quantò alia cura sanctissimi Iob pro filiorum innocentia solicitus erat, qui pro illis sacrificia offerebat? Ne fortè, inquit, peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis. Hoc est, ne aliquid diuina maiestate indignum, aut corde conceperint, aut ore pronunciauerint.

Cùm igitur infelix homo se hoc modo vndique obsessum videat, nec vllum ei pateat effugium, quid faciet? quò se vertet? quid consilij capiet? Quid sum miser tunc dicturus, quem patronum rogaturus, cùm vix iustus sit securus? Iustus erat planè B. Cyprianus, qui tamen, dum in vincula propter Christi fidem coniectus esset, nec honore martyrij elatus, nec impendentis mortis metu perterritus, iudicium hoc magis quàm mortem formidans orabat, Væ peccatis meis. Cui monti dicturus sum Cyprianus.
Domine, vt cadat super me? Si igitur tantus hic vir (qui martyrij sui sanguine velut baptismo quodam expiandus, imò & cõsecrandus erat) ita huius diuini iudicij metu cõcutiebatur; quomodo flagitiosus homo adeò securè agit, qui tam multorũ sibi criminum conscius est? Nimirum quia vt cæcus & amens periculi huius magnitudinem neque sentit, neq. recogitat. Sanctissimus quoq. Iob quantũ huius rationis reddendæ metu horret, ac trepidat? Oculi tui, inquit, in me: & non subsistam. Solo enim vel irato aspectu me prosternes, & ad nihilũ rediges. Quo in loco D. Greg. Considerat, inquit, iustus quàm districtè Deus Gregor.
iudicet; & periturum se ex se videt: quia cùm districtus iudex merita subtiliter inquirit, reus ad tormenta non sufficit. Ideò & alibi ait: Qui etsi habuero quippiam iustum, non respõdebo: Iob.9.
sed meum iudicem deprecabor. Si ergo qui iustũ aliquid habet, Deo respondere non audet; quid facient qui vix aliquid iustum habent? qui vitam omnem in libidinibus, ludis, epulis, luxu, fastu, & in omni voluptatum intemperantia traduxerunt?

Cùm igitur infelices isti, nihil habeãt quod æquissimo iudici expostulanti & rationem exigenti respondeant, isque pro eo atque

atque eorum scelera morentur damnationis aduersus eos sententiam ferat, neque vlla eis spes salutis ostendatur, tunc rabie atque furore perciti, extremam cæcitatem atque amentiã suam deplorantes, O nos, inquient, miseros & infelices, quibus hæc acerbissima pœnarum sors obtigit, quam nulla vnquam temporum diuturnitate euadere poterimus, sed post annorum centum millia, & mille millia, iterum ad rediuiua tormenta rapiemur! Ah quoties huius rei admoniti fuimus, nec tamen monentibus auscultare voluimus! Et quidem si infidelium more nullam harum rerum fidem haberemus, minus essemus accusandi. Sed cùm horum omnium certissima apud nos fides esset, & sanctos omnes hac fide instructos vitam suam ad diuinæ legis normam studiosissimè dirigere videremus (quod veritatis fidei maximum argumentum erat) quis nos ita fascinauit, quis sic de mente deduxit, vt tanta mala quæ certissima fide improbis impendere videbamus, vitare nunquam voluerimus? Præsertim cùm nihil vel difficile, vel nimis arduum à nobis exigeret? Non enim maria sulcanda, non ad longinquas terras peregrinandum, non martyrum tormenta subeunda, sola à nobis Dei & Ecclesiæ obedientia exquirebatur, quam Dominus iugum suaue & onus leue nuncupauit. Et ne hoc quidem tam exiguo pretio atque labore tantum hoc malum vitare curauimus.

Etsi quidem breue nobis ad pœnitentiam spatium datum esset, minor forsitan esset querela. Sed cùm tandiu in vita fuerimus, cùm ad quadragesimum, & quinquagesimum annum aut eò amplius vita nostra dilata, & pœnitentiæ spatia data fuerint, quis nos ita dementauit, vt ne hoc tam diuturno spatio vnam saltem horam tractandi seriò nostræ salutis causam impenderemus? Hic est igitur fratres immortalis ille vermis, qui non minus, quàm inextinguibilis ignis miserorum viscera depascitur! quique nihil aliud cogitare finit, quàm quod eos incessanter excruciat.

Quod igitur his tantis malis remedium adhiberi potest? Sola fratres pœnitentia est, quæ secunda post naufragium tabula esse dicitur: cuius est præterita peccata plangere, & plangenda iterum non committere. Nunc ergo cùm villicandi, hoc est, satisfaciendi & pœnitendi tempus est, hanc quæso opportunitatem nullo modo vacuam abire sinamus: ne sempiterno luctu illam abiisse conqueramur. Hæc nos dum viuimus Deo reconciliare, hæc peccata diluere, hæc adoptionis filios efficere, hæc amissam hæreditatem restituere potest.

Proxi-

Proximum verò est, vt cùm hac pœnitētia hoc salutare Domini consilium amplectamur, vt faciamus nobis amicos de Mammona iniquitatis, qui nos in æterna tabernacula recipiāt; hoc est, vt opes nostras per manus pauperum in cæleste regnum transferamus, quibus hæc nobis tabernacula comparemus. Hęc enim peculiaris eleemosynæ virtus est. Cuius rei commodissimum exemplum D. Gregor. memorat. Ait enim, fuisse Romæ sutorem quēdam nomine, Deus dedit, qui quicquid tota hebdomada ex officio suo acquisisset, detracto quotidiano victu, singulis sabbathi diebus in pauperes distribuebat. Quidam autem vir sanctus, vidit in spiritu insigne quoddam palatium in cælo his sabbati diebus ædificari, intellexitque (diuino spiritu docente) benignitatis & eleemosynæ officiis splendida in cælo tabernacula construi. Quæ res in causa extitit, vt sanctissimi quique viri hanc præcipuè virtutem summo studio coluerint. Vt enim innumeros alios prætermittam, B. Pater noster Antonius ita huic virtuti deditus fuit, vt nullo vnquam tempore pauper aliquis ab eo vacuus discesserit. Si domi non haberet, à proximis mutuò capiebat: qui si recusassent vestes, caligas, calceos, domesticam supellectilem, ocularia demum sua specilla tribuebat. Quis hunc misericordiæ affectum, quis hoc eleemosynæ genus non miretur: quo venerabilis hic antistes non solùm opes suas, sed caligas, calceos, atque ocularia sua specilla, si aliud non haberet, pauperibus erogabat, ne pauper vllo modo ab eo vacuus abiret? Gregor. lib. 4. dialog.

Hunc igitur pium viri sanctissimi affectum imitari studeamus fratres, his misericordiæ officiis pœnitentiam nostram cumulemus, quibus nobis tabernacula cælestia fabricari mereamur. Hoc est enim vtilissimum commercij genus. Das terram, accipis cælum; das temporaria bona, recipis æterna: das quod hîc relinquendum est, & recipis quod perpetuò tecum manendum est: das denique vilem & contemnēdam pecuniam, & pro ea recipis sempiternam felicitatem & gloriam.

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN CONCIO PRIMA in qua lectio Euangelica explanatur.

THE. *Videns Iesus ciuitatem, fleuit super illam dicens; Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi.* Lucæ 18.



Abemus in sacra huius diei lectione, dilectissimi, clarissimum misericordiæ & charitatis Christi argumentum; qui futuram Hierosolymitanæ ciuitatis ruinam (quæ iam anteà in mortem illius coniurauerat) piissimis lachrymis prosecutus est. Erit autem operæ pretium, quo potissimum tempore hęc Domini lamentatio contigerit, explicare.

Cùm igitur iam tempus appeteret, quo is seipsum pro generis humani salute in ara crucis immolare destinauerat, vt morte sua omnium mortem aboleret, hoc est, vt mortem non debitam pro debita omnium morte Deo patri offerret, ad passionis locum sponte venire, & se ad mortem parare voluit. Vt autem qua animi alacritate se ad hoc sacrificium offerret, omnibus esset conspicuũ; voluit cum magna totius ciuitatis lætitia & gratulatione, cum ramis palmarum & oliuarum, puerorumq́ue acclamatione ipsius regnum & gloriam prædicantium excipi; quasi non ad crucem, sed ad regnum; non ad mortem, sed ad epulum & optatas nuptias properaret. Verè enim in cruce nuptiæ cum Ecclesia celebratæ; verè in cruce Christi regnum constitutum fuit. Regnauit enim à ligno Deus.

Quid igitur in hac sollemni pompa Dominus? quid inter tot populorum laudes, & acclamationes fausta omnia & læta precantium? quid is in hac communi omnium lætitia animo agitabat? Tantum abest, vt Saluatoris nostri animus his tantis laudibus applauderet, vt eo potissimùm tempore amarissimas lachrymas non ob suam indignissimam necem, quæ iam instabat, sed ob futurum miserandæ ciuitatis excidium piisimo corde profunderet.

Itaque vt appropinquauit Hierosolymis, videns ciuitatẽ, fleuit super illã dicens; Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi; nunc autẽ abscondita sunt ab oculis tuis. Si cogno-

cognouisses & tu. Vox illa, *si*, optantis interiectio est, quemadmodum ibi, Si occideres Deus peccatores. Optabat enim pius Psal. 138.
Dominus, qui vult omnes homines saluos fieri, vt felicitatem quam cælestis Pater filio suo ad eorum salutem misso offerebat cognoscentes, illum tota animi deuotione & alacritate reciperent, quo bonorum & gratiarum eius participes efficerentur. Hanc autem bonorum omnium plenitudinem pacis nomine significauit. Pax enim Hebræis non singulare aliquod bonum, sed omnia bona significat; quæ Dei filius secum attulit in mundum. In eius namque aduentu rupti sunt fontes abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt, & effusa est grandis omnium gratiarum pluuia super terram: cuius primitias Dominus populo Iudæorum (cui promissus ante alios fuerat) impartiri volebat. Hunc enim doctrina sua illuminare, miraculis in fide confirmare, beneficiis ad amorem incendere, meritis in spem immortalitatis erigere, & virtutum suarum exemplis ad ipsius imitationem allicere, & præsentiæ suæ maiestate ornare; & sic tandem illum ad cælestes illas sedes cupiebat euehere.

Hæc igitur sunt quæ populus ille agnoscere debuisset; quæ tamen ab eius oculis abscondita esse Dominus vehementer doluit. Quamuis enim multi ex eo populo hoc tantum beneficium, viuente etiam Domino, gratis & piis animis cognouissent, ac multò etiam plures post gloriosam eius resurrectionem fidem in eum recepissent (vnde Ecclesia miræ sanctitatis, & religionis sub Apostolorum disciplina Hierosolymis nata, nutrita, & stabilita fuit) plures tamen tantæ lucis splendore excæcati, adeò salutis suæ auctorem gratis & deuotis animis non exceperunt, vt etiam illum tanquam phrenetici & furiosi in medicum insanientes, atrocissimo mortis genere interemerint.

Ex his autem Domini piissimis lachrymis & verbis intelligimus, quàm is non gaudeat, imò verò doleat interitum impiorum. Vnde apud Isaiam, Heu, heu, inquit, consolabor de hostibus meis, & vindictam sumam de inimicis meis. Quo genere Esaiæ 1.
orationis Dominus humano more loquens, dolorem de improborum interitu ostendit. Verè enim ipse est, qui per Ezechielem ait, Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat. Et subiicit veluti lamentando; Conuertimini, conuertimini à viis vestris pessimis; & quare moriemini domus Israël? Et apud Ieremiã significat quantoperè desideret & expectat peccatorum pœnitentiam, cùm ait: Nunquid qui cadit non resur- Ezech. 18. Iere. 8.

resurget? Et qui auersus est non reuertetur? Docet autem hic in loco nos exemplo suo, vt fratrum nostrorum calamitates & peccata perinde atque nostra lugeamus: quandoquidem omnes corporis vnius sub Christo capite membra sumus. Ea enim lex atque natura membrorum est, vt si gaudeat vnum membrum, congaudeant cætera membra; siue doleat vnum membrum, condoleant cætera membra. Sic & Ieremias præuidens vastationem Iudaici populi, Ventrem, inquit, meum doleo, ventrem meum doleo: sensus cordis mei turbati sunt in me. Non tacebo, quoniam vocem buccinę audiuit anima mea, clamorē prœlij. Et paucis interiectis, subiicit futuræ calamitatis causam, quam rebellis populi cæcitatem & amentiam esse ait. Quia, inquit, stultus populus meus me non cognouit, filij insipientes sunt & vecordes: Sapientes sunt, vt faciant malum, bene autem facere nescierunt. Hoc igitur exemplo nos Dominus ad deflenda proximorum mala inuitat.

Iere. 4.

Quis sit autem huius doloris & compassionis fructus, apertè idem per Ezechielem ostendit: qui cùm armaris hominibus præcepisset, vt districtis gladijs ciues omnes Hierosolymitanos propter abominanda eorum scelera trucidarent, neq. seni, adolescenti, virgini, paruulo, aut mulieri parcerent, eos qui gemerent & flerent super cunctis abominationibus, quæ in medio eorum fiebant, signo crucis frontibus eorum impresso incolumes ab hac communi strage & vastatione seruari mandauit. Quis autem ex nobis fratres, hoc tempore (quo mundus tot calamitatibus, & hęresibus quatitur, quando ex altera parte immanissimus Christi hostis Turcarum Princeps, ex altera verò hæreticorum perfidia Ecclesiam Christi deuastant) his gemitibus & lachrymis tot malorum vbique grassantium turbines deflet? quis assiduis precibus Ecclesiæ causam Domino tuendam committit? Omnes quæ sua sunt quærũt: & cùm res suas in tuto positas esse arbitrantur, communia Ecclesiæ mala negligunt.

Ezech. 9.

Phili. 2.

Fleuit etiam Dominus, quòd intellexit alacritatem & religionem illam, qua ipsum populis excipiebat, nequaquam diuturnam futuram. Quem enim modò Israëlis regem faustis vocibus prædicabant, paucis pòst diebus ante præsidem negaturi erant, atque dicturi, Non habemus Regem, nisi Cæsarem. Et cui modò applaudebant, dicentes: Benedictus qui venit in nomine Domini, paulò pòst aduersus illum magnis vocibus clamaturi erant, Tolle, tolle, crucifige eum. Hoc autem modo quotannis Ecclesia filios suos luget, qui cum confessionis tempore

Ioan. 19.
Matth. 21.
Ioan. 19.

pore se prioris vitæ lapsus lamentari & nouam vitam se inchoaturos spondeant, paucis pòst diebus eadem crimina repetunt, quæ paulo antè damnarũt. Tales igitur horum hominum imitatores sunt, qui post breuissimum temporis spatium, benedictionem in maledictionem, & laudes in vituperia commutarũt.

I.

Sed vt ad Hierosolymæ cladẽ redeamus, quæret aliquis vnde hæc tanta cæcitas & perfidia in eo populo manarit, cùm tam aperta diuinitatis testimonia in Christo Domino passim cernerent. Ad hoc igitur breuiter respõdemus, ambitionem, & huius filias inuidiam, & auaritiam (quæ malorum omnium radix est) eorum oculos obcæcasse. Hinc Ioannes multos ait ex principibus Dominum agnouisse, qui tamen propter Pharisæos non confitebantur, ne de synagoga eiicerentur. Dilexerũt enim magis gloriam hominũm, quàm gloriam Dei. En fratres, quid ambitionis pestis, quid liuor & inuidia, quid malorum omnium radix auaritia pariant: quæ infelicem hunc populum non modò hoc tanto thesauro spoliarunt, sed illum etiam ad teterrimum & inauditum crudelitatis facinus impulerunt; & dirissimã atq. funestissimam cladem sibi populoque suo hac impietate peperunt. Si igitur (vt Saluator ait) ex fructibus arbor agnoscitur, quantũ veneni in his tribus vitiis (quæ adeo latè in mundo grassantur) insit, agnoscere licebit. Quod si hoc fortassè exemplum vos minus mouet, moueat saltem proditoris Iudæ auaritia, quæ illum impulit, vt rerum omnium Dominum triginta argenteis distraheret. Ex quo impiissimo lucro id consecutus est, vt proiectis illico argenteis, laqueo sibi vitam eripuerit, & præcipitem se in gehennam dederit.

1. Tim. 6. Ioan. 7. Matth. 7. Matth. 26.

Quo autẽ supplicio hæc tanta populi perfidia & immanitas plectenda esset, exponit deinde Dominus cùm subdit: *Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui sunt in te: & non relinquent in te lapidem super lapidem, qui non destruatur.*

Hanc autem funestissimam cladem multis antè seculis Dominus magnificentissima quadam visione Isaiæ patefecit, quæ huius Euangelij propria est, ideoque à nobis hoc in loco referẽda: sic enim Propheta, Vidi, inquit, Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, & ea quæ sub ipso erãt replebant templũ. Seraphim stabant super illud: sex alæ vni, & sex alæ alteri. Duabus velabant faciẽ eius, & duabus velabãt pedes eius, &

duabus volabant; & clamabat alter ad alterum & dicebat, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum; plena est omnis terra gloria eius. Et commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis, & Dominus repleta est fumo, &c. usque ad illum locum, Donec desolentur ciuitates absque habitatore, & domus sine homine, & terra relinquetur deserta. Hactenus Prophetæ verba: in quib^9 multa sunt obseruatione dignissima: quæ à nobis alio in loco explicata sunt. Sed illud imprimis, quod est huius loci proprium, adnotandũ est, quanta maiestatis suæ ostensione Dominus & futurã populi Iudaici vastationem & eius causam, hoc est, mẽtis cæcitatem à diuturna peccati consuetudine prouenietem, voluerit explicare. Quòd autem Propheta Dominum super solium excelsum & eleuatum sedentem se vidisse ait, altissimam eius & imperscrutabilem naturam hoc indicio declarare voluit; quã nulla creata mens comprehendere potest. Quòd verò ait, ea quæ sub ipso erant replere templum, alij vestimentorum eius fimbrias transtulerunt, quæ templum in quo Deus habitabat, replebant. Templum autem Dei esse
Lib. 6. de perenni Phil. ca. 6. hunc mundum Philosophi quoque senserunt. Sic enim Plutarchus, Eugubino referente; Templum, inquit, sanctissimũ, sacerrimumque, est mundus. In hunc introducitur homo per generationem, non quidem imaginum, quæ manibus fiunt, spectator, sed quę diuina illa mens (vt ait Plato) sensibilia ad exemplum intelligibilium, insitum vitæ & motus principiũ habentia proposuit, Solem, & Lunam, & Astra, & flumina noua semper aqua exuberantia; terram quoq; plantis & animalibus alimentum suppetentem. Hactenus ille. In hoc igitur templo creaturæ omnes, Dei laudes prædicant, dum immensam eius sapientiam, potentiam, bonitatem, & singularem prouidentiã declarant. Cùm autem vestimentorum eius fimbrias hoc templũ replere ait, infinitam illius potentiam & maiestatẽ designat, quæ per omnes mundi partes intenta, omnia replet, omnia sustinet, omnia moderatur & regit. Hunc autem Dominum Propheta Seraphicis spiritibus vallatũ vidit, qui flagrantissimo eius amore incensi, immensam illius sanctitatem & gloriã incessabili voce prędicabant, & omnes cęlestes spiritus exemplo suo ad cõmunis Domini laudes decantandas inuitabãt. Quòd verò ait commota fuisse superliminaria cardinum à voce clamantium, & domum repletã fuisse fumo, Dei potẽtiam & incomprehensam
Psal. 103. eius naturam designat, qui (vt regius Vates ait) respicit terram, & facit eam tremere: tangit montes & fumigant. Quid autem fumus

fumus hic significet, idem Vates exposuit, cùm de eodem Domino loquens dixit, Posuit tenebras latibulum suum: quia videlicet ad plenam eius cognitionem nulla mens creata possit aspirare. Cùm autem Isaias hanc tantam Domini maiestatem & gloriam cerneret, & acri laudandi eius desiderio cum beatis illis spiritibus æstuaret, nec tamen impuris labiis hoc auderet, vehementer angebatur. Quam eius pœnitentiam salutaris postmodũ medicina cõsecuta est. Volauit enim ad eũ vnus ex seraphicis illis spiritibus, sumptoq. ex altari Dei carbone ignito, labia eius tetigit, atque mundauit. Huius autem igniti carbonis nomine charitatis ardor, atque diuina gratia significatur, qua omnis peccatorum illuuies atque rubigo mundatur. Vbi autem Propheta hoc modo se purgatum, diuinaque gratia insignitum vidisset, seipsum intrepidè ad legationem Domini obtulit dicens, Ecce ego, mitte me. Cui Dominus, Vade, inquit, & dices populo huic, Aure audietis, & non intelligetis, &c. Hoc est, Denũtia illi summã animi tarditatem, & obstinatæ mentis stupiditatem, & oculorum execrabilem & detestandam cæcitatem, ne videant oculis suis, auribusq. salutarẽ disciplinam accipiant, & hac ratione ab insita improbitate conuersi, sanitatem à me cõsequantur. Hæc est, fratres, pœnarũ omnium maxima, qua Deus obstinatos in sceleribus suis homines in hac vita plectere solet, dũ propter assidua eorum scelera in hunc mentis stuporem & caliginem cadere permittit; quo fit, vt videntes non videant, & audientes non audiant, & intelligentes non intelligant.

Psal. 17.

Esaiæ 6.

Cęterùm Propheta huius supplicij magnitudine perterritus, quo intelligebat gentem suam propter scelerum immanitatem esse à Deo deserendam, scire voluit, quis tandem esset modus huic tantæ cladi statuendus. Itaque ait, vsquequo Domine? hoc est, vsquequo gens hæc miserrima propter scelera sua ope tua nudata iacebit? Vsque eò (inquit Dominus) dum Iudęæ ciuitatibus extremum exitiũ & vastitas inferatur: neque ciuis vllus reliquus à tanta calamitate fiat, & domus ab omni cultore deserantur, omnisque regio in summam solitudinem redigatur. Homines autem Deus in longinquas terras expellet, multisque seculis Iudæa erit in medio orbe terrarum diuino præsidio destituta. Hactenus Isaiæ visio: in qua ad verbum penè eam cladem, quam Dominus in hoc Euangelio piissimis lachrymis lamentatur, simul & causam eius descriptam videtis. Quod enim Propheta ait, ciuitatem in solitudinem redigendam, & ciues omnes ab ea exterminandos, hoc Dominus innuit, cùm

 ciuita-

ciuitatem funditus proſternendam ait, adeò vt neque lapis ſu-
per lapidem in ea relinquatur. Similem etiam vtrobique huius
tantæ calamitatis cauſam cernimus. Quòd enim Saluator ait,
hęc omnia accidiſſe, eò quòd ciuitas non cognouerit tempus vi-
ſitationis ſuæ, hoc Propheta deſignauit, cùm execrabilem Iu-
dæorum cæcitatem, & ſtuporem huius tanti mali cauſam eſſe
dixit: qui cùm quotidiè Dominum docentem audirent, ſicani-
mo affecti erant, vt audientes non audirent: & cùm clariſſima
ſigna in oculis & aſpectu eorum ederet, videntes non viderent,
Matt. 12. quando illi dicebant, Magiſter, volumus à te ſignum videre;
Adeò enim cæcitatis morbo perculſi erant, vt inter tot, tam ma-
Ioan. 15. gnifica ſigna, ſignum quærerent. Cuius cæcitatis pœnam idem
Dominus deſignauit, cùm dixit, Si ſigna non feciſſem in eis,
quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem ex-
cuſationem non habent de peccato ſuo. Hoc idem Dominus in
hac legatione nuntiari præcepit, cùm dixit, Audite audientes &
nolite intelligere; & videte viſionem, & nolite cognoſcere. Et
tota autem hac adeò lamẽtabili hiſtoria, fratres, intelligimus in
quanto ſalutis diſcrimine verſentur ij, qui peccata peccatis, &
ſcelera ſceleribus addere non ceſſant. Hac enim praua conſue-
tudine eò tandem deueniunt, vt in hunc mentis ſtuporem &
cæcitatem incidant. Ex hac autem cæcitate illud conſecutum
eſt, vt miſeranda ciuitas viſitationis ſuæ tempus ignorans, tan-
dem funditus euerteretur. Quam rem Dominus comparatione
Iere. 8. auium per Prophetam exponit, cùm ait, Miluus in cælo cogno-
uit tempus ſuum: turtur, & hirundo, & ciconia cuſtodierunt
tempus aduentus ſui; populus autem meus non cognouit iudi-
cium Domini. Quo exemplo populi ſui cæcitatem exaggerat,
qui & rationis, & fidei, & ſcripturarum ſanctarum lumine in-
ſtructus, non agnouit quod auiculæ rationis expertes norunt:
quæ pro temporum varietate, & cælum & loca incolumitati ſuę
apta commutare ſolent.

II.

Sed Iudæos miſſos faciamus fratres, & ad nos ipſos venia-
mus; ad quos hæc Dominica viſitatio, & allata in mundum pax
non minusquàm ad illos pertinet. Diximus autem, pacis no-
mine non pacem hanc ſolùm, quam cuncti hoc nomine intelli-
gunt, ſed bonorum omnium, ſpiritualiumque diuitiarum com-
plexionem ſignificari. Itaque locus hic admonet, vt de his diui-
tiis, quas ſecum Chriſtus Dominus in mundum attulit, diſſera-
mus. Quo genere argumenti nullum vel vtilius ad ſalutem, vel
iucun-

iucũdius ad voluptatem, vel honestius ad virtutem auribus nostris insonare potest. Hoc est enim quod propria ac singulari ratione Euangelium, id est, faustum & lætum nuntium appellatur. Ex cuius argumenti tractatione quid Redemptori nostro, tantorum bonorum auctori debeamus, quantoque erga illum amore exardescere teneamur, facilè intelligemus; & si huius beneficij magnitudinem neq. verbis explicari, neque mẽte etiam pro dignitate concipi posse, apertè Isaias profitetur cùm ait, Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te: ex duplici tamen coniectura, hoc est, maiestate redimentis, & sacrificij dignitate quod is pro nobis obtulit, aliquid intelligere licebit. Cùm enim redemptionis nostræ opus vnigenito Dei filio paternæ gloriæ consorti demandatum fuerit, quas opes, quæ dona, quæ gratiarum munera ab illo expectanda nõ erant? Num vacuus & inops ad nos rerum omnium Dominus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi, venire debuit? Non vtique, sed tantis opibus atque diuitiis redundans, quantas nulla mens, neque hominum, neque Angelorum concipere queat. Quas opes Apostolus inperuestigabiles appellat, quòd earum dignitatem & magnitudinem nulla vis ingenij inuestigare, & iustis ponderibus librare queat. Hinc regius Vates, Apud Dominum, inquit, misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Verè copiosa, quæ tantis diuinæ gratiæ opibus locupletata est, vt multò maius pretium pro captiuorum redemptione Deo patri persolutum sit, quàm quod illi debebatur. Hoc est enim quod Isaias significauit cùm dixit, Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Hoc est (vt quidam interpres ait,) satis abundè fuit diuinæ iustitiæ pro hominum peccatis satisfactum. Multò namque maius pondus est in pretio pro eorum criminibus expiandis persoluto, quàm fuit grauitas scelerum, qua in se Deum irritauerant. Multò igitur maiores opes à Domino Christi meritis, atque religione consequenter, quàm propter peccatum à se perpetratum atque nefarium scelus amiserant. Harũ verò opum magnificentiam idem Vates sanctus declarat, cùm ait, Repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientis. Non potuit apertius alia similitudine harum diuitiarum opulentiã designare, quàm cùm eas aquæ maris comparauit. Neque hoc contentus addidit, maris operientis, hoc est, cùm mare in plenilunio inundans, longè latèque littora sua complet.

Esaiæ 64. Coloss. 2. Ephes. 3. Psal. 129. Esaiæ 40. Esaiæ 6.

Has igitur tantas opes, has salutis diuitias, sapientiæ videlicet

Luc. 1. & gratiæ secum Christus Dominus importauit, cùm per viscera misericordiæ suæ visitauit nos oriens ex alto. Hãc eandẽ bonorum affluentiã, & visitationis gratiam regius Propheta aptissima aquarũ similitudine significauit cùm dixit, Visitasti terram, & inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam. Flumen Dei repletum est aquis. Aquarũ autem nomine diuinæ gratiæ opes in literis sanctis significari, & notissimum est, & à nobis alibi in loco fusius explicatum. Aqua enim sordes purgat, terrã fœcundat, calorẽ temperat, sitim restinguit: quæ omnia in genere suo diuina gratia plenissimè in mentibus piorum operatur: Quin & in hoc spiritualis hæc aqua aquę elementaris vim & naturam superat, quòd salit in vitam æternã, vnde ipsa ad nos descendit: insuper & vitã habentibus tribuit: ideoque aqua viua à Saluatore in Euangelio nuncupatur. Quo fit, vt non immeritò literæ sanctæ diuinæ gratiæ vim aquarum nomine designent. Qua autem vbertate & copia, aquæ istæ in mundum per hanc visitationem effusæ sint, satis apertè hoc in loco Vates sanctus inebriandi, locupletandi, & replendi verbis declarauit. His enim ingentem huiusmodi aquarum, hoc est, omniũ gratiarum vim & copiam voluit designare. Nec tamen aquæ istæ velut fons ille ex libro Canticorum occlusæ, atque signatæ sunt, sed omnibus haurire volentibus palàm expositæ; sicut per Prophetam Dominus pollicitus est cùm ait, Erit fons patens domui Dauid, & omnibus habitantibus in Hierusalem in ablutionẽ peccatoris & menstruatæ. Patens, inquit, fons, non signatus; vt quisquis voluerit bibere, & animæ suæ sordes abluere, bibat aquam vitæ gratis. Vtrumque autẽ, hoc est, gratiarum abundantiam, & hauriendi facultatẽ Isaias explicauit, cùm de Ecclesiæ opibus disserens, eam esse ait locum fluuiorũ, riuos latissimos atque patentes.

Psal. 64.

In concione de Samaritana.

Ioan. 4.

Cant. 4.

Zach. 13.

Esaiæ 41.

Nec satis Domino fuit, aditum omnibus ad hanc tantã gratiarum inundationẽ sine personarũ acceptione patere voluisse; ipse etiam per se maxima voce ad eas hauriendas inuitare plus quàm paterna charitate & indulgentia dignatus est. Sic enim apud Ioannem legimus, In nouissimo die magno festiuitatis stabat Iesus & clamabat, Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me (sicut dicit scriptura) flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc est, mens eius diuinæ gratiæ opibus implebitur, quæ illi vitam gratiæ simul & gloriæ, id est, vitam sanctissimam felicissimamque tribuãt. In quibus verbis sanctus Euangelista flagrantissimam Domini charitatem, & ardentissimam de ho-

Ioan. 7.

de hominibus benemerendi studiũ declarauit, cùm in die festo Dominum clamasse dixit: Non enim pro festis diebus, quibus rari sunt hominum conuentus, sed in magno festiuitatis die, vbi celebres sunt, Dominus ad has aquas inuitabat: nec consueta & familiari voce sedens, & populũ (vt solebat) alloquens, sed stans, maxima voce clamabat, Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Quid igitur his amplius humana mens desiderare queat? Quis hîc apertè clementissima misericordiæ Domini viscera non agnoscat? Quasi enim ipse nostra opera egeret, vt felicitatem suam tueretur: ita nos ad se tot modis aduocat & inuitat: tantamque nobis cælestium donorum copiam, qua ad illum peruenire valeamus, subministrat. O immensam Dei nostri bonitatem; ò ineffabilem erga genus hominum charitatem; ò perpetuis laudibus celebrandam atq. prædicandam benignitatem! An non igitur hoc in loco verè dicere possumus, ruptos fuisse fontes abyssi magnæ, & cataractas cæli apertas fuisse, & hanc tantam gratiarum pluuiam effusam fuisse super terram? Quæ tamen omnia quamuis incredibilia humano sensui videantur; credibilia tamen erunt, si personæ redimentis maiestatem & dignitatem expendamus, quã Propheta designauit cùm dixit, Deus ipse veniet, & saluabit nos. Quid enim nobis à tali Saluatore sperare non liceat? Hunc igitur tantæ salutis auctorem, qui nos tanta bonorum diuinorum copia cumulauit, non ardenter amabimus? non in animis semper habebimus? non laudes illius perpetuò concinemus? non omnes curas & cogitationes, non omnia vitæ consilia ad cultum illius conferemus? non denique præ amore illius, vitã negligemus? Capitale profectò, dirissimumq. in nos scelus admittimus, & iniquitatis impia fraude obligamur, cùm hoc maximè debitũ officium, quod Deus à nobis præcipuè requirit, non præstamus.

Genes. 7.

Esaiæ 35.

III.

Nunc denuò, fratres, ad nos ipsos veniamus, & causam nostrã cum Iudæorum causa comparemus. Constat autem, hanc pacem, quam Dominus commemorat (hoc est, hanc tantam felicitatem, tantam cælestiũ donorum & gratiarum vbertatem) non minus nobis quàm Iudæorum populo oblatam fuisse. Iesus Christus enim heri, & hodie, ipse & in secula. Sic enim cælestis Pater filium per Prophetam alloquitur: Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israël conuertendas. Dedi te in lucẽ Gentium, vt sis salus mea vsq. ad extremum terræ. Vtrique igitur populo, & Iudæorum, & Gentium

Esaiæ 49.

hæc salus à Domino missa est. Quid igitur minus nos, quàm illi percepimus? Illi præsentem Dominum viderunt, salutarem eius doctrinam audierunt, clarissima eius miracula, & virtutum omnium exempla contemplati sunt: quid horum quæso nobis modò deest? Hæc omnia in Euangelicis literis Spiritu sancto dictante testificata, descripta, & consignata sunt. Ibi cælestem illam doctrinam, ibi diuina miracula, ibi humilitatis, lenitatis, charitatis, Euangelicæ paupertatis, insuperabiles patientiæ, & altissimę eius obedientiæ exempla legimus. Quòd verò ad Domini præsentiam attinet, ille qui fallere non potest, nobis eam memorabilibus his verbis pollicitus est; Ecce ego vobiscū sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Quòd si aliam præsentiam requirimus, adest idem ipse in sacratissima Eucharistia, sub aliena tamen forma velatus; quem fidei oculi verè præsentem contemplantur. Et olim quidem ad totius mundi salutem in mundum venit; modò autem per sacram Eucharistiæ sumptionem in vniuscuiusque hominis pectus, mentemque descendit. Itaque in terra nobiscum manens, curam nostri gerit; neque hanc in cælo remittit, cùm inde nos spiritu suo regit, dirigit, atque defendit, & pro nobis apud patrem intercedit. Quid ergo minus nos hoc tempore, quàm Iudæi olim habuerunt?

Matt. 28.

Nunc consequēs est, vt videamus, an nos quoque, qui similibus beneficiis affecti sumus, visitationis nostræ tempus agnouerimus, & his diuinis donis ac beneficiis, quæ nobis ad iustitiam data sunt, in ea profecerimus. Vereor fratres, ne lachrymæ Domini multorum ex nostris cæcitatem deplorent. Vereor ne de nobis quoque ipse dicat: *Si cognouisses & tu & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi* subaudi, data est; quam tamen percipere noluisti. Quàm multi enim inter fideles sunt, quibus perinde venit Christus quasi omninò non venisset; qui nec eius doctrina quicquam proficiunt, nec clarissima virtutum eius exempla sibi ad imitandum proponunt; nec magnificentissima eius beneficia mente retractant, nec sacratissimæ passionis eius mysterium memori & grato animo recogitant; nec immensas bonitatis & misericordiæ eius diuitias, quas in hoc opere nobis ostendit, ante oculos ponunt, vt eius amore accendatur; nec ad sacramentorum eius medicamenta & præsidia, nisi vi coacti accedunt, vt à morbis animæ curentur, & in virtutis studio roborentur. Quid autem mihi prodest, quòd cælesticus tot secum medicamenta afferens, in mundum venerit, si ego nec medi-

cum

cum audio, nec sacramentorum medicamenta, quæ is mihi gratis offert percipere volo?

Itaque, fratres, hæc tanta cælestium donorum copia, quæ per Euangelicam gratiam in mundum inuecta est, vt piis, & obsequentibus, & gratis animis flagrātissimæ erga Deum charitatis materiam præstat; ita contrà improbis, qui ea ad falsam spem, & inanem confidentiam abutuntur, maioris damnationis occasionem præbet. Vt enim beneficiorum magnitudo amorem erga benefactorem & obsequendi studium accēdit; ita contra eorundem abusus atque neglectus maiorem damnationis cumulum parit. Quam rem apertè illa Domini comminatio testatur, Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida. Cur ita Domine? Quia, inquit, si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent. Illius igitur adeò tremendæ cōminationis causa extitit, quòd ciuitates illæ tot Domini miraculis & exemplis ad fidem & officium excitatæ, neutra in re quicquam profecissent. Videtis, fratres, cuius periculi sit magna Domini beneficia, magnaq. ad salutem adiumenta percepisse, nec illis quicquam profecisse?

Verùm hæc ipsa exempla longè, multumque superat, quod in sacra huius diei lectione nobis ob oculos ponitur: in quo summam Domini misericordiam, summamq. rursum iustitiæ seueritatē animaduertere licet. Quæ enim maior misericordia, quàm ipsum cælorum & Angelorum Dominum sub humana forma Iudæam visitasse, & admirandis atque diuinis operibus ac beneficiis homines ad diuinitatis & felicitatis suæ cōsortium euehere studuisse? Quid hoc beneficio, quid hac misericordia, quid hac Dominica dignatione mirabilius? Quanta verò illa iustitia, quæ rebellem & obstinatum populum, nihil his tantis diuinæ gratiæ opibus proficientem, tam ingenti clade vastandum, diripiendum, atque dilacerandum, & ferro, fame, atque captiuitate demoliendum tradiderit? Si isti igitur tam atroces rebellionis suæ pœnas dederunt, quòd diuina beneficia neglexerunt, quid nos timere par est, qui (vt antè diximus) eadem beneficia percepimus, nec tamen illis meliores effecti sumus. An non æquum est, vt aut similem pœnam, aut etiam maiorem vereri debeamus? Num Deus aut iniustus, aut personarum acceptor est, vt in simili causa dissimilem ferat sententiam?

IIII.

Itaque cum vnoquoque eorū, qui cæca mente in sceleribus suis perstant, eisdē Domini verbis agere possumus: *Si cognouisses &*

ses & tu. Peruersa quippe anima (vt diuus Gregor. hoc in loco ait) rebus præsentibus dedita, in terrenis voluptatibus resoluta, abscondit sibi mala sequentia, quia prævidere futura refugit, quæ præsentem lætitiam perturbent. Nec minus illi conuenit quod sequitur: *Quia veniunt dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo.* Qui sunt autem capitales inimici nostri, nisi peruersi dæmones, qui instante mortis hora improbi cuiusq. animam circumuallant, omniaq. anteactæ vitæ scelera, quæ ipsi suggesserant, illi ob oculos clarissimè cernenda obiiciunt, vt ad desperationem inducant? Ibi enim fornicationis spiritus omnes præteritæ vitæ labes & turpitudines, velut horrendas quasdam laruas, ibi fœdas cogitationes & desideria & fœdiora illis opera repræsentat. Ibi auaritiæ spiritus rapinas omnes, dolos, fraudes, iniquas lites atque furta obiicit. Ibi superbiæ spiritus ambitionem, fastum, arrogantiã, & aliorum contemptum ad mentem reuocat. Ibi dissensionis & discordiarum autor dissidia, odia, liuorem, iras, & detractiones, & vindictæ cupiditates illi proponit: pro quibus nullũ diuinæ iustitiæ satisfactionis obsequium obtulit. His igitur modis agonizantem ac trepidantem hominẽ hostes obsident & circumuallant. Nec modò vallãt, sed etiam coangustant, cùm illum de salute sua & futura sorte anxiũ atq. solicitum reddunt. Vident enim miseri eo tempore se ad iustissimi iudicis tribunal properare, quem sciũt nec muneribus deliniri, nec dolis decipi, nec cuiusquam potentia à seueritate ad gratiam flecti, nec vllis artibus à recto posse deduci. Vident se inter tẽpus & æternitatem positos, tempus autem præteriisse, æternitatis autẽ infinita spatia instare: in quibus quæ ipsis sors obuentura sit, ignorant. Quanta igitur angustia, quãta hîc trepidatio, & animi angor, & consternatio, & malè actæ vitæ detestatio erit? Quo in loco prudentissima illa D. Greg. verba põderanda sunt; Cogitandum valdè est, quãtum nobis erit terribilis hora nostræ resolutionis, qui pauor mentis? quanta tũc omnium malorũ memoria? quæ obliuio transactæ felicitatis? quæ formido Iudicis? Quid ergo esse nobis de præsentibus ad delectationẽ debet, quando cunctis simul transeuntibus, nõ valet transire quod imminet? quãdo & hoc funditus finitur, quòd diligitur, & illud incipitur, vbi dolor nunquam finitur? Tunc maligni spiritus egrediente anima, sua opera requirũt. Tunc mala quæ suaserunt, replicant, vt sociam ad tormẽta trahant. Hactenus Greg.

Quæ cùm ita sint, fratres, cùm hic exitus omnib⁹ immineat, nemoque ab hoc terribili agone inter Adæ filios immunis sit; cumque

cumq. extremus hic dies tota vita, atq. adeò de tota æternitate sententiam laturus sit; quid aliud agere, quid cogitare, quid moliri debemus, nisi vt in hoc agone expediti & parati inueniamur? Verè enim Christiani hominis vita nihil aliud, quàm continua ad mortem præparatio esse debet. Hoc enim Saluator esse voluit, cùm nos tot parabolis propositis ad semper vigilandum inuitauit, quòd aduentus eius dies, & hora ignota nobis esset: in qua non de fortunis, terrenisq. possessionibus, sed de sempiterna vita, aut sempiterna morte ferenda sententia est. Quæ cùm ita sint, fratres, omnem planè superat admirationem, eos qui ista firmissima fide tenent, sibique hunc extremũ vitæ agonem imminere sciunt, adeò securè agere, nullaq. omninò huius tanti periculi (quod omnia superat) solicitudine tangi. Hãc autem extremam hominum cæcitatem & amentiam, proposita hac similitudine, coarguere & ostendere volo.

Si Rex aliquis potentissimus certò sciret Regem alium non minore potentia præcellentem, copiosum exercitum instruere, vt ipsum bello sanguinolento lacessere, & regno spoliare posset; quæro à vobis, quid is faceret, qui bello lacessendus erat? Facile quisque vestrûm respondebit, non minori ardore & contentione hunc arces munire, arma vndique comportare; equites, & milites, & strenuos belli duces quærere, nõ dies, neque noctes, & ipsum, & omnes regni proceres ad hac cura & labore cessare. oportere vt non modò aduentantis regis iniuriam propulsare, sed regno etiam & opibus eius potiri possent. Itaque duplici stimulo ad hoc studium vrgerentur, altero alieni regni cupiditate, altero sui tuendi studio, ne videlicet in manus hostium incidentes, cum ipso regno vitam & libertatem amitterent. Hęc ita fieri debere nemo sanus, imò nec insanus negabit. Cùm ergo nos omnes fidei lumine eruditi, sciamus aliud longè maius periculum vnicuique nostrûm in agone mortis & extremo illo iudicio impendere; in quo si parati & bonis operibus instructi reperiamur, & cælestis regni coronã consequemur, & sempiterna pœnarum incendia euademus. Contrà verò si à causa cadamus, & sempiternũ illud regnũ amittemus, & in sempiterna supplicia nunquàm inde extrahẽdi detrudemur; quid aliud quæso in vita agere, quid animo versare, quid dies noctesq. vigilantes, atque adeò dormientes tractare deberemus, quàm vt in illo extremo & summo periculo parati & expediti inueniamur? Quis quæso hoc nõ videat? quis negare audeat? Quæ mens, quæ ratio, quod iudiciũ hac firmissima ratione nõ conuincatur? Quis extremam homi-

hominum cæcitatem, vel hoc vno argumento non intellig[...] qui hoc tantùm, quod cuique impendet periculum, nec vide[...] nec cogitant, nec se ad illud opportunè præparant? Et quid[...] non vtrobiq. par ratio, & par periculum est. Illic enim sola[...] reni regni, quod cum vita simul finitur, iactura interuenit[...] hîc non de terreno, sed de cælesti; non de tẽporario, sed æte[...] regno vel amittendo, vel assequẽdo causa versatur. Vnde qu[...] tum cælestia terrenis, & sempiterna caducis antecellunt, [...] tùm hoc, vel lucrum, vel damnum illi quod descripsimus, [...] testat. Quis ergo, fratres, nos ita dementauit? quis sic excæca[...] quis has tam densas tenebras, quæ ferè manibus palpari po[...] sunt, oculis nostris obduxit, vt hanc tantam rem nec videam[...] nec curemus, nec vlla eius recordatione tangamur? Hoc ve[...] num argumentum satis est, vt intelligamus esse in mundo pri[...] cipes tenebrarum, suggestores, incentoresque malorum, qui [...] præstigiis suis horribiles tenebras mẽtibus nostris ita iniiciu[...] vt in meridiana luce caligemus: & suggestionibus ad malum [...] incitant, vt quæ fortè iudicio & ratione dãnauimus, ampleca[...] mur. Eorum quippe opera fit, vt si interdum hoc efficacissimo exemplo quod induximus, mens nostra conuincatur, nec possi[...] manifestè veritati reluctari; voluntatem tamen prauarum affe[...] ctionum vinculis adeò vinctam & captiuam tenet, vt miser ho[...] mo sciens, videns, credens, & intelligens quod rectum est, pe[...] rire velit.

Quid ergo superest, fratres, nisi vt quicumque rectè sapit, qui salutem suam charam habet, qui huius periculi magnitudinem fidei oculis cernit, nihil aliud vitam suam, quàm perpetuam vigiliam, & præparationem ad mortem esse credat; mortemque semper ante oculos habeat, eamque sibi (quemadmodum Climacus monet) indissolubili matrimonij vinculo de- *Climac.* spondeat, vt cum illa simul cibum capiat, cum illa dormiat, & cum illa à somno excitatus vigilet; meatq. semper in vita mortem, vt mortis metum euadere possit. Quò enim illam absentem magis timuerit, hoc præsentẽ minus timebit. Beatus enim homo qui semper est pauidus. Nulla autẽ cõmodior ad mortem præparatio, quàm vt vnoquoq. die sic cogitationes, sic verba, sic opera nostra dirigamus, quasi eo die ante superni iudicis tribu- *Idem.* nal sistẽdi essemus. Vt enim idẽ Climacus ait, Non est piè præsentem diẽ pertransire, nisi eã vltimã esse vitæ nostræ existimemus. Quod nobis concedere dignetur Christus Dñs, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit, & regnat in secula seculorũ. Amen

IN

IN EADEM DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN CONCIO II.

in qua post Euangelicæ lectionis explanationem occasione excidij Hierosolymitani, quod in Euangelio continetur, de diuinorum iudiciorum seueritate & odio aduersus peccatum disseritur.

The. *Venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te, & ad terram prosternent te.* Lucæ 19.



Hodierna S. Euangelij lectio, dilectissimi, funestissimum Hierosolymitanæ vrbis excidiũ, quod piissimis lachrymis saluator prosecutus est, continet. Quæ res cùm diuinę iustitiæ magnitudinem nobis ob oculos ponat, ad timorem Dei & peccati odium nos vehementer accendit. De hoc igitur salutari timore in præsenti concione disserere constitui, si prius tamẽ Euangelicam historiam, quę huius argumenti fundamentum est, explanauero. Quod vt piè & religiosè præstare valeam, cælestem opem sacratissimæ virginis interuentu suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

EO IPSO die, quo Dñs Hierosolymis appropinquãs, cum ramis palmarum atque oliuarum, communique totius vrbis lętitia & acclamationibus exceptus est: ipse inter voces laudantium atque dicentium, Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israël, longè alio affectu perculsus, *Videns ciuitatem, fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses & tu: & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi; nunc autẽ abscondita sunt ab oculis tuis, &c.* quæ sequuntur vsque in finem.

Cùm Sanctus Patriarcha Iacob ex Mesopotamia rediret, magnoque fratris Esau propter ereptam benedictionem metu quateretur; obuium Angelum, qui Dei personam gerebat, habuit; à quo & benedictionem, & nouum fortitudinis nomen accepit. Cumque sanctus Patriarcha eius nomen requireret, hoc ab eo responsum tulit, Cur quæris nomen meum, quod est mirabile? Idemque responsum Manue patri Samsonis Genes. 32.

hoc

hoc ipſum interroganti datum eſt. Ex quibus locis, quàm ſit Deus tum in ſe, tum in operibus ſuis mirabilis, intelligimus. Id adeò verum eſt, vt nihil in rebus naturæ adeò exiguum, atque deſpicabile ſit, quod non magnam rectè Philoſophantibus admirationis materiam præbeat.

Sed cæteris rebus omiſſis, hoc in loco quàm ſit mirabilis Deus in iis rebus, quæ ſecum pugnare videntur, inſpiciamus. Hoc eſt, quàm ſit mirabilis in miſericordia, & mirabilis in iuſtitia, mirabilis in dilectione erga bonos, & mirabilis in odio erga malos, mirabilis in indulgentia & ſuauitate, qua pios reficit ac recreat, & mirabilis in acerbitate, qua impios torquet & exagitat. Vtriuſque autem rei nobis literæ ſanctæ exempla affatim ſuppeditant. Vt enim alia diuina volumina prætereamus, vnus Canticorum liber ſatis indicat, qualis ea ſit indulgentia, & benignitas, quales ſint illæ delitiæ, quibus puras mentes cæleſtis ſponſus oblectare ſoleat.

Cæterùm qua ſeueritate ſceleratos & impios homines tractet, omnia Prophetarum volumina, quę furorem & iram indignantis Domini aduerſus illos denunciant, apertiſſimè declarant. Legat quæſo pius auditor quintum Ezechielis caput, in eo enim horrendas diuinæ iuſtitiæ minas, quæ ipſum obſtupefaciant, deprehendet. Quis autem adeò ferreus erit, qui dum hęc animaduertit, non totus corde & corpore contremiſcat? nō Dei indignantis iram pertimeſcat? non acerbiſſimum & ſummum odium, quo impium, & impietatem eius execratur, agnoſcat? Qua in re apparet, quãtum diuina natura, atq. (vt ita dixerim) ingeniũ ab humano diſtet. Homines namque, qui natura ipſa ad miſericordiam propenſi ſunt, in ſceleribus vindicandis blandius ac remiſſius ſe gerunt: contrà verò qui propius ad ſeueritatem accedunt, ab omni miſericordiæ & lenitatis affectu magis alieni ſunt. Contrarij namq. affectus ſe quodãmodo impediũt, atque alter alteri ſic obſiſtit, vt quo alter fuerit intenſior, alter ſit remiſſior. Quæ res à diuinitatis natura alieniſſima eſt; quæ quamuis ad miſericordiam, quàm ad iuſtitiam ſit propenſior; adeò tamen plenè vtramque hanc virtutem amplectitur, vt alterius plenitudo, atque perfectio alteri impedimento non ſit. Hoc ipſum autem (vt alia ſcripturæ loca prætereamus) ex hodierna S. Euãgelij lectione diſcere poſſumus; in ea enim vtriuſque virtutis huius clariſsima exempla animaduertere licet. Quantùm enim diuinæ iuſtitiæ opus fuit, Hieroſolymitanæ vrbis excidiũ, atque vaſtatio: in qua vndecies centena hominum

millia

millia ferro, fame, & peste interempta, & nonaginta septẽ millia post excidium ciuitatis in captiuitatẽ abducta sunt? An igitur post diluuium, in quo vniuersus orbis aquarum inundatione interiit, similis clades in toto terrarum orbe, vel visa, vel audita est? Quantum igitur Dominus in hac vastatione seueritatis, atque iustitiæ suæ significationem dedit? At quanta illa pietas & misericordia, quæ hanc funestissimam cladem longè antè præuisam, amarissimis lachrymis prosecuta est? Ter enim in vita Dominum plorasse legimus. Semel quidem in quatriduani Lazari resurrectione propter Iudæorum incredulitatem, atque perfidiam, quæ nec illo tanto miraculo erat fidem perceptura. Ac deinde in cruce moriens, quando cum clamore valido, & lachrymis seipsum pro nobis hostiam obtulit Deo Patri. Et postremò hoc in loco, cùm instante mortis suæ tempore, non quidem imminentem mortem suam, sed futuram eius verbis, & gentis vastationem fusis lachrymis lamentatus est. Hæc enim gentis illius clades multò magis eius piissimum animum, quàm mors, quæ illi imminebat, sauciauit. Quod apertè mulieribus ipsum, cùm ad crucẽ pergeret lamentantibus, significauit, cùm ad eas conuersus dixit: Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros: quia ecce venient dies, in quibus dicent, Beatæ steriles, & ventres quæ non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Quas voces in huius vrbis obsidione feminas iactasse certum est: quando eò famis diritas processit, vt matres repudiato naturæ sensu, infantes suos iugularent, & in alimentum verterent. Luc. 23.

Futuram verò miserandæ ciuitatis cladẽ describit his verbis: *Quia venient dies in te, et circũdabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coangustabunt, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui sunt in te. Et non relinquent in te lapidem super lapidem qui non destruatur.* Cùm autem omnia hæc quadragesimo post passionem Domini anno impleta fuisse sciamus (quæ tanto antè fusis etiam lachrymis à Domino prędicta sunt,) quis vel hoc argumento non intelligat, nequaquàm humanæ, sed solius diuinæ sapientiæ fuisse, hæc omnia prædixisse!

Sed quemadmodũ hac tam insigni clade diuinæ iustitiæ magnitudinem & peccati grauitatem agnoscimus; ita in hac ipsa vindicta eiusdem misericordiam spectare licet. Quadraginta enim annorum spatium sceleratis hominibus dedit, vt pœnitentiæ lamentis admissum facinus expiarẽt; quo tamen vti noluerũt. Sic enim Dominus vindictæ suæ seueritatẽ temperauit,

vt resipiscere volentibus, pœnitendi spatia cõcederet. Sic eti ante diluuium centum & viginti annos hominibus ad pœ tentiam contulit: quibus tamen illi deteriores eff ecti sunt. etiam antequàm Hierosolymam, & templum Chaldæo armis demoliendum traderet, Hieremiam Prophetam ex tris vtero sanctum præmisit, qui Dei nomine pacem illis re ret, & ad scelerum pœnitẽtiam multis antè annis excitaret funditus perire mallent. Cumq. tot monitis populus adeo flecteretur, vt etiam Prophetam ipsum in vincula cõiiceret, stissima in illum Dominus iracundiæ suæ tela contorsit. Ea igitur misericordia Dominus, eademq; seueritate in hoc dem vrbis excidio vsus est.

Luc. 1. Quæ autem hujus tantæ calamitatis causa extiterit, dec protinus Saluator cùm subdit, *Eò quòd non cognoueris te visitationis tuæ.* Visitauit enim gentem illam Dominus ori ex alto, omnia secum bona afferens, quibus sedentes in tene & vmbra mortis illuminaret. Quod tamen illa beneficiũ non agnouit, vt etiam tantæ salutis auctorẽ morte mulctar

I.

Sed Iudęos missos faciamus, & ad nos ipsos veniamus, fra quos multis modis visitare Dominus solet. Visitat enim cùm beneficiis ad sui amorem excitat. Hoc autem modo Pro

Psal. 105. pheta visitari petebat cùm diceret, Memento nostri Domine beneplacito populi tui: visita nos in salutari tuo, hoc est, tu nobis salutem & opem impartiendo. Visitat etiam, cùm Pr phetas & doctores, & verbi sui ministros mittit, qui nos erudi qui salutis & sempiternæ felicitatis iter ostẽdant. Sic olim cu Dominus viduæ filium à morte reuocasset, clamauit popul

Luc. 7. Quia Propheta magnus surrexit in nobis; & quia Deus visit uit plebem suam, ad quam talem Prophetam & iustitiæ doct rem destinauit. Præcipuus tamen visitandi modus est, cùm ce santes, & nihil his vocibus aut beneficiis proficientes, immi plagis in viam iustitiæ reuocare conatur. De quo visitationis ge

Psal. 88. nere per Prophetam ait; Si autem dereliquerint filij eius lege meam, visitabo in virga iniquitates eorum. His ergo modis po pulum suum visitare Dominus solet. Ad cuius voces multi obsurduerunt, vt neque beneficiis emolliantur, neque moni externis aut internis commoueantur, neque vllis aut plagis aut verberibus in viam reducantur. Diuturna enim peccandi co suetudine in naturam quodammodo versa, veluti callos qui dam in anima obduxerunt, quibus insensibiles penè ad h

omn

omnia effecti sunt. Fortis enim ille armatus qui eorum pectora obsidet, aditus omnes per quos lux aliqua illis affulgere possit, diligētissimè obstruere nititur. De illo namq. in lib. Iob Dominus ait, Corpus eius quasi scuta fusilia cōpactum squammis se prementibus. Vna vni coniungitur, & nec spiraculum incedit per eas. Hanc autem dæmonis descriptionem non modò ad illius vim & potentiam declarandam, sed ad statim etiam infelicis animæ quam ille obsidet explicandum pertinere puto. Sic enim illam serpens antiquus contra omnia diuini timoris iacula armat, vt non modò sauciari, sed nec vel tantulum commoueri possit. Hoc est enim quod ait, Nec respiraculum incedere per eas. Inde adeò fit, vt qui sic à dæmone obsessi tenentur, nullis ecclesiæ vocibus, nullis diuinis beneficiis, nullis internis Dei motibus, ac postremò nullis plagis atque verberibus corrigi, & ad meliorem mentem redire velint. Tales autem quemadmodum Pharaonis obstinatum animum imitantur, ita infelicem exitum sortientur: cùm de obduratis mentibus scriptum sit, Cor durum malè habebit in nouissimo. Ibi enim magno suo malo discent, quod hîc intelligere noluerunt. Itaque fratres, si tales Iudæi pœnas dederunt, quia visitationis suæ tempus non agnouerunt, videamus ne nos grauius aliquid patiamur, si visitationis nostræ tempora non agnoscimus. Iob.41. Eccli. 3.

Quid autem Dominus fecerit, quando Hierosolymam cum sollemni illa pompa ingressus est, declarat protinus Euangelista cùm subdit, *Et ingressus in templum cœpit eiicere vendentes & ementes, dicens illis, Scriptum est, quia domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncā latronum.* Matthæus autem addit, illum mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertisse.

Hac autem tam noua & insolita acrimonia Dominus sacerdotum auaritiam apertè notauit: qui in sacro loco commercia vendendi & emendi, ea videlicet quę ad sacrificiorum ritus pertinebant, exerceri sinebant, quòd ea res in ipsorum lucrum & vtilitatem cederet. Quo tempore sic auaritia sacerdotum animos occupauerat, vt sacra omnia penè venalia essent. Hac autem seueritate Dominus penè omnia eius temporis mala à sacerdotum auaritia ortum habuisse ostendit. Quid igitur? An non hunc ipsum auaritiæ morbum in nostris quoque moribus deprehendemus? Vt enim alia omittam, quis hodie sacris initiatur, qui non hoc vitæ genere lucrum & rem familiarem vel augere vel tueri velit? Eò enim Ecclesia his tēporibus deuenit, Matt. 21.

vt quod erat religionis & sanctioris vitæ proposito faciendum, sola lucri cupiditate non rarò fiat, Et profectò inter plagas omnes quibus Ecclesia his temporibus sauciata est, vix est vlla, quæ vel tam latè pateat, vel tantum in mores nostros damnum inferat. Quid ergo ex hac tanta peruersione atque abusu consequi potest, nisi vt qui lucri & vitæ alendæ causa sacerdotium inuaserunt, veræ religionis & sanctitatis obliti, id solùm captare studeant, cuius gratia ad sacros ordines accesserūt? Qua ex re illud etiam sequitur, vt cùm duces & magistri populi cæci sint, omnes quæ illos sequuntur, in foueam præcipitent; & qui piis orationibus atq. operum meritis placare diuinū numen populo infensum deberent, nouis ipsi sceleribus ad iracundiam prouocent. Meritò ergo cælestis magister, qui iustis ponderibus hoc tantum nefas æstimabat, paternæ gloriæ zelo incensus, hac tanta acrimonia aduersus sacerdotū auaritiam incanduit, vt nō modò verbis, sed mensis etiam nummulariorū & cathedris vendentium columbas euersis, hunc animi sui æstum, & rei indignitatē demonstraret. Hactenus, fratres, per singulas Euangelicę lectionis partes decurrimus: nunc quid de tota ea colligendum sit, paulo fusius expendamus. Cùm enim Dn̄s in ea mirabile atq. obstupendū Hierosolymitanę vrbis excidium nobis ob oculos ponat, quem ex hac tanta diuinæ iustitiæ seueritate ad institutionem vitæ nostræ fructū colligere debeamus, solicitè inquirendū est.

TRACTATIO THEMATIS.

II.

Principiò igitur sciendum est, inter præcipuas Christiani hominis opes atque diuitias, quæ ipsum verè diuitem atque felicem reddunt, non postremum locum diuini numinis timorem habere. De eo namque scriptum est, Diuitiæ salutis sapientia & scientia; timor Domini ipse est thesaurus eius. Itaque sanctus hic timor sic cum diuitiis sapientiæ cohæret, vt sit vel initium sapientiæ, vel ipsa etiam sapientia. De qua sanctissimus Iob in illo suo sterquilinio sedens, altissimè philosophatur. Postquàm enim sapientiam summis in cælum laudibus extulisset, & omnia quæ in mundo excelsa & eminentia putantur, comparatione eius nihil esse dixisset, & omnia mundi loca perlustrasset, vt sapientiæ locum atq. domicilium inueniret, ipsamq́. ab omnium viuentium oculis absconditam esse pronunciasset, ne diutius audientiū animos hac tam longa inquisitione suspensos teneret, in fine tandem ait, Ecce timor Domini, ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia. Videtis ergo in quā excelso lo-

Esaiæ 33. | Iob 28. | Iob 28.

co vir diuinus timorē Domini collocauerit? Quid verò sapientissimus Salomon? Nónne eodem in loco timorē Domini posuit? Posteaquàm enim se omnia quæ sub cælo sunt sapienter collustrasse dixisset, vt quid esset hominibus in vita vtile deprehenderet (hoc est, qua in re felicitas hominis sita esset) in fine tandem huius tam longæ inquisitionis ait: Finem loquēdi omnes pariter audiamus, Deum time, & mādata eius obserua; hoc est enim omnis homo, id est, vera hominis felicitas, ad quam est conditus, in hoc Domini timore sita est. Sed quid est quod ait? Omnes pariter audiamus. Nimirū quia in hoc libro Salomon concionatoris officio functus, multos alloquitur. Quo fit, vt in eo multa eius nomine, & multa item auditorum nomine minus veritati cōsona, velut inquirēdo & arguēdo dicātur; quemadmodum D. Greg. lib. 4. Dial. luculenter exponit. Hos igitur omnes ad disputationis conclusionem aduocat dicens, Finem loquendi omnes pariter audiamus, &c. Ex quibus verbis intelligimus, quantus in timore Domini thesaurus reconditus sit. Eccle. 12. Gregor.

Sed inter varias huius timoris laudes non postrema illa est, quam Dominus per Prophetā designauit cùm dixit, Ad quem respiciam, nisi ad pauperculū, & contritum spiritu, & trementem ad sermones meos? Quo fit, vt quicumque verè diues, sapiens, & felix esse cupit, hunc salutarem timoris Domini affectum tota animi contentione alere atque nutrire studeat. Esaiæ 66.

Huius autem argumenti tractatio, cùm ad alia multa, tum præcipuè ad falsam & inanem multorum hominum spem reprimendam confert: qui tota vita in sceleribus suis obstinatis animis perdurantes, salutem sibi & securitatem ex sola diuinæ misericordiæ largitate pollicentur. Nec animaduertunt in Deo non solùm misericordiam, sed iustitiam quoque ad coërcendam improborum petulantiam atque licentiam inueniri. Vnde est illud Ecclesiastici: Ne dixeris, Misericordia Domini magna est: multitudinis peccatorum meorum non recordabitur. Misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius. Hunc igitur aditū, quem sibi perditi homines ad salutem patere putant, in reliqua cōcionis parte obstruere conabor. Verè enim existimo, infinitam penè hominum multitudinem hac fallaci spe deceptam, in sempiternæ mortis exitium ruere. Nec est vllus serpētis antiqui dolus vel frequentior, vel magis pertimescendus. Eccl. 5.

Quæretis autem, qua ratione hunc salutarem affectū nutrire valeamus. Hoc nos breuiter Regius Vates exēplo suo docet, cū

Psal. 118. ad Dominum ait, Confige timore tuo carnes meas: à iudiciis enim tuis timui. Ex quibus verbis liquet, virum sanctum assidua diuinorum iudiciorum consideratione hunc salutarem timoris affectum in animo suo concepisse. Dum enim horrenda supplicia, quibus Dominus sceleratos homines plectit, attentius considerarет, quanta esset diuinæ iustitiæ seueritas, quantumque aduersus peccatum odium intelligebat; atque ita ad eiusdē peccati odium & timorem Domini acriter incitabatur. Hac ergo via nos, fratres, sanctum hunc timorem mentibus nostris affigere studeamus, mentis nostræ oculos per varia Domini iudicia circumducentes. Et quidem tria illa pertimescenda iudicia, quæ Petrus Apostolus in Epistola sua enumerat, silentio transeamus, & ad minora, quæ sacris literis ad institutionem nostram consignata sunt, veniamus.

2. Pet. 2.

I. Quale quæso iudicium illud, atque supplicium extitit quo Deus post grauissimas & atrocissimas plagas totam Aegyptum attriuit, atque vastauit! Et ad extremum innumerabilem Pharaonis exercitum in Mari rubro ita submersit, vt ne vnus quidem superstes relinqueretur, qui quod factum erat posteris nunciaret? Quo tempore impleuit Dominus quod anteà dixerat, Glorificabor in Pharaone, & in curribus atque exercitu eius. Hoc est, potentiæ atque iustitiæ meæ magnitudinem hac tanta sceleratorum hominum strage mundo patefaciam. Sed hoc iudicium aduersus hostes atque rebelles.

II. Quid illud, quod paulo pòst aduersus domesticos vitulum adorantes gestum est? Tria namque hominum millia vno die trucidata sunt; & castra sanguinis riuis vbiq. fluentibus cruentata. Quo tempore Dominus nisi Mosis oratione & quadraginta dierum ieiunio placatus fuisset, vniuersum populum funditus deleuisset. Nec tamen hac oratione, ieiunio, & cæde impiorum ita placatus fuit, vt non diceret, Ego autem in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum.

Exod. 32.

III. Si quis autem hoc tantum Domini iudicium timet atque miratur, quantò magis vindictam in eos, qui idolo Phogor immolauerunt demirabitur: in qua non tria millia, sed quatuor & viginti hominum millia vno die trucidata sunt, omnesq. populi principes, qui hoc tãtum scelus auctoritate sua prohibere debuissent, iussu Domini in patibulis ad orientem Solem crucifixi sunt? Et nisi summus sacerdos Phinees Eleazari filius, diuinæ gloriæ zelo succensus, Dominum placasset, totum iræ suæ furorem in transgressorem populum effudisset. Quis igitur hanc

Num. 25.

Num. 25.

tantam diuinæ iustitiæ vindictam non miretur, non timeat, non obstupescat?

Sed communia hæc multorum supplicia relinquẽtes, ad priuatas personas, imprimisque ad vulgatissimum illud Dauidis adulterium veniamus: negari non potest, quin magna tentatio, atque peccandi occasio fuerit, mulierem elegantis formæ penè nudam in solario suo se lauantem vidisse. Quo maior autem peccandi occasio, eò peccatum, ab humana infirmitate profectum, leuius est. Iam verò quòd eius virum è medio tollẽdum curauerit (quod in bello facilè fieri poterat) ob vxoris violatæ periculum vitandum excogitatum fuit; ne grauida inuenta à viro interficeretur. Cùm is enim feminam nihil fortasse minus, quàm adulterium cogitantem, ad praui facinoris consensum induxisset, ad periculum, quod illi imminebat, arcendum se teneri arbitrabatur. In quo apparet, eam esse peccati naturam, vt aliud ex alio nexum & colligatum trahatur; neque quis vnquam in vno aliquo scelere resistat; sed in alia atque alia protinus dilabatur, adeò sibi vitia omnia velut catena quadam connexa sunt. IIII. 2. Reg. 11.

Nunc vindictam, quam de hoc scelere Dominus sumpserit expendamus. Mittit ad illum Prophetam, qui hoc ei scelus exprobraret, & indignantis Domini vindictã denunciaret his verbis: Vriam Ethæum percussisti gladio, & vxorem illius accepisti in vxorem tibi, & interfecisti eum gladio filiorum Ammon. Quamobrem non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum, eò quòd despexeris me, & tuleris vxorẽ Vriæ Ethæi, vt esset vxor tua. Itaque hæc dicit Dominus; Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua; & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis Solis huius. Tu enim fecisti abscondite, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, & in conspectu Solis huius. Quid ad hæc Dauid? Peccaui, inquit, Domino. Quem Propheta timorem mitigare volens, ait: Dominus quoq. transtulit peccatum tuum: non morieris. Qualis autem pœnitentia post hanc vocem consecuta fuit? Primùm quidem quinquagesimum illum pœnitentiæ Psalmum edidit: in quo acerbissimo animi dolore consternatus, Domini misericordiam precatur; seque & iniquitatem suam agnoscere, & peccatum illud semper ante oculos habere profitetur. Sed quo dolore? Miser, inquit, factus sum, & curuatus sum vsque in finem, tota die contristatus ingrediebar. Tãta autem vi doloris eius animus excruciabatur, 2. Reg. 12. Psal. 50. Psal. 37.

vt in corpus etiam cruciatus magnitudo redundaret. Vnde ait:
Psal. 37. Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, siue (vt D. Basilius legit) à facie rugitus tui. Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. Tanto enim huius diuini fremitus timore concutiebatur, vt vis eius non modò animum sauciaret, sed etiam corpus atque ossa premeret & contereret. Hoc est enim
Psal. 37. quod ait, Non est sanitas in carne mea, &c. Et quia Dominum sibi infensum, & contra se frementem intelligebat, ipse quoque præ doloris magnitudine se fremere testatur cùm ait; Rugiebam à gemitu cordis mei; fremitum enim fremitu, & rugitum Dei, rugitu suo compensare nitebatur. Quid verò illud,
Psal. 37. quàm magnum pœnitentiæ indicium? Laboraui in gemitu meo: lauabo per singulas noctes lectum meum; lachrymis meis stratum meum rigabo. Turbatus est à furore oculus meus. Pro quo D. Hieronymus ex Hebræo vertit: Natare faciam tota nocte lectum meum; lachrymis meis stratum meum rigabo. Caligauit præ amaritudine oculus meus. Tantam enim vim lachrymarum doloris magnitudo expresserat, vt lectum suum lachrymis natare diceret; & præ continuo luctu & lachrymis, o-
Psal. 37. culorum caliginẽ incurrisset; sicut idem alibi ait, Lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum. Itaque si paucas illas noctes inter falsa & flagitiosa gaudia traduxerat, reliquas omnes inter gemitus & amara suspiria consumebat. Et si lectulum suum impura libidine contaminauerat, illum posteà largo, & perenni lachrymarum flumine abluebat. Quid ergo amplius ad hanc tantam pœnitentiam adiici poterat? Quæ crimina tot gemitus, tot rugitus, tot fremitus, tot lachrymarum imbres non diluerent? Audiant modò quę sequuntur quicumque adeò facilem peccatorum veniam sibi pollicentur, vt solo ictu pectoris se illam sine vllo veræ pœnitentiæ sensu consecuturos sperent. Quæ igitur post hanc pœnitentiam vindicta Domini consecuta est? Primùm coniurauit contra senem patrem Absalon filius, & totus fermè cum eo Israëliticus populus. Quorum ad-
2. Reg 15. uẽtu perterrefactus Dauid, Hierosolyma relicta, nudis pedibus & operto capite fugiens, per cliuum montis ascendebat, populusque illum simili habitu, atque fletu sequebatur. In quo etiam itinere grauissimas Semei contumelias atq. iniurias pertulit. Quid deinde? Horrendum sanè, execrandum, atque in-
2. Reg. 15. auditum facinus. Vt enim Absalon dubios sequentis se populi animos confirmaret, & irreconciliabile erga patrem odiũ ostenderet, decem eius vxores, quas is in palatio reliquerat, in oculis om-

lis omnium impudentissimè constuprauit. Qua iniuria quid maius cogitari potuit? quo animi angore Dauidis animum hoc facinore cruciatum fuisse credendum est? Vel vnius enim vxoris violatio ipsum vehementissimè torqueret, ne dum tot vxorum dilectissimarum dedecus, cum quibus nullum esset deinde commercium habiturus. His nihil acerbius addi posse videbatur. Sed fuit tamen aliud, quod multò magis Regis animum excruciauit; nempe infelicissima filij mors; qui tribus hastis confixo corde miserabiliter occubuit. Cuius mortem tam acerbo pater dolore luxit, vt ipse pro eo mori cupiens, magnisque vocibus eiulans, hæc verba identidem iactaret: Absalon fili mi, fili mi Absalon. Quis mihi det, vt ego moriar pro te! Sciebat enim vir sanctus, filium in peccato ex hac vita migrantem, sceleris nefarij pœnas apud inferos perpetuò daturum. Itaque pro vna ciuis sui vxore violata, decem eius vxores non ab extero hoste, sed à filio; nec in abditis locis, sed in omnium oculis violatæ sunt; quemadmodum per Prophetam Dominus fuerat comminatus, Tu, inquiens, fecisti abscondite: ego autem faciam in oculis Solis huius. Iam verò pro vno Vria interfecto, tres eius filij ferro interierunt, Amnon videlicet natu maximus, quem Absalon interfecit, & Absalon ipse, qui in prœlio occubuit: & Adonias, quem Salomon post mortem patris ob affectati regni suspicionem interemit. Quid igitur ad hæc scelerati homines dicent, qui (vt antè diximus) tam facilè sibi criminum veniam pollicentur, cùm videant sanctissimum regem post tantam illam pœnitudinem, tantamque vim lachrymarum tot plagas à Domino immissas pertulisse?

2. Reg. 18.

2. Reg. 12.

2. Reg. 13.

3. Reg. 2.

III.

Sed fortassè dicet aliquis, hanc diuinæ iustitiæ seueritatem illius temporis propriam fuisse, in quo supernus ille iudex vocabatur Deus vltionum. Nunc autem post Euangelij gratiam, & Christi sacrificium, quo diuinum numen mortalibus infensum placatum fuit, pater misericordiarum & Deus totius consolationis ab Apostolo nuncupatur. At multa etiam seueritatis huius exempla sub Euãgelij gratia proferre possem, nisi longius euagarer. Vnum tamen quod D. Gregor. memorat, silentio præterire non possum. Terribile, inquit, quoddam in Valeriæ prouincia vir vitæ venerabilis Maximianus Syracusanus Episcopus, qui diu in hac vrbe meo monasterio præfuit, narrare consueuit dicens; Quidam curialis illic sacratissimo Paschali Sabbato iuuẽculam cuiusdã filiam in baptismate suscepit: qui dum

Gregor. li. 4. Dial. cap. 32.

post ieiunium domum reuersus; multoq. vino inebriatus, eandem filiam suam secum manere petiit, eamq. nocte illa (quod dictu nefas est) perdidit. Cumque mane facto surrexisset reus, cogitare cœpit vt ad balneum pergeret, ac si aqua balnei lauaret maculam peccati. Perrexit igitur, lauit, cœpitque trepidare an Ecclesiam ingredi vellet; sed si tanto die non iret ad Ecclesiam, erubescebat homines; sin verò iret, pertimescebat iudiciũ Dei. Vicit itaq. humana verecundia. Perrexit ad Ecclesiã; sed tremebundus, ac pauens stare cœpit, atque per singula momenta suspectus qua hora immundo spiritui traderetur, & coram omni populo vexaretur. Cumque vehementer timeret, ei in illa missarum celebritate aduersi nihil contigit: qui lætus exiit, & die altero Ecclesiam iam securus intrauit. Factumque est, vt per sex continuos dies lætus ac securus procederet, æstimans quòd eius scelus Dominus aut non vidisset, aut visum misericorditer auertisset. Die autem septimo subita morte defunctus est. Cumque sepulturæ traditus fuisset, per longum tempus cunctis videntibus, de sepulchro illius flamma exiit, & tam diu ossa eius cõcremauit, quousque omne sepulchrum consumeret, & terra quæ in tumulum collecta fuerat, defossa videretur. Quod videlicet opus Deus faciens, ostendit quid eius anima in occulto pertulit, cuius etiam corpus ante humanos oculos flamma consumpsit. Qua in re nobis quoque hæc audientibus exemplum formidinis dare dignatus est, quatenus ex hac cõsideratione colligamus, quid anima viuens, ac sentiens pro reatu suo patitur, si tanto ignis supplicio etiam insensibilia ossa concremantur. Hactenus Gregor. verba. Quis ergo fratres, hoc Domini iudicium nõ exhorreat? Quid hoc in loco dicent, qui vitam ferè omnem in expugnanda feminarum pudicitia consumunt? Quam Deo commutationem pro tot infelicium animarum strage reddent, quas mille machinis & artibus ad turpitudinis suæ consortium induxerũt, vt ne iis etiam, quæ affinitatis vinculo sibi colligatæ sunt, parcant; nullumque ius aut fœdus sanctum habeant? Et Dominus vnius noctis flagitiosam voluptatẽ æternæ noctis cruciatu & incendio plectit. Verùm hæc omnia supplicia priuatarũ personarum sunt. Quid totius populi Iudæorum excidium atque vastatio, quam Dominus in sacra huius diei lectione lamentatur? Quæ autẽ vis orationis referre queat, quæ gens illa misera in ea obsidione passa sit? Hæc enim obsidio maximam ciuitatis partem nõ ferro tantùm (id enim in minimis malis habebatur) sed extrema rerum inopia atque dira fame consumpsit.

Quis

Quis autem numerus eorum, qui ferro, fame, & peste interierunt, & in captiuitatem abducti sunt extiterit, quis credere potuisset, nisi Iosephus natione & religione Hebræus (qui intra vrbis mœnia cum aliis obsessus fuit) huius calamitatis oculatus testis & scriptor esset? Vndecies enim centena millia ferro, fame, & peste extincta fuisse, & nonaginta septem millia post expugnatam ciuitatem in diram seruitutem & captiuitatem abducta fuisse memorat. Ex omnibus enim Iudææ finibus homines in vrbem confluxerant, vt Paschæ festum celebrarent; quod extra eam vrbem celebrari diuina lege cautum erat. Quis igitur ab orbe condito tantam hominum multitudinem in aliqua obsidione aut prœlio interemptam fuisse audiuit, vnquam aut legit? Si centum hominum millia in aliquo prœlio occubuisse narrentur, miramur & obstupescimus. Quale ergo erit vndecies centena millia tam dira clade periisse? Quis adeò stupidus erit, qui vel hoc vno exemplo incredibilem diuinæ iustitiæ seueritatem non agnoscat, non expauescat? non intelligat verum esse quod Apostolus ait, Horrẽdum esse incidere in manus Dei viuentis? non etiam cum Hieremia clamet, Quis non timebit te, ò Rex gentium? Hebr. 10. Hier. 10.

Satis igitur hoc exẽplo liquet, quanta sit diuini furoris aduersus improbos magnitudo, & quàm immane odium, quo & impios & impietatem eorum auersatur. Sed hæc, quæ maxima iure putantur leuia sunt si cum gehennæ supplicio comparentur, quod diuina censura in lethalis criminis pœnam cõstituit. Omnes enim huius vitæ calamitates quamlibet magnæ, & intolerandæ sint, velut vmbra quædam sunt, si cum sempiterno gehennæ incendio conferantur. Illæ enim præcipuè corpus tãtum attingunt, hæ verò corpus simul atque animam torquent: & illæ quidem temporariæ sunt, & breuis æui spatio præfinitæ; hæ verò sempiternæ, quæ nullum neque finem neque terminum sunt habituræ. Quod si hæc Hierosolymitana vastatio lõgè antè præuisa, lachrymas Domino Saluatori excussit, quibus lachrymis illa deflenda erit, cuius hæc velut imago quædam & vmbra est? Sic enim Petrus Apostolus euersionem Sodomæ, & Gomorrhę in exemplum ęterni supplicij, quod impiis paratum est, factam fuisse testatur. Ibi igitur omnia quæ Dominus in hac calamitate lamentatur, damnati, quamuis longè dissimili cruciatu, passuri sunt. Ibi enim improbi humines hostibus suis, videlicet dæmonibus, qui eos quasi vallo circundatos, ita in gehennę pœnis concludent & coarctabunt, vt nullũ illis vnquam 2. Pet. 2.

egrediendi locum sint cōcessuri. Ibi fame, peste, & gladio, diuersis videlicet tormentorū generibus pro criminū varietate ex diuinæ iustitiæ ordine trucidandi erunt. Alias enim superbi, alias auari, alias impudici, alias liuidi pœnas dabūt. Superbi namq. & elati homines ad ima deiicientur: auari extrema inopia cōstringentur; liuidi viscera sua exedent, atque laniabunt: impudici amarissimis doloribus impuræ carnis voluptates luent: epulones & voraces, qui ventrem suum Deum statuerāt, dira fame & siti cum diuite epulone torquebuntur. Quod verò Dominus ait, non esse lapidem in illa ciuitate relinquendum, qui non destruatur, hæc etiam calamitas ibidem non deerit: quando nullus in corpore sensus nullum membrum relinquetur, quod non peculiari tormento crucietur. Sicut enim improbi exhibuerunt membra sua arma iniquitatis peccato, ita diuinæ iustitiæ ordo exigit, vt debitas eorum peccatorum, quæ per ea membra ediderunt, pœnas pendant. Sic igitur impudici oculi, sic aures quæ detractionibus libenter patuerunt, sic fallax lingua, quæ dolum & mendacium locuta est, quæ nec viduæ, nec nuptæ, nec virginis famæ pepercit, sic corpus quod multis vacauit deliciis torquendum est; & illud implendū quod Dominus in Apocalypsi ait, Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Hac igitur ratione non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur. Omnia quippe sceleratorum hominum membra, ex quibus corporis humani fabrica velut ex lapidibus ædificium constat, proprio & peculiari dolore commissorum pœnas exoluent.

Apoc. 18.

Si igitur ea iudicia, quæ hactenus exposuimus, tantam diuinæ iustitiæ significationem præbent, tantumque à nobis timorem & peccati odium exigunt, fratres; quantò magis extrema hæc & vltima pœnarum, quæ non corpus tantum, vt pleraque alia, sed corpus simul cum anima attingit, & non quidem definito tēporis spatio, sed sempiternis seculorū ætatibus duratura est, nos ad salutarē timorem, & peccati odiū excitare debet? Hoc est enim quod à nobis Dominus in Euangelio exigit cùm ait, Nolite timere eos qui occidunt corpus, & post hæc non habent vltrà quid faciant. Timete eum, qui postquàm occiderit corpus, habet potestatem mittendi animam in gehennam. Quā Domini sententiam D. Bernard. adeò pauebat, vt hunc locum enarrans diceret: Paueo gehennam, paueo iudicis vultum ipsis etiam tremendū Angelicis potestatibus. Contremisco ab ira potentis, à facie furoris eius, & à verbo aspero. Contremisco à dentibus

Matt. 10.

Bernard.

bestiæ

bestiæ infernalis, à ventre inferi, à rugientibus præparatis ad escam. Horreo vermem rodentem, ignem torrentem, fumum & vaporem, sulphurem, & spiritum procellarum. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarũ, vt præueniam fletibus fletum, & stridorem dentium, & manuum, pedumque dira vincula, & pondus catenarum prementium, stringentium, vrentium, nec consumentium? Hactenus Bernardus. Hoc igitur metu, hac trepidatione hic vir sanctus angebatur, dum huius pœnæ acerbitatem & æternitatem cogitabat. Quid ergo nos facere par est, qui tã longè à viri huius sanctissimi innocentia & integritate distamus?

Cùm igitur infelices isti tot pœnarum generibus torqueantur, nec quicquam eis inter tot mala spei reliquum sit; quid facient? quò se vertent? quid consilij capient? quò denique confugient? Ad pœnitentiam? Sed iam tempus pœnitentiæ transactum est & instat delictorum pœnas pendendi. Ad Dei opem & misericordiam, quæ cunctorum malorum solatium atq. perfugium est? Sed hactenus misericordiæ & veniæ tempus extitit; tunc iudicij tempus instabit. Iam dies, qui nobis ad pacem & veniam quærendam datus est, effluxit, & dies Domini immineт, in quo spretæ misericordiæ erit ratio exigenda.

Quid autem ex his, quæ hactenus diximus, colligemus, fratres, nisi vt his grauissimis argumentis & diuinę iustitiæ magnitudinem, & acerbissimum odium, quo Deus peccatum detestatur intelligentes, sanctum illum timorem, quem paulo antè vobis cõmendauimus, intra pectus nostrum alere atq. nutrire studeamus; qui & peccatum omne repellit, & inanem illam fiduciam, qua perditi homines salutem sibi & securitatem sine vllo bonorum operum fructu pollicentur, accusat. Huius enim diuinæ iustitiæ consideratio, incredibile dictu est, quantum innocentissimorũ etiam virorum pectora perterrefaciat. Quanta enim fuit sanctissimi Iob innocentia? At quantus ille timor quo is perpetuò quatiebatur; cùm diceret: Quis mihi tribuat, vt in inferno protegas me, & abscondas me donec pertranseat furor tuus; & cõstituas mihi tempus, in quo recorderis mei? Quid hoc timore, in homine pręsertim sanctissimo, mirabilius? Vsq. adeò enim indignantis Domini furorẽ extimescebat, vt quo is tempore furorem suum exereret, in inferno, hoc est, in imis terræ latebris delitescere vellet, ne in illum incurreret.

Hac igitur diuinorum iudiciorum consideratione, fratres, hũc salutarem Domini timorẽ in animis nostris alere Domino aspiran-

aspirante poterimus. Nec tamen satis est hæc ipsa considerare nisi assiduis etiam precibus eundem timorem à Domino cum Propheta postulemus dicētes, Confige timore tuo carnes meas: à iudiciis enim tuis timui. Quibus verbis Vates sanctus tantam huius timoris vim à Domino postulabat, vt non modò spiritus eius, sed caro etiā hoc timore transfixa, ipsum quoq. spiritum ad peccati odium excitaret. Est autē (vt D. Basilius eleganter hoc in loco annotauit) metaphora sumpta ab iis, qui patibulo affixi sunt; qui immobiles persistere nituntur; quoniam si vel paululum se quocumque verterint, nouo doloris aculeo sauciantur. In simili igitur cruce sanctorum mentes defixæ manent, ne se aduersus Dei legem vlla in re commouere possint. Vt enim illîc dolor, ita hîc timoris aculeus mentem pungens, à quouis eam delicto reuocat. Itaque si impura aliqua cogitatio, si fratris odium, si fraternæ inuidiæ stimulus, si superbiæ, aut inanis gloriæ tumor sese animis obiiciat, superuenit statim diuini iudicij metus, qui sic mentem concutit, vt omnia ista procul à se sine vlla cunctatione abigat.

Psal. 118.

Si igitur viri sanctissimi tantopere diuinæ iustitiæ iram formidant, vnde quæso in sceleratorum hominum mentibus hæc tanta salutis suæ ex sola Domini misericordia confidentia, quasi in ipso sola sine iustitia esset misericordia? Nos igitur, fratres, non falsam improborum securitatem, sed salutarem sanctorum metum sectari studeamus; & spem nostram pro timore, bonorum operum studio, & peccati odio fulcire contendamus. Peccato enim per veram pœnitentiam è medio sublato (quod nos sempiternæ mortis reos facit) aditus continuò nobis ad sempiternæ felicitatis & immortalitatis gloriam Domino aspirante, & iter nostrum bene fortunante patebit.

DOMI-

DOMINICA DECIMA POST PENTECOSTEN CONCIO PRIMA: IN qua lectio Euangelica explanatur.

THE. *Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Lucæ 18.



AEc breuis sententia, fratres, magnam Christianæ Philosophiæ partem complectitur: quæ ideo in literis sanctis frequētissimè reperitur. Hinc D. August. in lib. De doctrina Christiana hanc verè memorabilem sententiam scripsit, nempè omnes diuinorum voluminum paginas hanc vbique sententiam spirare, quòd Deus superbis resistat, humilibus autem det gratiam. Huius quoq; sententiæ veritatem secularis Philosophia non prorsus ignorauit. Rogatus enim insignis quidā Philosophus, quid Iupiter ille suus in cęlo ageret, Superbos, inquit, ad terram deiicit, & exaltat humiles. August. Iac. 4.

Hanc igitur sententiam in hodierna S. Euangelij lectione cælestis magister nobis proponit. In qua quantum homini superbia noceat, quantumq́ue illi humilitas ad salutem conferat, proposita quadam insigni parabola appositissimè docet. In qua etiam quàm sit occultum superbiæ vitium animaduertere licet, quantumq́ue sibi vir pius ab ea cauere debeat. Est enim velut tenuissimus aër, qui facilè sibi per angustissimas etiam rimulas aditum in mentes nostras inuenit. Vt igitur salutarem hanc doctrinam piè & religiosè tradere valeamus, cęlestem opem sacratissimæ Virginis intercessione suppliciter imploremus. Simil.

AVE MARIA.

Vt sacram huius Euangelicæ lectionis parabolam intelligamus, cuius rei gratia eam Dominus proposuerit, ante omnia declarandum est. Hoc autem sanctus Euangelista initio statim exponit cùm ait; *Dicebat autem ad quosdam qui in se confidebāt tanquā iusti, & aspernabantur cæteros parabolā hanc.* Hi autem (vt verisimile est) propter aliquā virtutis imaginem, quam in se ipsis deprehendebant, & se ipsos pluris, quàm par erat, æstimabant, & alios prę se ipsis contemnebant. Quemadmodum enim sunt quidam adeò imbecillo & infirmo capite, vt vel vna vini gut- Simil.

guttula inebrientur, & corruant; ita nõnulli sunt, qui si aliquam virtutis scintillam in moribus suis deprehenderint, vel plusculum aut orauerint, aut ieiunauerint, protinus inflantur, & alios præ se ipsis facilè contemnunt. At viri sanctissimi, qui virtutum omnium ornamentis instructi sunt, adeò de se ipsis humiliter sentiunt, vt se etiam peccatorum omnium maximos reputent. Cuius rei causam D. Gregor. exponit his verbis; Sancti viri quò altiùs apud Deum virtutum dignitate præcedunt, eò subtilius indignos se esse deprehendunt: quia dum proximi luci fiunt, quicquid eos in se ipsis latebat deprehẽdũt: Sic etiam animaduertere licet, doctissimos & sapientissimos viros non minus humilitatis virtute, quàm eruditione insignes, de se ipsis demisse admodum sentire; quod de D. Thoma legimus; qui pestiferæ superbiæ nunquam persensit stimulum. Cùm tamẽ cernere liceat sciolos quosdam, qui vix prima sapientiæ limina attigerunt, superbiæ tumore inflari, & alios omnes superciliosè contemnere. Quod quidem vitium ex leuitate animi, & pusillanimitate spiritus oriri certum est. Simile autem quiddam in virtutis curriculo multis euenit. Ad istos autem Dominus falso nomine iustos hanc parabolam dirigit.

Gregor.

Quã vt cõmodiùs intelligere valeatis, scire oportet duo esse virtutũ genera. Quædã enim eiusmodi sunt, quæ corporeis sensibus percipi possunt; qualia sunt ieiunare, vigilare, psallere, peregrinari, & alia opera, quæ corpus vel inedia, vel asperitate vestium, aut verberibus etiam affligere solent. Sũt autem virtutes aliæ in animo reconditæ, quæ non tã oculis hominũ, quàm diuinis patent. Cuiusmodi sunt tres illæ principes inter omnes alias virtutes, Fides, Spes, Charitas; deinde Prudentia, patientia, paupertas spiritus, humilitas cordis, mũdi contẽptus, timor Domini, & aliæ his nõ dissimiles. Vtræq. antẽ virtutes ad Christianæ vitę perfectionẽ necessariæ sunt. Nec enim sola externa sine internis, neq. sola interna sine externarũ virtutũ ministerio, vbi ad eas nos diuina lex vrget, vel constare, vel hominẽ verè pium, Deoq. gratũ efficere possunt. Quamuis autem (quod ad necessitatem attinet) vtræq. necessariæ sint, quod tamen ad dignitatẽ pertinet, latum inter vtrasq. discrimẽ est. Internæ namq. spiritualesq. virtutes altissimũ & prętantissimum inter omnes locum tenent, qualis extitit fides illa Abrahę tantoperè ab Apostolo laudata; qualis illa eiusdẽ Apostoli charitas, quę vniuersum mundum diuini amoris igne inflammauit: qualis altissima illa humilitas, quę in beatissima Virgine tantoperè enituit: qualis pro-

probatiſſima illa ſanctiſſimi Iob patentia, quam ne hoſtis quidem humani generis calumniari potuit: qualis Moſis lenitas & manſuetudo, quem ſacræ literæ prædicant mitiſſimum fuiſſe ſuper omnes homines, qui morabantur in terra: qualis poſtremò pro Dei gloria zelus Eliæ, cuius ſermo vt facula ardebat. Hę igitur virtutes, aliæque ſimiles principem ſibi inter omnes alias locum vendicant. Vt autem altiorem locum, ita & ſecuriorem obtinent: quia & humanis oculis, & interdum etiam poſſeſſoribus ſuis incognitæ ſunt. Vnde S. Iob, ſi ſimplex, inquit, fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea. Idemque rurſum de Deo loquens, Cùm inuocantem, inquit, me audierit, non credo quòd exaudierit vocem meam. Hinc ergo fit, vt quò virtutes hæ ſunt occultiores, eò etiam ſecuriores ſint. Vt enim theſaurus reconditus tutior à latronibus eſt, & virgo domi clauſa, quàm ea quæ omnibus patet, à corruptoribus immunior eſt: ita virtus quò magis latet, eò minus ſuperbiæ, & inanis glorię furibus obnoxia eſt. Externæ tamen virtutes, quæ in luce hominum verſantur, huic periculo propiores ſunt. Qui enim diu in templis orant, qui carnem ſuam ieiuniis & inedia macerant, qui vili cultu, & habitu incedunt, qui benignitatis operibus ſeduló vacant, qui ad diuina ſacramenta frequentius accedunt, niſi ſibi ipſis proſpiciant, hoc periculo non carent. Nam & ab oculis ſuis, & ab alienis etiam, periculum pati poſſunt. Hominum quippe iſta videntium, atque commemorantium laudes nonnunquam viros pios de mente deducunt. Quo fit, vt de ſe maiora, de aliis verò minora ſentientes, horum ſimiles ſint, ad quos Dominus hanc parabolam direxit; qui in ſe ipſis confidebant tanquam iuſti, & aſpernabãtur cæteros. Vt autẽ Dominus oſtẽderet in quanto iſti periculo verſarentur, & quàm longè ab ea iuſtitia, quam ſibi arrogabant, abeſſent, hanc illis parabolam propoſuit. Num. 12. Iob. 9. Simil.

I.

Duo homines aſcenderũt in templũ, vt orarent, vnus Phariſæus & alter Publicanus: Phariſæus autem ſtans, hæc apud ſe orabat: Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominũ, raptores, iniuſti, adulteri, velut etiã hic Publicanus. Ieiuno bis in Sabbato; decimas do omnium quæ poſſideo. Cernitis hîc, fratres, periculum, quod Phariſæus hic ab oculis ſuis paſſus eſt? Dum enim in externa opera ſua oculos coniecit, nec quid in animo ſuo lateret, animaduertit, in ipſo veluti portu naufragiũ fecit, dum ex illis virtutum officiis, quæ in ſe agnoſcebat, de ſe ipſo maiora ſentiens,

ſentiens, alios contemnebat. Hac igitur de cauſa miſer deceptus fuit, quia quid haberet, non quid ſibi deeſſet animaduertit. Eſt autem hoc (vt alio in loco diximus) valdè periculoſum hypocriſis genus. Eſt enim vulgaris & nota hypocriſis, qua fallax homo, improbitatiſque ſuæ conſcius, ſimulata ſanctitatis imagine alios decipere conatur. Eſt & aliud hypocriſis genus multò occultius atque ſubtilius, quo homo ſibi ipſi hypocrita eſt, dum ſe meliorem quàm ſit, eſſe credit; quo morbo Phariſæus hic laborabat, laborabat & ille, cui à Domino in Apocalypſi dictum eſt, Dicis quia diues ſum, & nullius egeo; & neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, pauper, & cæcus, & nudus.

Apoc. 3.

Inter varios autem ſerpentis antiqui dolos, hic præcipuè numeratur, quòd interdum is (mirabile dictu) ad quædam virtutum officia ſuos inuitat, quę ad veram iuſtitiam ſatis non ſint, ſatis tamen ad falſam ſui fiduciam, & inanem gloriam ſint. Hac enim fallaci virtutum ſpecie illos ſuperbiæ & inanis gloriæ vinculis alligatos tenet. Quod igitur huic morbo remedium adhibes? Illud certè, vt vir prudens vbi hæc externa virtutum officia in ſeipſo animaduerterit, mentis quoque ſuæ penetralia rimetur, videatque, an aliquam intra ſe ſpiritualium atque internarum virtutum, quas antè commemorauimus, ſemina inueniat, hoc eſt, ſi intra ſe veræ humilitatis, patientiæ, obedientiæ, prudentiæ, propriæ abnegationis, & mortificationis (qua pius homo inſitas in animo cupiditates viriliter comprimit) aliqua ſaltem veſtigia deprehendat: in quibus tam multa inueniet, quę lamentari & curare debeat, vt horum conſideratione ſupercilium facilè deponat, cuius ei materiam externa illa opera exhibebant. Memini me vidiſſe quendam miræ abſtinentiæ monachum; qui toto Quadrageſimæ tempore, ſolo pane & aqua victitabat; & in ſacra hebdomada triduò ieiunus permanebat; & integras noctes poſt breuem ſomnũ, quem ibidem capiebat, in oratione pernoctabat; qui tamen ad maioribus ſuis parendum, propriamque voluntatem abnegandã, admodum difficilis erat. Vſque adeò enim ſuæ voluntati erat addictus, vt quæ ipſe vellet, quamlibet ardua eſſent, libentiſſimè aggrederetur; quæ verò eſſent eius voluntati contraria, vix attingeret. Quam rem niſi quotidianis experimentis cognouiſſem, vix credere potuiſſem. Fuerunt etiam alij duo ſeniores, qui in affecta etiam ætate in carne ſua maceranda omnes alios ſuperabant; quorum tamen alter non omninò à detractionis labe immunis erat; in altero verò vix vllũ fraternæ charitatis, benignitatis, & humani-

tatis vestigium apparebat. Quæ quidē res, incredibile est, quantam multis admirationis materiam pepererit, quantumq́. hostis antiqui fallaciam atque fraudes, & animarum pericula demirati fuerint. Sed ad Pharisæi orationem veniamus. II.

Deus, inquit, *gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominū &c.* Quid in hac oratione accusari potest? Nō enim arbitrari debemus Pharisæum hūc falsò hæc opera sua commemorasse. Non enim est cur homo sibi ipsi mētiri debeat. Inane enim solatiū est, quod ex aperto mendacio proficiscitur. Neque verò hæc opera quæ enumerat, sibi, suisq́. viribus; sed diuinæ gratiæ ascribit, quando pro illis gratias agit. Quid igitur hîc reprehendi iure potest? Hoc exemplo, fratres, quanta sint pericula animis nostris intenta cernere poteritis: quo etiam argumento intelligetis, quàm verè à Propheta dictum sit, Narrauerunt vt absconderent laqueos: dixerunt, Quis videbit eos? Hoc est, adeò subtiles laqueos struxerunt, vt penè visum oculatæ mentis effugerent. Quis enim sub hoc lapide scorpionem dormire, quis sub his grati animi verbis superbiæ anguem latere intelligeret, nisi hoc cælestis magister indicaret? Et tamen qui pro his virtutum officiis Deo gratias agebat, plus sibi quàm quod haberet tribuebat: in quo virus superbiæ latet, dum homo se iustiorem atque sanctiorem quàm sit existimat. Præterea qui hoc affectu pro perceptis virtutibus gratias agebat, alios præ se contemnebat; quod ad idem superbiæ vitium spectat. Quatuor enim huius vitij species D. Gregor. numerat, à quibus Pharisęus hic (quantum ex hac superba eius oratione colligitur) immunis non erat. Aut enim, inquit, bonum à semetipsis habere se existimant, aut si sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant, aut certè cùm iactant se habere quod non habent, aut despectis cæteris singulariter videri appetunt quod habent. Hæc ille.

Psal. 63.

Gregor. lib. 23. Moral.

Quod est autem huius tanti periculi remedium? Illud certè, vt pius homo non quas habeat virtutes, sed quæ habeat vitia sollicitè attendat; nec quid habeat, sed quid sibi desit diligentius consideret. Hoc salutare consilium nobis D. Chrysost. præbet his verbis: Sicut aurum, vestemque pretiosam cùm in publico ponimus, plurimos ad insidias prouocamus: si verò ea recondamus, in tuto seruamus: sic sunt etiam diuitiæ virtutum, si eas in memoria quasi venales assiduè reportemus, armamus hostem, irritamus inimicum. Quando aliqua bona fecerimus, habemus Dominum debitorem; quando verò nihil nos arbitramur

Chrysost. super Matth. homil. 3.

mur operatos, amplius etiam de tali meremur affectu, q
propter opera ipsa quæ operati sumus. Ita virtutum omni
rita bonum humilitatis exuperat: nam & nos quoque fa
Simil. eos magis amplectimur, qui cùm omnia peregerint, nihil
men fecisse arbitrantur. Hæc ille.

Verus ergo humilitatis amator, illud Apostoli sibi an
Philip. 3. los ponat, Quæ retro sunt obliuiscẽs, ad ea verò, quę sun
extendens meipsum, ad destinatum persequor brauium
næ vocationis. Quod Apostoli consilium adeò salutare
etiam tempore, quo pro perceptis à Domino benefici
agimus, solicitè in hac gratiarum actione versari debe
dum ea commemoramus, flatus aliquis inanis gloriæ i
repat: quod huic Pharisæo accidisse videmus: qui cùm
propter illa virtutum officia gratias ageret, plus de se q
erat sensit, maiusque illi periculũ ex hac sui æstimation
fructus ex illa gratiarum actione obuenit. Sed alias o
eius partes expendamus.

Non sum, inquit, *sicut cæteri hominum, raptores, iniu
teri, velut etiã hic Publicanus.* O admiranda Dei iudici
Prou. 16. verè dictum est, Omnes viæ hominum patent oculis
1. Reg. 17. rituum põderator est Dominus. Et, Homo videt in f
autem videt in corde. En hic certissimè se Publicano
rem esse sibi persuaserat. Quid hic faceret, si ad illum
diceret: Hic homo, quem despicis, quem Publicanum a
qui neque vt tu religionis professor est, neque bis ieiuna
bato, verè in oculis Dei te sanctior est. Quoque magis
hic verè iustus ante Deum, tu verò improbus & ini
Quo quæso stupore & admiratione Pharisæus raperet
hæc diuinitus ad se delata intelligeret? Quæ autem orati
sequi posset quàm multa sint in mundo Dei iudicia his
ma? Quàm multi forsitan modò erunt, qui simili me
rore teneantur: qui cùm se vulgi hominibus sanctiores c
Prou. 16. inferiori loco apud supernum illum iudicem sint, qui spi
ponderator est?

Simili etiam modo deceptus est Pharisæus ille, qui D
num ad prandium inuitauerat; qui & peccatricem mul
& ipsum etiam Dominum accusabat, quòd se ab illa ta
Lucæ 7. mitteret; quem tamen Dominus proposita similitudi
uicit, peccatricem illam maiori erga Deum, quàm ipsum
tate flagrare. O quantũ periculi in hac falsa sui æstimati
Simil. tet! Cùm ęger se ęgrotare intelligit, nõ omninò remedij

est. Dat enim operam, vt adhibitis medicamentis sanitatem assequatur. At qui verè ægrotat, seque ægrotare non sentit, quæ illi spes salutis reliqua est? Quàm multos vidimus, qui illata capiti vulnera negligentes, & sana esse credentes, paulo pòst in morbum insanabilem inciderunt? Minus periculi est, vbi se improbus improbum esse cognoscit, quàm si quis Pharisæi huius opera faciens, iustitiæ sibi nomine applaudat. Hac enim de causa Saluator ad Pharisæos, tremenda illa verba fulminauit: Publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei. Cuius autem periculi sit, etiam si rectũ aliquid opereris, iustitiæ laudem tibi arrogare, aptissima similitudine D. Chrysost. explanat his verbis: Finge animo bigam duplicem, quarum sub altera virtus iuncta sit cum superbia, sub altera peccatum cum humilitate. Videbis bigam illam peccati, virtutem facile anteire, palmamque decursionis celerioris obtinere; non peccati pernicitate, sed coniugatæ humilitatis facultate. Contra, bigam alteram virtutis retardari & vinci, non imbecillitate virtutis, sed superbiæ mole ac pondere. Vt enim humilitas præ summa sua excellentia peccati superat pondus, atque in cælum peruenit, sic superbia præ nimio suo pondere, ac intolerabili onere suæ molis præualet; adeò, vt etiam leuissimam illam, & supernam virtutem vincat, deorsumque versus facilè detrahat. Quod sanè latius exemplo Pharisæi huius & Publicani perspicies. Id autẽ exemplum expendens D. Chrysost. & ostendens, quomodo Pharisæus iunxerat superbiam cum iustitia, Publicanus verò cum iniustitia humilitatem, tandem infert: Cumque dixisset, Deus propitius esto mihi peccatori, descendit iustificatus super illum, & dicta superauerunt facta, & verba vicerũt opera. Alter namq. iustitiam, & ieiunia, & decimas proposuit suas: alter verba duntaxat reddidit; atque ita effectum est, vt magnus ille delictorum numerus deleretur, & peccata obliterarentur Publicani. Non enim verba Deus tantummodo audiuit, verùm etiam animum quo illa dicerentur inspexit, quem cùm humiliatum contritumq. comperiret, misertus est, & benignissimè atque humanissimè egit. Hæc Chrysost. qui & alibi sæpè simili ratione ex hoc loco philosophatur, vt homilia quarta de verbis Isaiæ, Vidi Dominũ. Vis, inquit, tibi dicam, quantũ bonum sit modestia, & quantũ malum arrogantia? Peccator iustum superauit, Publicanus Pharisæum; & verba factis fuere superiora. Quomodo verba? Publicanus dixit, Deus propitius esto mihi peccatori: Pharisęus dixit, Non sũ sicut cęteri hominũ, rapax, auarus: sed quid?

Simil.

Matt. 21.

Chrysost. homil. 5. de incóprehensa Dei natura.

Ieiuno bis in sabbato; decimas do de facultatibus meis. Pharisæus opera iustitiæ præstabat, Publicanus verba dicebat modestiæ, & verba plus potuerunt quàm facta; tantusque thesaurus cum contumelia reiicitur, & tanta inopia in diuitias commutata est. Simil. Venerunt duæ naues habentes onus; ambæ portũ ingressæ sunt, sed Publicanus in portum pulchrè appulit, Pharisæus autem naufragium perpessus est; vt disceres quantum mali sit animi tumor. Hic enim se nudans & exhauriens, pertulit rarum & nouum naufragium: apprehenso enim littore, omnes merces suas simul perdidit. Hactenus Chrysost.

Ad eos verò qui hoc modo iustitiæ sibi laudem tribuunt, in Apoc. 3. Apocalypsi Dominus ait: Nomẽ habes quòd viuas, & mortuus es. Hæc autem, fratres, præcipua causa est, cur pij etiam homines trepidare soleant, & ad Dominum clamare; Quis Domine certò scire queat, an hoc etiam de me dicatur, Nomen habes quòd viuas & mortuus es? Quamuis enim verè dicere possim, Non rapio, non occido, non alienam vxorem pollui, video tamen Pharisæum hunc hæc ipsa de se verè dicere potuisse, qui tamen mortuus erat, neque id intelligebat. Nullius sibi criminis Apo- 1. Cor. 4. stolus conscius erat, qui tamen dicebat, Nihil mihi cõscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Qui autem iudicat me, Dominus est: qui longè aliter, quàm homines iudicat. Sæpè enim quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. Num- Iob. 10. quid (ait S. Iob) oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo & tu videbis? Quid, quod idem Dominus aliquãdo adeò silenter ab anima recedit, vt interdum discessus eius non agnoscatur? Vnde Iob 9. idem Iob; Si, inquit, venerit ad me, non videbo eum: Et si abierit, non intelligam. Hoc est, an is per gratiam suam ad me venerit, certò scire nequeo; & si abierit per culpam, discessus eius aliquando mihi erit incognitus. Quamuis enim ea peccata, quæ commissionis esse dicuntur, facilius cognoscantur; quæ tamen omissione delinquimus, non ita facilè cognoscimus. Ea quippe patramus non cùm aliquid indignum committimus, sed cùm in iis, ad quæ tenemur, deficimus. Quid, quòd aliqua sunt diffidentiæ peccata, quæ multi non agnoscunt? Quis Regẽ Assa grauiter accusaret, quòd acerbum bellum à Baasa rege Israël imminere sibi intelligens, munera miserit regi Syriæ, vt suppetias sibi aduersus illum ferret? Ad quem tamen Dñs Prophetam misit, qui eum grauissimis verbis corriperet, quòd cùm anteà in maiori periculo constitutus, diuinæ protectionis auxilium expertus fuisset, non simili fiducia ad eius opem in minori periculo con-

lo cōfugiſſet. Sic igitur ad illum Propheta, Stultè, inquit, egiſti, & propter hoc ex præſenti tempore aduerſum te bella conſurgent. Iratusq́ue Aſſa aduerſus Prophetam, iuſſit pedes eius in neruo conſtringi; pro quo ſcelere ipſe dolore pedum vehementiſſimo ægrotauit, & nec in infirmitate ſua, quæſiuit Dominum, ſed magis in medicorum arte confiſus eſt. Cernitis igitur, fratres, quot mala ex illa diffidentia conſecuta ſint, quam ſeculi homines non diffidentiam, ſed prudentiam appellarent, quandoquidem eo conſilio Aſſa, quod ſibi imminebat periculum depulit? Et tamen Aſſa rex alioqui iuſtus, quid in hoc conſilio periculi lateret ignorabat. At inquies, An non ignorantia hæc hominem hoc modo delinquentem excuſauit? Non omnis ignorantia, fratres, hominem à culpa liberat. Ignoranter Paulus Eccleſiam Dei perſequebatur; quæ tamen ignorantia niſi ſecuta pœnitentia fuiſſet, ab illo immanitatis & perfidiæ crimine eum minimè liberaſſet. Eſt & alia ignorantia, quæ à ſuperbia & arrogantia proficiſcitur, cùm homo tantum ſibi tribuit, vt iudicio ſuo nixus, per ſe omnia decernere, & aliorum conſiliis acquieſcere nolit. Horum enim errata, quæ ex ſuperbia & arrogantia naſcuntur, venia indigna ſunt. 2. Par. 16.

Quod ergo nobis huic tanto periculo remedium adhibes? Illud certè, quod vnicuique piorum D. Gregor. tribuit his verbis, Oportet bona opera ſciendo neſcire; quia & recta hæc æſtimare oportet & minima; recta, vt cuſtodiamus; & minima, ne inflemur. Idemq́ue rurſum, Magnus vnusquiſque eſſe, ſed tamen aliquo modo eſſe ſe neſciat: ne dum ſibi magnitudinem arroganter tribuit, amittat. Gregor. in Moral.

Nec minus ad hoc ipſum adiuuat humilis ille timor, quem Apoſtolus nobis commendat cùm ait, Noli altum ſapere, ſed time. Et illud item ex B. Iob, Verebar omnia opera mea, ſciens quòd non parceres delinquenti. Adiuuat etiam ad Dominum cum Propheta clamare, Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me Domine. Ab hoc igitur ſalutari timore ſecuritas noſtra manat. Cumq́ue timor & ſecuritas aduerſari ſibi videantur, ſic tamen inter ſe cohærent, vt timor ſecuritatis fundamentum & origo ſit: ideoq́ue Apoſtolus Petrus hoc timore incolatus noſtri tempore nos conuerſari iubet. Rom. 11. Iob 9. Pſal. 18. 1. Pet. 1.

Qua ratione autem ſalutarem hunc timorem aſſequi poterimus? Vt alia omittam, diuinorum iudiciorum conſideratio plurimum ad hunc timorem animis noſtris ingenerandum valet. Cadit à gratia Salomō, qui magnificentiſſimū Domino tēplum

erexerat, & surgit à peccato Manasses, ob cuius scelera & templum ipsum, & sancta ciuitas funditus euersa est. Cadit ab Apostolatus dignitate Iudas, surgit Saulus immanissimus Ecclesiæ persecutor atque vastator. Sed inter hęc exēpla nullum neque formidabilius neque mirabilius quàm Dauidis regis sanctissimi lapsus; quē ideo diuina prouidentia tam fœdè ruere permisit, vt eius ruina, salutaris timoris causa piis omnibus existeret. Vt enim Thomā Apostolum in fide resurrectionis suę dubitare permisit, vt (quemadmodū D. Greg. ait) eius dubitatio ad fidei nostræ firmamentū proficeret: ita etiā Dauidis lapsus piis omnibus salutaris timoris causa existit. Quis enim quātalibet sanctitate præditus, securitatem sibi in hac vita polliceatur, qui videat regē sanctissimum, eundemq. spiritu Prophetiæ plenum, totq. miraculis & responsis à Deo honoratū, & ad regni solium eo eligente & cooperante euectū, ex hoc tanto sanctitatis & dignitatis culmine in tam tetrū facinus corruisse, vt & alienā vxorem adulterio fœdarit, & innocentissimum, ac fidissimū eius virum cum totius populi offensione indignissima nece interemerit? Quis igitur hoc exēplo admonitus quādiu in hac vita degit (quæ tota tentatio esse dicitur) non semper pauidus, nō semper
Malach. 1. trepidus existat? Quid verò illud? Nascuntur ex eodem patre, eademq. matre, eodemq. partu Iacob & Esau gemini fratres; de quibus tamen Dominus ait, Iacob dilexi, Esau autem odio
Rom. 11 habui, cùm Esau natu maior esset. Qua de causa Apostolus in hanc admirationis vocem prorupit, ò altitudo diuitiarū sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis igitur non timebit te ò rex gentium? Hac ergo diuinorum iudiciorum consideratione, fratres, salutarem hunc timorem assequi poterimus, si tamen assiduis etiam precibus illum à Domino petamus.

III.

Sed iam tempus est, vt Pharisęum missum facientes, ad Publicanum veniamus. In illo vidimus quid timere & fugere debeamus: in hoc videbimus quid sequamur. Illum quidē superbia è cælo deiecit, hunc humilitas in cælum sustulit. Publicanus ergo inuitatus ad nuptias, prudenter infimum locum, in quo sederet elegit: ideoq. à conuiuij Domino celsiori loco honestatus fuit. *A longè, quippe, stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum dicens, Deus propitius esto mihi peccatori.* Omnia sunt humilitatis & verecundiæ plena; quòd à longè stabat, quòd pectus suum percutiebat, quòd sibi vni delicta sua imputa-

imputabat, quòd non iustitiam suam, sed solam Dei misericordiam in causa sua proponebat; *Deus*, inquiens, *propitius esto mihi peccatori*. Hac igitur humili prece ex Publicano & mundi seruo, Dei filius & amicus effectus est. Tantum humilis oratio & pœnitentia apud supernum iudicem valet. Qua de re sic Climacus: Inuenio, inquit, Manassen illum inter homines cæ- Clim. teris amplius & perniciosius peccasse: templumque Dei, ac religionem omnem prophano idolorum cultu inquinasse: pro quo si mundus totus ieiunasset, nullam sceleribus eius dignam pœnitentiam inferre potuisset. Valuit tamen humilitas insanabilia illius vulnera curare. Hactenus ille.

Hoc exemplo, fratres, animaduertere licet, quo animo ad Deum in precibus nostris accedere debeamus. Non enim Pharisæi animo iustitiam nostram alligantes, sed Publicani, qui totus sibi diffidens, in sola Domini misericordia spem omnem veniæ reponebat, ad orandum accedere debemus. Vtriusque au- Simil. tem affectus huius naturam hoc exemplo vobis ante oculos ponam. Inter magna mundi mirabilia non contemnendi autores referunt, esse fontem quēdam, in quem immissa accensa facula extinguitur, contraq́. extincta accenditur. Hoc exemplum ad superbiæ & humilitatis naturam exprimendam accommodatissimum mihi videtur. Veri namque humiles, qui tanquam nudi & omniū bonorum egentes ad Deum accedunt, multis ab eo donis locupletantur. Quod cōtrà iis accidit, qui sibi nimium confidentes, elato ad illum animo accedunt. Quam rem Apostolus explicuisse videtur cùm ait, Quid est quod gentes, quæ Rom. 9. non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam: Israël verò sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit? Huic tam arduæ quæstioni respondet protinus, Quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Hoc est, quia ille non diuinæ gratiæ, sed operum meritis innixus, elato ad Deum animo accedebat; à quo crimine gentes aberant, quę bonis operibus se vacuas agnoscentes, fide ac spe diuinæ misericordiæ præcipuè nitebantur. Hoc ipsum autem in Pharisæi, atque Publicani huius oratione cernere potuistis.

Sed inter hæc humilitatis insignia, quæ in Publicani oratione elucent, illud summæ humilitatis & verecundiæ erat, quòd ne quidem oculos in cælum attollere audebat. Quantum igitur hoc pudoris & verecundiæ indicium extitit? Hic est, fratres, præcipuus quidā veræ pœnitentiæ affectus. Vnde qui post multa & grauia peccata nullum pudoris vestigium in animo suo

suo sentit; suspectus sibi meritò esse debet. Constat enim duplicem esse pœnitentiam; alteram quidem humanam, ac veluti domi nostræ natam, quæ ex perspecta peccati deformitate procedit, quam Philosophi etiam agnouerunt; alteram verò cælitus missam, & à Spiritu sancto mentibus nostris infusam, quam supernaturale quoddam lumen comitatur, quo illuminata mens & diuinæ bonitatis amplitudinem, & offensionis grauitatem agnoscit. A qua quidē supernaturali cognitione huiusmodi pœnitentia, atque verecundia nascitur, quæ nec oculos quidem ad cælum leuare audet, in qua scit illū habitare, cuius maiestatem toties impudentissimè violauit. Cùm Azaël frater Ioab ducem
2.Reg.2. Israëlitici populi Abner fugientem insequeretur; Dixit ille Abner, Recede & noli me sequi, nè compellar confodere te in terram, & leuare non potero faciem meam ad Ioab fratrem tuum. Si igitur ille aspicere hominem verebatur, cuius insequentem fratrem in bello occidisset, quonammodo ad cælestem patrem oculos attollere confidenter poterit, cuius ipse vnigenitum filium toties crucifixit, toties flagellauit, toties felle & aceto potauit, quoties lethaliter deliquit?

Denique vera & perfecta pœnitentia non ob sua tantum cri-
1.Esd.9. mina, sed ob aliena etiam hoc pudore afficitur. Vnde S. ille Esdras cum Domino loquens, & pōpuli sui peccata considerans, in oratione sua dicebat, Deus meus, cōfundor & erubesco leuare faciem meam ad te: quoniā iniquitates nostræ supergressæ sunt caput nostrum, & creuerunt vsque ad cælum. Hoc igitur primum est, fratres, quod ab hoc Publicano discere debemus, hoc est erubescere, & pudefieri ante Deum in peccatis nostris; ne Propheticum illud audire mereamur, Frons meretricis facta est
Hier.3. tibi, nescis erubescere. Discamus etiam ab eodem quibus oculis Deum suspicere debeamus; quando hic adeò prudenter oculos ad Deum sustulit, cùm oculos ad cælum leuare noluit.
D.Bern. Vt enim D. Bernardus ait, Cùm oculos ad cælum attollere no-
Cant. 4. luit, ipsum ad se cælum traxit. Quanti autem referat, quibus oculis Deum aspiciamus, illa cælestis sponsi verba in Canticis declarant, Vulnerasti cor meum soror mea in vno oculorum tuorum. Hic autem sponsæ oculos flagrantissimæ charitatis oculus erat, qua ipsa à cælesti sponso vulnerata, amoris iaculum, quo
Simil. ipsa vulnerata fuerat, in illum retorsit, atque ita ipsum vulnerauit. Aiunt Mathematici, varios inter se planetarum atque syderum aspectus, varios in hoc inferiori mundo effectus producere. Simili quoq. ratione pro varietate oculorum, quibus cælestem

Item sponsum piæ mentes contemplantur, variis ab ipso donis afficiuntur. Quædam enim verecundis illum oculis aspiciunt, & ab ipso salutari timore replentur. Aliæ humilibus oculis contemplantur, & diuinæ gratiæ opibus complentur. Aliæ amantissimis oculis illum inspiciunt, & charitatis igne inflammantur. Aliæ castis oculis intuentur, & puritatis virtute donantur. Aliæ simplices ad Deum oculos attollunt, & sapientiæ dono ditantur. Rursum aliæ omnibus his modis intellectus sui aciem in illum intendunt, atque ita omnibus his gratiis ornantur. Quod si cui difficile videatur his oculis Dominum aspicere, Publicani huius humilitatem sectetur. Sic enim fiet, vt non modò peccatorum veniam & gratiam, sed cælestem etiam gloriam, quæ verè humilibus à Domino promissa est, ipso donante percipere mereamur.

IN EADEM DOMINICA X. POST PENTECOSTEN CONCIO II. in qua post Euangelicæ lectionis explanationem, de superbia, eiusque filia inani gloria disseritur.

THE. *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Lucæ 18.



IN sacra huius diei lectione, dilectissimi, cælestis magister insigni quadam siue parabola, siue rei gestæ historia, & superbiæ crimen accusat, & humilitatis virtutem commendat; quod hæc verba, quæ à me proposita sunt, satis declarant. Vtriusq. autem rei tractationẽ ad idem argumenti genus pertinere Philosophi docent; qui eandem esse contrariorum disciplinam asserunt. Dialecticus enim de veritate & falsitate; Medicus de sanitate, & ægritudine ex æquo disputant; quòd alterius rei tractatio ad clariorem alterius intelligentiam conferat. Sic igitur cùm hoc in loco humilitatem laudamus, superbiam, quæ illi contraria & inimica est, vituperamus. Quò magis autem superbiam accusamus, atque damnamus, eò magis humilitatis virtutem attollimus, quæ nos ab eius labe atque malitia incolumes conseruat. Quia verò in superiori concione humilitatis laudes quoad fas fuit, persecuti sumus; nunc superbiæ damna, ac præ-

Cassian. ac præcipuè inanis gloriæ (quam Cassianus inter octo principalia vitia numerat, & Græca voce ξενοδοξίαν appellat) quæ bonis operibus insidiatur & ab ipsis interdum robur accipit, paucis explicabimus; si prius tamen Euangelicam lectionem explanauerimus; in qua cælestis medicus salutare nobis pharmacum aduersus hunc morbum præbet. Quid enim aliud omnis eius doctrina, quàm languentium animorum medicina est? In hac enim Euãgelica lectione proposita quadam parabola, quorundam hominum tumorem curare voluit; qui in se ipsis confidebant tanquam iusti, & aspernabantur cæteros. Qua autem medicina horum saluti cõsuluit, eadem quoque omnium nostrum incolumitati prospexit. Vt hoc autem argumentum piè & religiosè tractare valeamus, cælestem opem sacratissimæ virginis interuentu suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Prius quàm Euangelicæ lectionis explanationem attingam, quomodo hæc parabola cum ea, quæ paulo antè posita est cohæreat, aperiendum est. Ad quod breuiter respondemus in præcedenti quidem parabola iniqui iudicis exemplo, orationis fiduciam & perseuerantiam nobis à Domino commendari: in hac verò Publicani exemplo eiusdem orationis humilitatem describi. Multi enim queruntur se cùm aliquid à Deo petant,
Iac. 4. non exaudiri. Cuius rei causam Iacobus Apostolus assignat cùm ait, Petitis & non accipitis, eò quòd malè petatis; hoc est, quia petitiones vestras iis virtutibus quibus fulciri debent, non iuuatis. Quæ nam istæ sunt, inquies? Tres frequentissimè in literis sanctis numerantur: quarum prima fides seu fiducia est:
Marc. 11. de qua Saluator ait, Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis. Altera verò perseuerantia est; de qua idem ait: Et ille si perseuerauerit pulsans, dico vobis, &c. Tertia au-
Eccl. 35. tem est humilitas: de qua in Ecclesiastico legimus, Oratio humiliantis se nubes penetrabit.

In hac igitur Euangelicæ lectionis parabola, Publicani (vt diximus) exemplo hæc ipsa humilitas qualis esse debeat exponitur: in ea verò, quæ hanc præcedit, tum perseuerantia, tum fiducia in oratione mirabili iudicis iniqui exemplo commendatur. Cæterùm vt fiduciæ huius (qua præcipuè infirmitas humana laborat) causam intelligatis, paulo altius ea mihi hoc in loco repetenda est.

Scire igitur oportet ex Theologorum doctrina, primam

entis diuisionem inter esse creatum & increatum, hoc est, inter creatorem & creaturas assignari; & altero quidem huius diuisionis membro solum conditorem, altero verò res omnes alias, quę vel in cælo, vel in terra sunt, comprehendi. Cùm autem innumeræ sint inter Creatorem & creaturas differentię, tres tantum hoc in loco breuiter commemorabo. Primùm enim creaturæ omnes à Deo pendent sicut ab eo cõditæ sunt. Creator autem, quia à nullo est, à nemine pendet; ideoque proprio & singulari nomine, Qui est, appellatur. Deinde creaturæ omnes ex se inopes, & egentes sunt; ille verò inexhaustus bonorum omnium atque diuitiarum fons & origo est. Postremò creaturæ proprium est mendicare & à conditore suo bona omnia exquirere; conditoris autem proprium est, à nemine quicquam accipere, sed liberalissimè omnibus omnia pro cuiusque naturæ conditione elargiri. Hinc Apostolus, Quis, inquit, cognouit sensum Domini; aut quis consiliarius eius fuit; aut quis prior dedit illi & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Hæc igitur liberalitas naturæ diuinæ, atque immensæ bonitatis eius propria est: quo nomine, Bonum, sui ipsius diffusiuum esse dicitur. Quemadmodum enim sol calorem, lucem, multiplicemque virtutem in omnia mundi corpora latissimè & naturaliter infundit: ita clarissimus ille iustitiæ Sol immensas bonorum suorum opes in omnia quæ condita sunt, liberalissimè effundit. Vt igitur creaturæ proprium est petere & mendicare; ita conditoris est largiri, & de omnibus bene mereri. Creaturas autem ad petendum adigit sua inopia atque necessitas, Creatorem autem ad donandum immensa bonitas atque largitas. Quia verò Dei bonitas longè maior, quàm inopia & necessitas nostra est, ideo longè magis conditor ad donandum, quàm creatura ad mendicãdum propensa est. Et quamuis creatura vehementer gaudet cùm beneficium recipit, multò magis conditor gaudet cùm beneficia donat. Cuius rei (vt cætera prætereamus) hoc maximum argumentum est; quòd ea in literis sanctis frequentissimè ab eodẽ Dño precatio cõmendetur: quæ nõ semel atq. iterũ, sed sine intermissione fieri præcipitur; quod quidẽ maximũ diuinæ bonitatis atq. largitatis argumentũ est. Qualis enim magni alicuius principis liberalitas esset, qui suos semper ad beneficia à se petenda solicitaret? Qualis ergo illa bonitas, quæ nos adeò instanter ad petendũ excitat his verbis, Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis? Et ne frustrà quis hoc fieri arbitretur, subdit pro-

Rom. 11.

Simil.

Lucæ 11.

protinus: Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur. Denique adeò ad benignè faciendum promptus, & ad puniendum tardus eſt, vt ſæpè patronos quærat; quorum precibus placatus, à ſeueritate ad gratiam traducatur. An non apertè hoc ipſe per Prophetam dicit, Quæſiui de eis virum, qui inter poneret ſepem, & ſtaret oppoſitus pro terra, ne diſſiparem eam, & nō inueni; & effudi ſuper eos indignationem meam. Quantum igitur hoc fratres diuinæ bonitatis & miſericordiæ, erga improbos etiam argumentum eſt; quòd grauiſſimè ab improbis offenſus atque violatus, aduocatos requirat, quorum precibus manum à cæde contineat?

Ezech. 22.

Sed hæc omnia diuinæ bonitatis argumenta ſuperat iniqui iudicis exemplum, quo nos ad orationis perſeuerātiam excitat; quod paulo ante ſacram huius diei lectionem S. Lucas memorat his verbis. Dicebat autem & parabolam ad illos; quoniam oportet ſemper orare, & non deficere, dicens; Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, & hominē non reuerebatur; Vidua autem quædam erat in ciuitate illa, & veniebat ad eum dicens, Vindica me de aduerſario meo. Et nolebat per multum tempus. Poſt hoc autē dixit intra ſe, etſi Deum non timeo, nec hominem reuereor, tamen quia moleſta eſt mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouiſſimo veniens ſuggillet me. Ait autem Dominus; Audite quid iudex iniquitatis dicit, Deus autem non faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die ac nocte; & patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum.

Lucæ 18.

Animaduertite quæſo, fratres, quàm impari exemplo nos cæleſtis magiſter ad orationis fiduciam & perſeuerantiam inuitat, dum ſe ipſum iniquiſſimo iudici, hoc eſt, ſummam bonitatem cum extrema iniquitate comparat. Magnam certè nobis fiduciæ materiam præberet, ſi ſe carnis noſtræ parentibus compararet, quemadmodum alibi dixit, Si vos cùm ſitis mali noſtis bona data dare filiis veſtris, quantò magis pater veſter cæleſtis dabit ſpiritum bonum petentibus ſe? Quantum enim is patres carnis noſtræ ſuperat bonitate, tantùm etiam paterna erga ipſos ſuperat charitate. Potuiſſet etiam ſe vel alicui magnifico principi, vel certè cuiuis homini, qui non eſſet ab humanitatis affectu alienus, comparare. Sed his omnibus prætermiſſis, ſe ipſum cum iniquo iudice componit; vt mirabilem perſeuerantiæ atq. fiduciæ virtutem clarius oſtenderet; quæ nō quemuis hominem, ſed iniquiſſimum etiam hominem ab omni religione

Lucæ 11.

gione & humanitatis affectu alienum (vtpote qui neq. Deum, neque hominem reuerebatur) impulit, vt postulata concederet. Si ergo sic se cum importuna vetula inhumanus ille atque impius iudex gessit, quid quæso summa illa & immensa bonitas non faciet? quid non donabit, cùm electi eius filij die ac nocte ad illum clament? Si enim tantum præstitit iudicis iniquitas, quid infinita Dei bonitas? Si tantum præstitit homo crudelis & inhumanus; quid ille, qui tantoperè ad dandum propensus est? Si eò vsque processit iniquitas, quò perueniet diuina largitas? Si ille viduæ, quam contemnebat, perseuerantia victus est, quid ille faciet continuis electorum atque filiorum suorum precibus excitatus? Quid non faciet rogatus, qui tam multa beneficia in genus hominum contulit non rogatus? Quid non faciet in gratiam iustorum, qui tam multa propter salutem pertulit peccatorum? Non video, fratres, quo alio argumento cælestis magister, orationis perseuerantiam, & diuinæ miserationis fiduciam potuerit commendare, quàm cùm se cum iniquo iudice comparare dignatus est. Sed quoniam non satis hanc tantam Domini dignationem explicare scio, vos ipsi eum deprecamini, vt qui hac similitudine misericordiam suam vobis declarare voluit, eius vim aperire dignetur. Illud autem dissimulare non possum, quòd quisque neque hoc argumento conuictus, aut in fiducia diuinæ miserationis nutat, aut orandi perseuerantiam parum ad impetrandum conferre putat, (quod dictu nefas est) eo ipso opere, misericordiæ parentem hoc iniquo iudice deteriorem & crudeliorem facit: quippe qui non præstet, quod inhumanus & crudelis iudex præstitit. Quod cuius blasphemiæ sit, facilè ipsi cernitis. Oremus ergo, fratres, & in oratione perseueremus, & fidenter oremus: nunquam enim hoc frustra faciemus.

I.

His ita constitutis, ad Euangelicam parabolam veniamus: in qua tertia orationis conditio, hoc est vera cordis humilitas commendatur. Ait igitur Dominus:

Duo homines ascenderunt in templũ vt orarent, vnus Pharisæus, et alter Publicanus. Pharisæus stans hæc apud se orabat, &c. Quãuis in tẽplo stantes, piè & religiosè orent, religiosius tamen orant qui vel flexis genibus, vel humi procũbentes orãt: quemadmodum orauit in horto Christus Dominus procidens in faciem suam veluti seipsum ante superni Patris conspectũ prosternens, & ad nihilum redigens. Cùm autem hoc in loco Pharisæus stare describitur, magis hoc ad eius superbiam, exprimen- Matt. 26.

mendam, quàm ad reuerentiam designandam dicitur: sicut & cætera, quæ in eius oratione apparent. Sed orationē videamus.

Deus, inquit, *gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus. Ieiuno bis in Sabbato; decimas do omnium, quæ possideo.* Quid in hac oratione reprehendi potest, quando in ea Pharisæus pro beneficiis à Deo perceptis gratias agit? Hoc enim perinde videtur, ac si diceret: Cùm seculi homines, Domine, tam multis sceleribus inquinati sint, quibus ego tanquam eiusdem naturæ, atque peccati consors inquinari potuissem, gratiæ tuæ deputo, quòd à tantis me malis eripuisti. Quod si bona sua proferre vitio datur, quid Paulo facies, qui adeò apertè fatetur se plus omnibus laborasse, plus in Euangelio diuulgando profecisse, & plura pro-
1.Cor.15. pter Christum supplicia pertulisse? Quid verò sanctus Iob? An
Iob 29. non ipse longa oratione opera sua enumerat, pauperumque patrem, cæcorum oculum, & claudorum pedem se se profitetur? Quid regius vates? Quoties innocentiæ, atque bonorum
Psal. 17. operum suorum catalogum texit? Quia, inquit, custodiui vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo, &c. Quid illud? quàm ardenti & concitata oratione pronunciatum? Venite, ait, audite,
Psal. 65. & narrabo vobis omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ? Si igitur his omnibus non vitio, sed laudi datur, quòd virtutes & egregia facta sua non solùm Deo, sed hominibus etiam enarrarent; cur Pharisæus accusatur, qui virtutes suas non quidem hominibus (in quo plus inerat periculi) sed Deo gratias agens commemorat? Certè si verba spectes, vix aliquid quod sit reprehensione dignum inuenies.

Hinc discimus, fratres, quàm sit occultum superbiæ vitium, & quàm multis modis auctorē suum fallat. Vitium igitur non tam in verbis & oratione, quàm in animo erat. At ponderator spirituum Dominus non verba, sed internam animi elationem intuebatur. Itaque in illis sanctorum verbis animum fraterna charitate incensum, & veritatis atque iustitiæ patrociniū, quod illos ad bona sua proferenda excitabat, inspiciebat: in hoc autem mentem eius superbiæ spiritu inflatam contemplabatur: ideoq; illorum verba propter pietatem animi coronat, huius verò propter superbiæ & elationis spiritum damnat. Vnde colligimus, fratres, non tā ex verbis aut operibus nostris, quàm ex animi intentione & proposito nos esse iudicandos. Quare nemo sibi de sola externa boni operis facie blandiatur, sed interiora sua rimetur, exploretq. diligenter quid in penetralibus animi sui lateat;

quo affectu, qua mente, qua intentione pium opus edat. Ex hoc enim à Domino iudicandus est. O quantæ hîc amoris proprij fibræ sub pietatis specie latere solent; quæ quidem cùm Deo secretorum omnium cognitori pateant, auctorem tamen suum sæpè latent! Certè Pharisæum hūc latebant, in quo sub gratitudinis imagine tumor mētis, & proximorū despectus abscondebatur. Propter hoc enim aiebat, Gratias tibi ago quia non sum sicut cæteri hominum.

Hinc D. Augustinus Pharisæum arguens ait, Dicere potuisset, Non sum sicut multi homines. Quid est cæteri hominum, nisi omnes præter ipsum? Ergo solus Pharisæus iustus est, cæteri autem peccatores. Videtis animi tumorem & elationem? Vnde quæso hæc tanta sui fiducia & aliorum contemptus? Certè ex illa, quę à Græcis dicitur φιλαυτία, hoc est, immodicus sui amor. Hæc enim sæpè homines vsque eò excæcat, atque de mente deducit, vt tantum sibi tribuant, quantum se ipsos diligunt. Quo fit, vt homo singularem quendam & principem locum sibi arroget; neque vllo modo inter vulgi homines se consistere patiatur. Si, quid in imo nobilis viri corde repositum sit videre posses, ibi ferè scriptum reperires, se neque nobilitate, neque prudentia, neque magnitudine animi, neque maiorum gloria cuiquam cedere. Adeò omnibus omnia sua placent, & suum cuique pulchrum. Interdum etiam tantum sibi horum aliquis tribuit, vt credat ideo Rempublicam labare, quòd ipse ad eam fulciendam ascitus non sit. Quod si ipsi contingeret, vt Reipub. clauum teneret, longè aliter omnes pacis & belli artes processuras. Sed ad Pharisæi orationem redeamus. Aug.

Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, &c. Quid rogauerit Pharisæus iste (inquit August.) quære in verbis eius, & non inuenies. Ascendit orare; noluit Deum orare, sed se laudare; insuper etiam roganti Pnblicano cœpit insultare. *Non sum*, inquit, *sicut cæteri hominum; velut etiam hic Publicanus.* O insignem temeritatem! Dei sibi officium superbè arrogauit, cuius solius est scrutari renes & corda.

Ieiuno, inquit, *bis in Sabbato: decimas do.* Hoc est, non tātum, quemadmodum vulgus, frumenti, vini, & olei, sed, *omnium quæ possideo*, decimans etiam mentam, & rutam, cyminum, ac minutissima quæque. Hic obseruandum, qualia sint, ob quæ hîc Pharisæus, & qui huic similes sunt, sibi iustitiam vendicant, nimirum externa tantum opera & magis humanorum mandatorū, quàm diuinorū obseruationes; cùm ante omnia curanda sint

quæ

quæ ad mentem pertinent, pietas, iustitia, misericordia, humilitas, & id genus cæteræ virtutes; & quæ Deus præcepit priori
Matt. 23. sint habenda loco. Hinc Saluator in Euangelio ad huiusmodi homines, Væ, inquit, vobis Pharisæi, qui decimatis mentam, & rutam, & omne olus, & præteritis iudicium & charitatem Dei. Hæc oportuit facere, & illa non omittere.

Sed multos Christianorum hoc exemplo arguere possum, fratres, & illos primùm, qui cùm à nobis obiurgantur quòd parum religiosè viuant, respondere solent, Ego non rapio, non occido, non adultero, non vim cuiquam infero; quid igitur amplius à me requiris? Hoc ipsum Pharisæus dicebat; insuper & decimas integrè soluebat, & bis in hebdomada ieiunabat, quod tu minimè facis, & tamen iniustus erat. Præterea si hic Pharisæus, qui à communibus multorum vitiis aberat, iustus apud Deum non erat, quid improbi homines de se sperare poterunt? Si enim in statu damnationis est qui neque aliena rapit, neque adulterium committit, neque decimas surripit, neque ieiunia legitima violat, quandoquidem sponte sua bis ieiunat in Sabbato; quid quæso facient qui aliena diripiunt, & violenter detinent? qui oculos habent plenos adulterij & incessabilis delicti? qui neque decimas fideliter soluunt, neque bis in hebdomada ieiunant, imò qui nulla ab Ecclesia ieiunia instituta seruant? quid inquam isti flagitiis cooperti sperare poterunt, si qui ista præstabat à Domino damnatur?

Hæc autem ratio, fratres, iam dudum mihi persuasit, vt credam paucos admodum esse, qui æternam salutem consequantur. Quantum enim coniectura consequi possum, duo sunt hominum genera, quæ ab æterna salute excludũtur: alterum quidem infidelium, alterum verò eorũ, qui cùm fideles sint, infidelium mores & vitam sectãtur: qui videlidet ita cupiditatibus suis indulgent, & mundi legibus sine vllo diuini numinis metu seruiunt, quique ita se totos libidinibus suis addixerunt, ac si nullum diuini iudicij metum haberent, nullam fidem ac religionem colerent. Vbi enim similia flagitia sunt, quid nisi eundem
Ezech. 23. exitum, eandemque sortem sperare conuenit? Hanc enim sententiam iampridem Dominus aduersus Iudęam protulit: In via sororis tuæ ambulasti, & dabo calicem eius in manu tua.

II.

Sed iam omisso Pharisæo ad Publicanum veniamus, de quo Saluator ait: *Publicanus autem à longè stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare: sed percutiebat pectus suum dicens, Deus propitius*

tius esto mihi peccatori. Omnia sunt humilitatis plena; locus item & oratio eius cum animo & oculis consentiebat. Animus enim demissus erat, oculi ad terram deiecti; locus in quo orabat longè à sanctuario: oratio verò his omnibus consentiens huiusmodi erat, *Deus propitius esto mihi peccatori.* Totus ergo interius & exterius velut quodam humilitatis indumento amictus erat. Quare nihil mirum si humilitatis amatorem Dominum ad se traxerit. Verissimè enim à diuo August. dictum est, O quàm excelsus es Domine, sed humiles corde sunt sedes tuæ. August.

Stabat igitur à longè, & nolebat nec oculos ad cælum leuare, iudicans eos indignos visione superna, qui maluisset bona spectare terrena quàm cælestia; agnoscens se indignum, qui eò cõuerteret intuitum, vbi sedem habet is, quem se dolebat offendisse. Attamen pius Dominus, qui humilia respicit in cælo & in terra, quem propter humilitatem longius astare videbat, de propinquo respexit, eius peccata clementer condonans. Nec contentus à longè stare percutiebat pectus suũ (nõ quidem eo modo, quo nonnulli hoc tempore in Ecclesia pectus sola manu sine vllo doloris sensu percutientes, vagos & curiosos oculos, ne dicam impudicos, per omnes Ecclesiæ angulos circunducunt.) Sed magno cordis dolore pectus tundebat, velut reprehendens cor suum, quod ipsi admissorum criminum origo esset & causa, illúmque malorum omnium fontem repurgari à Domino postulans. Verè enim de corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, &c.

Tunsioni autem pectoris humilem addebat precationem, breuem illam quidem verbis, sed doloris affectu longam: non quidem (vt Pharisæus) gratias agens (qui nihil se habere credebat eorum quæ ille iactabat) sed humiliter se accusans, & peccatorum veniam postulans. Hoc sanè conuenientius fuit orationis suæ, quàm illud Pharisæi exordium. Vt enim sapiens ait, Iustus in principio est accusator sui. Itaque aiebat, *Deus propitius esto mihi peccatori.* More igitur illius prodigi filij in animo suo orabat, Pater peccaui in cælum & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenariis tuis. Esto igitur placabilis ac propitius mihi peccatori. Non allego merita, nulla habeo bona opera, sed prouoco ad tuam misericordiam. Ego peccator sum, tu misericors es. Ego pœna dignus sum; in te est, vt eam vel infligas, vel condones. Ego homo sum peccator; tu Deus misericors. Ego iniquitatem meam agnosco: ego me accuso & condemno; tu me absolue, tu mei miserere, vt iustifi-

Prou. 18.
Luc 15.

T

Psal. 50. iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris. Apud te enim misericordia, apud te propitiatio est. In me quidem vnde me condemnes, in te verò, hoc est in immensa tua bonitate, vnde me serues. Quãuis enim ego admisi vnde me damnare possis, tu non amisisti vnde saluare soles.

Hactenus, fratres, audiuimus in Pharisæo superbum accusatorem, in Publicano autem humilem reum: nunc superni iudicis sententiam audiamus. *Dico vobis, descendit hic iustificatus in domũ suã ab illo: quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.* Verè enim (vt Salomon ait) superbum sequitur humilitas; & humilẽ spiritu suscipiet gloria. Hãc igitur humilitatis virtutem, fratres, præcipuè colamus; idque tantò diligentius, quanto vehementius in aliarum virtutum acquisitione profecerimus. Parum enim nobis conferet in aliarum virtutum studio profecisse, nisi virtutũ omnium custodem humilitatem solicitè seruare studeamus. Simil. Sicut enim magistratui ciuitatis parum prodesset quòd ciuitas validissimis circundaretur muris, & diligenter custodiretur, si ruinam relinqueret, ex qua in eam tutus hosti pateret accessus: vel nautæ quod nauim tabulis & clauis instaurare fecisset, si ruinam minus decenter consolidatam reliquisset, ex qua intra nauim aqua ingredi, & eam submergere posset: ita etiam homini parum proderit aliquot fugere vitia, de bonis operibus gratias Deo agere, & eleemosynas illi offerre, si vitio animi elati viam inimicis relinquat, qua ingredientes omnia perdant. Hactenus de Euãgelica lectione: nunc sententiam themate comprehensam expendamus.

TRACTATIO THEMATIS.

III.

Omnis qui se exaltat humiliabitur; & qui se humiliat exaltabitur. Diximus initio, fratres, ex philosophorum doctrina eandem esse contrariorum disciplinam: quia videlicet ex alterius cognitione, alterius cognitio pendeat. Quocirca cũ in hac proposita sententia Dominus & superbiam accuset & humilitatem commendet, eo ipso, quo superbiam vituperamus, humilitatis virtutem, quæ nos ab ea liberat, commendamus. Cùm autem superbiæ vitium fecundissimum sit, pluresq́. intra sinum suum virulentas propagines complectatur, eius filia inanis gloria latissimè patet: quæ (vt antè diximus) bonis operibus insidiatur. Cùm enim cætera vitia multiplicatis virtutibus decrescere & minui soleant, sola inanis gloria est, quæ nisi diligenter prospiciamus, ex ipsis virtutum incrementis robur ad tentandum colligit,

ligit, vtpote quæ sciat vni tantum virtuti honorem & gloriã deberi: quo nomine non alienum honorem vsurpare, sed debitum sibi vendicare videtur. Vnde quemadmodum tinea à vestimento nascitur, & vestem ipsam, hoc est, parentem, à qua nata est, corrumpit: ita ex præclaris virtutum actionibus inanis gloria occasionem arripiens, virtutes ipsas diruit atque corrumpit. Itaque tantum abest, vt inanis gloriæ pestis aliarum virtutum officiis extinguatur, vt (cõtra aliorum vitiorum naturam) ipsis virtutum successibus pinguescere soleat. Hinc Ioannes Climacus insigne inter desperationem & inanem gloriam discrimen assignat, his verbis: Gaudet desperationis spiritus, cùm videt multiplicari vitia: contrà verò inanis gloria, cùm virtutes multiplicari animaduertit. Prioris ianua est multiplicatio vulnerum: secundi, diuitiæ laborum. Expectat formica donec perficiatur triticum: inanis autem gloria, dum congregantur virtutum opes: Idemque alibi singulis virtutibus singula vitia virtutis eius imaginem referẽtia opponit. Discretioni namq; astum, castitati amaritudinem, hospitalitati ingluuiem, spei pigritiam, mansuetudini desidiam, cæteraque similia vitia virtutibus confinia, & tamen inimica esse docet. Cæterùm inanem gloriam nõ vni alicui virtuti, sed virtutibus cunctis insidias struere testatur. Itaque vnicuique virtuti suum veluti vermem illam corrodentem subiecit: inanem verò gloriam nõ vnius, sed virtutum omnium vermem esse dixit. Simil. Dissimil. Simil.

Denique eò vsque nequissimi huius spiritus virulentia procedit, vt non ex aliis virtutibus modò, sed ex ea quoque victoria, qua ipse vincitur, vincendi occasionem arripiat. Dum enim victus terga vertit, sagittas mortis aduersus insequentem iaculatur. Quam rem D. Fulgẽtius ornatissimè depingit his verbis. Vitiorum auctor dæmon in eo, quod non potest vincere vitiis suis, vincit virtutibus alienis. Armis quibus eliditur, surgit: & virtute qua deiicitur, deiicit. Laudat qua se perspicit superari virtutem, vt victus possit captiuare vincentem. Iniicit enim cordi iactantiam, vt grauiori lapsu, de alto possit deiicere si quos in humilibus videt gradu firmiore pugnare. Quid autem hac ruina aut miserabilius, aut mirabilius? Hactenus ille. Fulgentius.

Tales autem D. Gregorius suis ipsorum armis, suaq. victoria superari ait his verbis. Sub hoste quem prosternit moritur, qui de culpa, quam superauerat eleuatur. Vt autem hoc ipsum quod diximus proposito exẽplo fiat illustrius, quid ea de re idem Ioannes Climacus scriptum reliquerit, in medium proferamus. Gregor. Clim.

Sic enim ait: Notauit quidam ex iis, qui videre acutius poterãt, narrauitque quod viderat. Cùm sederem, inquit, in cœtu quodam, aduenientes ad me inanis gloriæ, & superbiæ dæmones iuxta me ex vtraque parte sederunt. Et vnus quidem ex iis digito suo illo vanissimo pulsauit latus meũ; hortans, vt aliquid, quod ad contemplationem pertineret, siue opus quoddam in deserto à me gestum loquerer: quem cùm à me repulissem dicens, Cõuertantur retrorsùm & erubescant, qui mala mihi cogitãt, protinus is, qui à sinistris erat, ad aurem mihi dixit, Eia, bene fecisti, magnusque effectus es; quippe qui impudentissimam matrem meam viceris. Ad quem ego ritè sequentem versum resumens, dixi, Auertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, Eia bene fecisti.

Psal. 69.

Sed iam expendere incipiamus, qua ratione acerrimum hűc cunctarum virtutum hostem superare valeamus. Ad hoc igitur primum quidem vehementer adiuuat, vt quatenus pro statu cuiusq. conditione fieri poterit, iustitiam nostram ab hominum oculis abscondamus. Quod consilium à cælesti magistro accipimus, qui ait, Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Non potuit illis verbis secretum boni operis magis commendare, quàm cùm prohibuit, ne sinistra sciret quòd dextera faciebat. De beato Ioanne Climaco in eius vita scribitur, quòd solitudinis secessu sanguisugam inanis gloriæ vitare studebat. Appellabat autem eam appositissimo nomine sanguisugam, quòd ea sensim & leniter omnem bonorum operum succum ebibere & exhaurire soleat. Cùm autem necessitatis ratio flagitat vt bona opera in luce ac celebritate hominum edenda sint, illa D. Gregor. cautio tenenda est, vt videlicet sic sit opus bonum in publico, quatenus intentio maneat in secreto, vt & per bonum opus proximis præbeamus exemplum, & per intentionem, qua soli Deo placere cupimus, semper optemus secretum.

Matth. 6.

Sed est tamẽ aliud secretum interius, quod tanto maiori studio captandum est, quanto secretius adhuc nocere potest. Non enim ab alienis tantum oculis, sed à nostris quoque periculum nobis imminet. Periculum enim est, si in bonis, quæ agimus paulo diutius oculos defigamus (etiam cùm pro illis Domino gratias agimus) ne ab ipsis etiam, sicut ab aliis, fascinemur: & ipsi nobis Sathan & laqueus efficiamur. Fieri enim aliquando potest, vt sub obtentu gratiarum actionis in vitium incidamus elationis, quod huic Pharisæo accidisse vidimus. Ideoq. vitandi

huius periculi gratia sancti patris monent, vt diutius homo in peccatorum, quàm in huiusmodi beneficiorum consideratione versetur: maiori que studio quid sibi ad virtutem desit, quàm quid adsit, inquirat. Hac enim ratione in humilitatis virtute stabiliores, & ab occultissimo superbiæ & inanis gloriæ vitio erimus tutiores. Hic enim domesticus & familiaris hostis centenis obseruandus est oculis, ne (vt assolet) occultè nobis subrepat, & omni laborum fructu spoliet. Monachus quidam iunior seniorem in vitis patrum rogauit, quid esset in causa, quòd cùm ipse in congregatione monachorum degens frequentissimè ieiunaret, in solitudine positus vix hoc sibi imperare posset. Cui sanctus senior inanis gloriæ vim atque naturam solerter attẽdens, In monasterio, (inquit) fili, cùm tibi ieiunare videbaris, non ieiunabas: erat enim aliquid vnde pascebaris, nempè aura inanis gloriæ, quæ tibi propter abstinentiæ laudem tribuebatur: qua in solitudine sublata, vbi spectator defuit, defuit & ieiunandi studium. Ex cuius verbis satis liquet, quanta nobis attentione & vigilantia opus sit, vt subtilissimi huius vitij molles aditus obseruemus: quod propterea vento & auræ toties cõparatur, quòd quauis vel exigua rimula in nobis deprehensa aditum sibi in mentibus nostris aperiat.

Illud præterea prouidendum, vt non in operis initio solum, sed in progressu etiam & fine eã mentem ac synceritatẽ, quam nobis initio proposuimus, retineamus: nec nos in portu iam tutos nauigare credamus, cùm sana mente bonum opus auspicati sumus. Callidus quippe hostis noster non protinus quiescit, sed dat operam, vt quam intentionem vitiare initio non potuit, in progressu, aut fine operis (cùm securus sibi iam homo videtur) vitiet. Quod videmus Balaam ariolo contigisse, qui cùm vocatus à rege Moabitarum absque Domini imperio ire recusasset, Num. 22. & ab eo iussus esset ire, in medio tamen itinere ab Angelo correptus, ac pænè occisus est; quòd videlicet peruersa esset via eius Deoque contraria. Quomodo autem peruersam viam, tibique contrariam asseris, quã tu ipse iniunxisti? Nimirum quia quod rectè ex imperio Domini cœptum erat, in medio itinere commutatum fuit: dum ariolus in mercedẽ regis oculos coniiciens (vt Iudas Apostolus ait) ad eius gratiã loqui destinauerat. Hinc D. Gregor. Sæpè, inquit, dum bono operi laus humana obuiat, mentem operantis inuitat, quæ quamuis initiò quæsita non fuerit, in medio tamen oblata delectat.

Vltimo loco huius vitij grauitatem solicitè attendamus, quo

ab illo nobis diligentius caueamus. Quia enim pœna sequitur culpam sicut vmbra corpus, ex pœnæ magnitudine culpæ magnitudinem colligere licebit. Ergo Nabuchodonosoris supplicium consideremus, qui mundi Monarcha septennio cum feris more ferarum vitam egit, quòd in superbiam elatus fuerit. Iam verò quis Herodis supplicium non miretur? non horreat? qui quoniam adulantis populi vocibus elatus, Deo gloriam (vt par erat) non dedit, sed sibi eam sumpsit, ab Angelo grauissimè percussus, vermibus exesus expirauit. Et quidem is Iacobum Apostolum occiderat, & Petrum in vincula coniecerat, vt ipsum in Iudæorum gratiam simili modo iugularet. Nec ob hæc duo atrocissima crimina vllas ab eo Dominus pœnas pendit: quia tamen ob hanc indignissimam, quam sibi sumpsit gloriam, nouo atque horrendo supplicij genere pœnas dedit. Huius ergo pœnæ magnitudo quantum hoc vitium humilitatis amatori displiceat, apertissimè declarat. His igitur remediis, fratres, mei nostras aduersus importunum & familiarem hunc hostem armemus; vt ab ipso liberati, in humilitatis virtute stabiliamur, vt in tẽpore visitationis nos exaltet ille, qui ait, *Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.* Cui est gloria, & imperium in secula seculorum Amen.

Dan. 4.

Act. 12.

DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN CONCIO PRIMA: IN

qua lectio Euangelica explanatur: in cuius explanatione primo loco quid per hominem surdum & mutum intelligi debeat, exponitur; secundò verò morbi huius grauitas indicatur: tertiò verò eiusdem morbi remediũ per ea, quæ Dominus in eius curatione fecit, declaratur.

THE. *Suspiciens Iesus in cælum ingemuit, & dixit, effeta, quod est, adaperire.* Mar. 7.



DVo sunt, dilectissimi, in quibus medicinæ ars præcipuè versatur. Nã & morborum vim, & grauitatẽ declarat; tum deinde eorundẽ remedia, & medicamẽta tradit. Cùm autẽ homo corpore & anima constet, nec minus anima quàm corpus multis morborũ generibus obnoxia sit, ideò scriptura diuina, quæ lan-

languentiũ animarum medicina est, hæc eadem vbiq. docet. Ea namq. peccatorum differentias, & grauitatem declarat, & varia quoq. animarũ languoribus medicamẽta proponit. In quarum rerum cognitione tota Christianæ Philosophiæ summa continetur. Quisquis enim peccati grauitatem iustis ponderibus librare & qua ratione huic morbo mederi debeat intellexerit, hic planè Christianæ Philosophiæ summã complexus est. Hæc autem duo cælestis medicus mira quadam & noua ratione in hodierna S. Euãgelij lectione docet, cùm hominẽ surdum & mutum sanat. De his igitur in præsenti concione dicturi, cælestem opem sacratissimæ Virginis interuẽtu suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Narrat S. Euangelista Marcus oblatum Domino à quibusdam fuisse hominem surdum & mutum, à quo suppliciter petebant, vt manus suæ contactu ægrum cõtingens, illi sanitatem donaret. Qua in re & benignitas Domini, & supplicantium fides, charitas, & vis orandi apertè colligitur. Fdei enim fuit credere Dominum solo manus suæ contactu sanitatẽ donare posse: Charitatis autem & misericordiæ fuit, languentis hominis curam habere, eumque cælesti medico curandum offerre. Vis autem orationis in eo apparet, quòd quæ fidenter petierunt, facilè impetrarunt. At benignitas Domini in eo potissimùm elucet, quòd non solum propriis languentium meritis, & precibus, sed alienis etiam placatur, & postulata concedit. Hinc Ecclesia sanctos qui in cælo resident, assiduè precatur, vt pro nobis apud communem Dominum intercedant, vt qui post enauigatum turbulentum huius mundi pelagus ad fidam littoris stationem peruenerunt, de salute sua securi, de nostra sint soliciti.

Oblatũ ergo Domino surdum & mutum noua quadam (vt antè diximus) & mirabili ratione curauit. *Apprehendens namq. hominem de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius, & suspiciens in cælum ingemuit, & ait illi, effeta, quod est adaperire: & statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculũ linguæ eius, & loquebatur rectè.* Nemo adeò stupidus erit, qui in his Domini ceremoniis otiosum aliquid esse credat: omnia mystica sunt, omnia salutarem doctrinam sub hisce imaginibus continent.

Vt igitur quid Dominus hac noua curandi ratione docere voluerit expediamus, scire oportet, in hoc homine surdo & muto eum hominem designari, qui mentem habet surdam & mutam. Hoc autem modo surdus est qui aure cordis verbum Dei

 mini-

minimè percipit. Mutus autem est, qui os habet in oratio
clausum: quæ duo mala hominem in extremum salutis discri
men adducunt; quando miser homo nec Deum loquentem au
dit, nec ipsum Deus. Constat autem (vt de priori morbo pri
dicamus) inter præcipua diuini spiritus instrumenta; quo men
tes hominum sanātur, esse Dei verbum, quod per aures corpo
ris in aures penetrat mentis, easque diuina luce complet, dō
ga diuina afficit, atque ita demum sanitatem confert. Hi sa
Sap. 16. piens: Non enim, inquit, herba, aut malagma sanauit eos
sermo tuus Domine, qui sanat omnia. Huius enim sermo
virtute vniuersum ad se mundum Dominus traxit. Cùm sace
Iosue. 7. dotes tubis sacerdotalibus cecinerūt, illico muri Iericho corrue
runt. Quo indicio significare Dominus voluit mundi potētiam
atque tyrannidē sacerdotalibus tubis, hoc est sermone Domini
& Apostolica prædicatione fractam, & superatam fuisse. Hi
1. Pet. 1. Petrus Apostolus fideles renatos esse ait per verbum Dei viui
permanentis in æternū. Hic igitur tantus fructus ex diuini ver
bi doctrina manauit, quo deficiente, ieiuna, arida, & sterilia fu
Prou. 14. omnia. Hinc Salomon: Vbi non sunt, inquit, boues, præsep
vacuum est: vbi autem plurimæ sunt segetes, ibi manifesta
fortitudo bouis. Quo genere loquendi vir sapiens quid copia
vel inopia cælestis doctrinæ pariat significauit. Bouis enim no-
mine strenuos atque fideles diuini verbi operarios intellexit.

Vt autem huius verbi doctrina salutaris homini sit, oratio
adhibenda est: cuius officium est opem Domini assiduè implo
Eccl. 35. rare. Hinc Ecclesiasticus, Qui, inquit, conseruat legem, multi-
plicat orationem. Hac enim auxilium à Domino petit, quo le-
Psal. 118. gem ab ipso latam seruare queat. Sic etiam diuinus Psaltes, Os,
inquit, meum aperui, & attraxi spiritum: quia mandata tua de
siderabam; hoc est ex intimo corde preces ad te Domine fudi,
vt mentem meam corroborares, quo mandata tua (quæ sup
Psal. 118. aurum & topazium diligebam) per gratiā tuam adimplere pos-
sem. Mutuò ergo ista se adiuuant; hoc est, diuinæ legis discipli-
na, & orationis instantia. Oratio enim gratiam impetrat, hæc
verò legem implere potest.

Iacob. 5. Quanta sit autē orationis vis, Iacobus Apostolus declarat his
verbis: Multum valet deprecatio iusti assidua. Elias homo erat
similis nobis passibilis, & oratione orauit, vt non plueret super
terram, & non pluit annos tres, & menses sex. Et rursum orauit,
& cælū dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum. Quorsum
ait Eliam hominem fuisse similem nobis passibilem, nisi vt mi-
rabilem

rabilem vim orationis ostenderet, per quam homo eam ferè dignitatem assequitur, quæ Dei propria est? Deus enim est, qui ligat aquas in nubibus; Deus est, qui dat nobis pluuiam temporaneam & serotinam, qua terra germinet fructus suos. Tantum autem oratio potest, vt hoc ipsum Dei munus & officium sibi sumat. Sed dicet aliquis, Non adeò mirum est Eliam virũ sanctissimum hoc precibus impetrare potuisse, nos autem longissimè ab Eliæ merito & sanctitate distamus. Proponam ergo vobis hominem, qui nihil de Christo Domino, nihil de eius Euãgelio audierat: cuius tamen oratio cum eleemosyna coniuncta mirabilem à Domino gratiam consecuta est. Cornelio enim Actor. 10.
centurioni apparens in veste fulgenti Angelus ait, Corneli orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriã in conspectu Dei. Et nũc mitte viros in Ioppen, & accerse Simonem, qui cognominatur Petrus: hic dicet tibi quid te oporteat facere. Cùm autem vocatus Apostolus venisset, & Christi mysterium coram centurione & omni domo sua prædicare cœpisset, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum, & obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerãt cum Petro: quòd & in nationes Spiritus sancti gratia effusa esset. Audiebant enim illos loquentes linguis & magnificãtes Deum. Quid ergo mirabilius, quàm eandem Spiritus sancti gratiam, eademque dona linguarum, quæ Apostolis concessa sunt, hominibus ethnicis momento temporis impartiri? Quid autem hanc tantam gratiam quæ stuporem fidelibus incussit, nisi oratio cum benignitate coniuncta consecuta est?

Sunt igitur, fratres, oratio cum diuina lege duo præcipua Christianæ vitæ fundamenta, sine quorum subsidio atque ductu nemo salutis viam ingredi poterit. Vnde Dominus populo suo quem ex Aegypto ad promissam terram ducebat, duos strenuos duces prouidit, Mosem & Aaron fratres. In Mose autem legislatore, legem quæ Dei verbo continetur intelligimus; in Aarone autem sacerdote (cuius munus & officium est sacrificiis & precibus diuinum numen placare, & opem eius implorare) orationis studium accipimus, quæ in hoc eodẽ officio versatur. Hi igitur duo duces ad hoc salutis iter nobis necessarij sunt: qui meritò fratres dicuntur, propterea quòd hæc duo vitæ nostræ subsidia germana charitate deuincta, mutuas sibi operas præstant, totúmque interiorem hominem ornant atque perficiunt. Lex enim iugum atque onus mandatorum diuinorum humeris nostris imponit; oratio autem Spiritus sancti consolatione

refecta, iugum hoc suaue facit & leue.

Nunc quæro à vobis qualis erit eorum vita, qui his præsi
destituti sunt: qui vix aures habẽt quibus legem Domini & v
bum eius accipiant, vix item os, quo eiusdem opem implor
qua legem adimplere possint. Tales autem per hunc homi
surdum & mutum commodissimè figurantur: quorum, p
dolor, multos esse in Ecclesia videmus; qui cùm multis
sacris concionibus interfuerint, ne vnum quidem verbu
ternis auribus acceperunt: qui cùm fidem habeant, sic vi
quasi fidei lumine orbati essent; sic audiunt quasi prorsus
audirent. Nihilo enim magis his, quæ audiunt commoue
quàm si ea quæ dicuntur, ad eos minimè pertinerent. Hu
Psal. 57. tem aspidibus similes esse Propheta docet his verbis, Fur
lis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & o
turantis aures suas; quæ non exaudit vocem incantantium,
Simil. venefici incantantis sapienter. Vulgò enim ferũt aspidem q
incantatur, ne lethali veneno homines inficiat, alteram aur
terræ affigere, alteram verò cauda in eam immissa obstru
vt ita demum veneni vis intus latentis illæsa maneat. Ad h
igitur modum cùm sapiens incantator, hoc est, diuini v
concionator obstinatos homines ad sanitatem perducere, l
thale peccati venenum, quod in eorum mentibus residet, pe
re contendit; illi contrà, dæmone id operante, sic aures sua
diuinæ incantationi claudũt, vt nihil prorsus eorum quę dic
tur aduertant. Quid verò illi, qui mutum os habent, qui nu
quam cum Deo loquuntur, qui opem eius non implorant, q
animæ suæ vulnera cælesti medico curanda non detegunt, q
in medio laqueorum atque hostium positi, auxilium à cæle
imperatore minimè requirunt, qui denique in terra obliuio
vitam agunt, dum sui, Deiq. obliti, nulla neque salutis suæ, n
diuinæ gloriæ memoria tanguntur? Hi sunt, qui sine Deo vi
in hoc mundo, quandoquidem non magis illius meminer
quàm si nullum omnino numen esse crederent. Quorum ob
Esaiæ 57. liuionem per Isaiam Dominus arguit his verbis; Mei non es
recordata, neque cogitasti in corde tuo: quia ego tacens, & qua
si non videns, & mei oblita es. Hoc est, quia externis au
bus me loquentem non audis, neque me immissis plagis te
dentem vides, arbitraris nihil id esse, quod externis sensib
Ephes. 2. non percipitur. Hoc est igitur, hominem sine Deo esse in ho
mundo; quod infidelium atque ethnicorum proprium esse A
postolus ait.

SECVN

SECVNDA PARS.

Hic est igitur, fratres, exitialis animorum morbus, qui per hunc surdum & mutum adumbratur: cuius grauitatem & periculum ostendere cælestis medicus voluit, cùm tot nouis & insolitis ceremoniis illum aggressus est curare, qui solo verbo sanare potuisset. *Apprehendit enim hominem à turba seorsum, misit digitos in auriculas eius; & expuens, tetigit linguam eius: suspiciensq́; in cælum ingemuit & dixit, effeta, quod est adaperire.* Iam diximus nihil in his otiosum esse, nihil mysterio vacans. Omnia hæc & noua & mystica sunt. Sed illud tamen maximè mirabile videtur, quòd Dominus ingemuit. Maximum enim malum esse necesse est, quod omnipotẽti Deo gemitũ excutere potuit. Hoc enim fecit initio mundi, cùm omnis caro corruperat viam suam. Dolore enim cordis tactus fuisse dicitur. Idemq́ue cùm stupendam Iudæorum cæcitatem, & Hierosolymitanæ vrbis excidium atque vastationem animaduerteret, lachrymatus est dicens, Si cognouisses & tu &c. Sic igitur cùm in hoc ægroto hominem spiritualiter surdum & mutum contemplatus est, ex imo pectore gemitum duxit. Genes. 6. Luc. 19.

Cuius autem doloris index hic gemitus fuerit, solus ille intelligere poterit, qui Christi charitatẽ agnouerit. Constat enim, dolorem ex amore nasci. Quò autem amissæ rei amor est vehementior, eò dolor est acrior. Quantus autem animarum amor in anima Christi fuerit, nulla vis orationis consequi potest. Ea namque verè dicere potuit: Introduxit me rex in cellam vinariã, ordinauit in me charitatem. Pro quo alia lectio habet, Posuit supra me vexillum amoris; hoc est, principem, ducem, & absolutissimum amoris exemplum cælestis Pater me in Ecclesia posuit. In prœlio milites in vexillum intentos semper oculos habent. Quicumque igitur ad charitatis perfectionẽ aspirat, in hoc amoris vexillum, ipsumq́ue vexilliferum oculos coniiciat, qui omnes ad hoc vexillum sequendum admonet cùm dicit, Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Me igitur sequimini, meam charitatem imitamini: quæ tanta fuit, vt pro amicorum & inimicorum salute vitã profuderim. Vexillũ etiam ij, qui arcem aliquam obsident, vbi ea capta fuerit, supeream figunt: quo signo eam deuictã esse profitẽtur. Cũ igitur anima Christi sanctissima amoris vexillũ supra se positũ cõfitetur, significat se flagrantissima hominũ charitate deuictã & superatã. In hoc enim amoris certamine qui victus est, victor euadit. Quantũ aũt hoc amore anima illa sanctissima victa fuerit, Cant. 2. Simil.

fuerit, Incarnatio, Natiuitas, vita, mors, & acerbissima mor supplicia nostri gratia suscepta apertissimè declarant.

Cùm ergo (vt antè diximus) doloris causa amor sit, vbi tant animarum nostrarum amor extitit, quantus inde dolor dea marum nostrarum ruinis extitisse putandus est? De B.P.N Dominico legimus quòd arderet quasi facula zelo pereuntiu Si ergo hunc tantum doloris ardorem charitas beati huius p tris exprimebat, qualis dolor ex Christi charitate, quæ sine m sura gratiam acceperat, profluxisse putandus est? Adde quò lus ipse peccati malitiam plenissimè comprehendit: ideóque lus ipse parem huic malitiæ gemitum elicere potuit. Nulli e nim neque homines, neque Angeli, neque vlla creata mens to tam peccati malitiam & grauitatem comprehendere potest Cuius rei & ratio in promptu est. Cùm enim per lethale pecca tum homo Deum amittat, Deus autem incomprehensibile bo num sit, consequens est, vt nemo possit grauitatem eius rei c gnoscere, qua incomprehensibile bonum amittitur. Necesse nim est incomprehensibile esse malum, quod incomprehen bili bono priuat. Solus ergo Deus, qui se plenè comprehend peccati deformitatem & malitiam comprehendit: ideóque n mirum, si ita gemit medicus, qui solus morbi periculum pl nissimè nouit.

Est etiam in hac tanta calamitate aliquid amplius. Nõ eni solum Deum, hoc est, infinitum & summum bonum amittu qui aduersus illum delinquit, sed illum etiam ex fidissimo ami co acerrimum inimicum constituit. Quo fit, vt quem antea hominem paterna charitate & beneficiis prosequebatur, mod vt inimicum ludibrio fortunæ, & humanæ vitæ casibus obno xium relinquat. Vtrumque autem vates regius expressit cùm
Psal. 24. dixit, Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eoru Vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat è te memoriam eorum. Piis itaque Deus amicus, improbis inim cus. Illis pater, istis vindex: illis protector, istis persecutor: illi
Exod. 19. (vt Moses ait) tanquam Aquila quæ expandit alas suas, vt supra
Ose. 5. illas portet eos, istis autem (sicut ipse per Oseam minatur) qua si leæna, & quasi catulus leonis. Ego ego, inquit, capiam, & v dam, & tollam, & non erit qui eruat. Quid ergo miserabili quàm ab illa paterna prouidentia cadere, qua Dominus tue amicos; & in illam incidere, qua persequitur hostes?

Sequitur aliud non minus deflendum atque pertimescendum malum. Id verò est pœna, quæ huic tantæ auersioni debe-

tur, qua se homo ab immenso & incommutabili bono ad commutabile bonum impiè atque nefariè conuertit. Quæ quidem pœna secundum æquissimas diuinæ iustitiæ leges necessariò est infinita: quia contra infinitam personæ maiestatem admissa est. His adde ignis cruciatum, qui non corpora solùm, sed miseras etiam damnatorum animas acerrimè in omni æternitate cruciabit. Post enim annorum centum mille millia, iterum ad rediuiua tormenta sine vllo fine reuertentur.

Nunc quæso, fratres, per communem fidem, per vestram salutem vos obsecro & obtestor, vt in hac æternitate mentis oculos vel vna saltem hora defigatis, vt eam sempiternis seculorum ætatibus vitare possitis. Qui vnius diei inediam ferre, qui vehementē vnius noctis ardorem & febrem sustinere nō potestis, & tanquā pilam corpus modò huc modò illuc in lecto sine fine & sine fructu voluitis, qui vnius culicis strepitum, aut pulicis morsum ferre non valetis, quonāmodo cum ardoribus sempiternis luctari poteritis? Quā magnificis verbis scriptores gentiū illam Mutij Scæuolæ fortitudinem & inuictum animi robur prædicant, quòd breui temporis spatio exertum brachium face ignis supposita, immotus retinuerit. Ego (inquit Seneca) non dubito quin magis laudem truncam illam & retorridam manum Mutij, quàm cuiusque fortissimi viri saluam. Stetit hostium flammarumq. contēptor, & manum suā in hostili foculo distillantem spectauit, donec Porsena rex cuius pœnæ fauebat, gloriæ inuidit, & inuito ignem eripi iussit. Pudet me, fratres, pudet his exemplis philosophari, & rebus adeò exiguis ad tantarum rerum magnitudinem exprimendam vti. Sed quoniam maiora ethnicorum exempla non habemus, his vtique nobis vtendum est, vt ex vngue, quod aiunt, leonem æstimare discamus. Si ergo tam immanem cruciatum iudicamus brachium solùm in igne ad breue temporis spatium torrendum sustinere; quis verbis consequi, aut mente cogitare sufficiat, qualis ille cruciatus futurus sit, cùm non brachium solùm, sed omnia etiam corporis membra non ad momentum, sed in omni æternitate vltricibus flammis crucianda sint? Quæ igitur mens, quæ ratio, hoc tantum supplicium iustis ponderibus æstimare valeat? Non dubium quin id quod nulla temporis mensura circumscribitur, nulla etiam creata mente comprehendi possit. Sola igitur increata mens, hoc est, solus Dei filius, qui huius tanti mali magnitudinem perfectè cognoscit, gemitu suo eius magnitudinem declarauit.

Seneca.

Quid

Quid igitur nos, fratres, qui hæc ipsa firma fide tenem
cere par est, vt hanc tantam pœnam euadere possimus? Cō
Ionæ 3. tite quæso paulisper mentis oculos ad Niniuitarum pœni
tiam. Ingressus Ionas in ciuitatem magnis vocibus clamare
pit, Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Quo
more tota ciuitatis & principum facies immutata fuit. Sur
enim rex è solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & i
tus est sacco, & sedit in cinere; & clamauit ex ore regis & p
cipū eius, Homines, & iumenta, & boues, & pecora non g
quicquā, nec pascantur, & aquā non bibant, & operiant
cis homines, & iumenta, & clament ad Deum in fortitudine
conuertatur vir à via sua mala, & ab iniquitate, quæ est in ma
bus eorum. Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus, & reue
tatur à furore iræ suæ, & non peribimus? O quàm multa su
hac Niniuitarū pœnitentia admiratione dignissima, quæ bre
sermo complecti non potest! Quātus ille pauor extitit, qua
mœror, quanta omnium trepidatio, quanta illa pœnitētia, q
non solùm homines ad saccum, & clamorem, & ieiunium, s
etiam iumenta, boues, & pecora impulit? Quid enim iume
deliquerant, vt saccis operienda, & inedia affligēda essent? Qu
lis autē erat, quamq. miseranda illius magnæ vrbis imago, cu
vno, atque eodem tempore hinc balatus pecorum, inde mugi
tus boum, hinc rugitus esurientium iumentorum, inde cla
paruulorū atque feminarum trepidantium aëra complere
omnia confusis vocibus personarent! Quæ igitur huius tan
pœnitentiæ causa extitit? Non alia certè, quàm mortis me
& præsentis vitæ amor: cuius etiam vel dubia spes ad hunc ta
tum mœrorem & luctum impulit. Ait enim rex, Quis sci
conuertatur, & ignoscat Deus, & non peribimus? Nunc ad
fratres. Si huius momentaneæ vitæ amor, si mortis metus
momento temporis vitam eripit, tātum hominibus mœr
atque pauorem incussit, quid nos facere par est, ante qu
oculos, & sempiterna vita, & sempiterna item gehennæ m
proposita est? Quæ obsecro momentaneæ huius & miserri
ad sempiternam illam & felicissimam vitam; quę mortis hui
ad sempiternā mortem (in qua damnati perpetuò mortem
siderāt, & mors fugit ab eis) comparatio esse potest? Quæ
finitæ rei cum infinita comparatio est? Si hos igitur hom
breuis huius vitæ amor, & momentaneæ mortis metus in
tantam pœnitentiam compulit, quid in nobis quæso cæl
vitæ amor, & sempiternæ mortis timor agere deberet? E

vlla creata mens, quæ hoc pro dignitate concipere queat? At à nobis Dominus quibus tantarum rerum magnitudo proposita est, nequaquam similem pœnitentiæ districtionem exigit. Hoc enim tantùm requirit, vt commissa, quæ iudex ipse odio prosequitur; nos quoque gemitu & luctu nostro expiare studeamus, neque iterum lugenda committere audeamus. Hoc enim tam exiguo breuique pœnitentiæ labore, & sempiternos illos cruciatus euadere, & ad felicissimam illam vitam nobis conscendere datur. Quis igitur adeò stupidus, adeoque sibi ipsi inimicus erit, qui hoc tam salutare commercij genus non libenter amplectatur: in quo breui exiguoque labore tot pœnas vitare, totque bonis frui valeat?

Quid quæso damnati homines facerent, si hæc illis temporis vsura, & opportunitas pœnitendi concederetur, quam Ioannes Damascenus, referente etiam D. Thoma, constanter affirmat precibus D. Gregorij Traiano Imperatori datam? Quid illi facerent ignoro: quid autem sanctus quidam eremita (vt D. Gregor. ait) fecerit, cui magno Dei munere hæc incendia noua quadã & insolita ratione cernere datum est, commemorabo. Sic enim ait, Superna pietas ex magna misericordiæ suæ largitate disponit, vt nonnulli etiam post exitum ad corpus redeant, & tormenta inferni, quæ audita non crediderant, saltem visa pertimescant. Nam quidam Ilíricianus priusquàm eremũ peteret, molestia corporis interueniẽte, defunctus est; sed protinus corpori restitutus, inferni se supplicia, atque innumera loca flammarum vidisse testabatur: qui etiam quosdam huius seculi potentes in eisdem flammis suspẽsos se vidisse narrabat. Qui cùm iam ductus esset, vt in illas & ipse mergeretur; subitò Angelum corusci habitus apparuisse fatebatur, qui eum in ignẽ mergi prohiberet. Cui etiam dixit, Regredere, & qualiter tibi post hoc viuendum sit, cautissimè attende; Post quam vocem paulatim recalescentibus membris, ab æternæ mortis somno euigilans, cuncta, quæ circa illum fuerant gesta narrauit: tantisque se postmodùm ieiuniis, vigiliisque constrinxit, vt inferni eum vidisse & pertimuisse tormenta, etiam si taceret lingua, cõuersatio loqueretur. Hactenus Gregor. Hoc igitur exemplo, fratres, discimus quid nobis facto opus sit, qui has pœnas improbis esse constitutas certa fide tenemus.

Gregor. lib. 4. dial. cap. 36.

At dicet aliquis, eremita ille non modò has pœnas esse credebat, sed etiam noua quadam ratione viderat: multò autem magis visa quàm audita mouent animos. Sit ita sanè; quamuis

multò

multò certiora sint quæ fide credimus, quàm quæ oculis vi
pamus. In his enim deludi, in fide autem, quæ diuinæ in
tur veritati, illusio nulla esse potest. Rationem tamen vob
stendam, qua velut in speculo illius incendij simulacrum q
dam intueri possitis quod animos vestros (si modò philoso
ri sciatis) magis fortassè, quàm hic meus sermo concuteret
Simil. rit. Perge quæso te, homo, & fornacem aliquam, in qua la
calore soluti, in calcem vertuntur, contemplare; menteq.
tracta, quo terrore animus tuus concuteretur, si in huius
fornacē coniicereris, in qua momento temporis vitā, & cum
simul doloris sensum amitteres; & hoc indicio intellig, qu
erit, non ad momētum, sed sempiternis seculorum ætatibus
fornace multò hac ardentiore cruciari, nec extingui. O vtin
fratres, qui tam multas diei horas in rebus nihili insumimu
vnā saltem huius ignis æternitati considerandæ impēderem
Vtinam aliquantisper iuxta hanc fornacem consistentes, i
vos ipsos sic philosophari inciperetis, Ego certissima fide te
quod in extrema symboli parte mihi ad credēdum propon
nempe, Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui v
mala, in ignē æternum. Post quæ verba subditur, Hæc est
catholica; quam nisi quisq. fideliter firmiterq. crediderit,
esse non poterit. Ego autem qui fidelis sum, hoc ipsum in
sa fide teneo. Hæc ergo me fides fornacem aliam scelerati
minibus hac multò & flagrātiorem, & profundiorē, & acerb
rem paratā esse docet: in qua non ad horam, aut diem, aut an
aut ad cētena annorū millia, sed perpetuò sine vllo aut fine
termino, aut spe veniæ, aut dolorum lenimine improbi t
quendi sunt: quomodo ergo qui hanc adeò leuem forna
tātoperè extimesco, nullumq. in vita laborem recusarem, n
eam vel ad momentum detruderer, ardentissimam illam f
nacem, sempiternumque incendium non formido? non
reo? non etiam vel hoc ipsum cogitādo corde & corpore co
misco? O plusquam Cimmerias mētis humanæ tenebras, ò
testabilem amentiam, ò stuporem execrandum, ò spiritu
animorum phrenesim, quæ homines in tanto periculo con
tutos, ridere, ludere, epulari, & lætum diem agere facit! Q
vis igitur illa est, quæ ita nos obstupefacit, & à mente de
vt nolimus exiguo huius vitæ labore redimere, quod null
quā cruciatibus posteà redimendum est? Ad hāc sanè homi
cæcitatē explicandā verba desunt, mens deficit, affectus succ
bit, & omnes ingenij humani vires fatiscunt. Quocirca mirum
non

non eſt,ſi magnus ille humanæ ſalutis amator Dominus, dum obſtinatum in ſceleribus hominem in hoc ſurdo & muto,mentis oculis contemplatur, pœnam illi diuino iudicio decretam animaduertens, ex imo pectore gemitū ducat, vt nos exemplo ſuo mala noſtra gemere atq. lamentari doceat. Quæ enim charitas illum impulit, vt videns ciuitatem, fleret ſuper illam, cùm animo futurū illius excidium & vaſtationem pręuideret,& pacis atque oblatæ ſalutis neglectum contemplaretur, eadem modò cùm in hoc ſurdo & muto peccati deformitatem, & diuinæ iuſtitiæ ſupplicium intueretur, gemere compulit. Vtrobiq. igitur eadem charitas, eadem cauſa, eadem futuri ſupplicij cognitio, illic quidem lachrymas, hic verò gemitum illi excuſſit. Lucæ 19.

TERTIA PARS.

Verùm dicetis forſitan, In magnā nos trepidationis foueam hac Dominici gemitus explicatione præcipitaſti. Extrahe nos, quæſo, ab ea, aperi viam, trade rationem, qua hoc tam immane periculum euadere poſſimus. Hoc ipſum cæleſtis medicus in huius ægroti curatione nos docet, dum primò illum ſeorſum à turba ſecreuit, deinde digitos in eius auriculas miſit, ac poſtremò expuens linguam eius tetigit. Nihil horū (vt diximus) myſterio vacat. Primùm enim quod Dominus ægrum ſanaturus, ſeorſum à turba ſeparat, ſolitudinis ſeceſſum, & fugam à turba ac tumultu hominum nobis commēdat; quod hac ratione omnes ferè peccādi occaſiones fugimus. Cùm enim maxima Chriſtianæ vitæ portio in peccatorum fuga conſtituta ſit, vix explicari poteſt, quantum ad hoc peccandi occaſiones fugere conducat. Solitudo autem hoc maximè præſtat, cuius beneficio ſenſuū feneſtræ clauſæ manent, per quas ſæpè mors animas noſtras ingreditur, vt eſt à nobis alio in loco fuſius explicatum. Cōcionē prima de Cananęa.

Sed inter corporis ſenſus quantū videndi facultas nocere ſolet? Quàm multa enim oculis peccamus! quā multa quæ videntur, cupiditati noſtrę faces & incendia ſubminiſtrant! Huius autem rei inſigne exemplū D. Auguſt. refert. Ait namq. Alippium familiarem amicum, qui ludorum Circenſium ſpectacula deteſtabatur, ab amicis quibuſdam multa vi precū eò deductū: quibus tamen ille corpore tantùm ſe illic affuturum prędixit, mente verò abſentiſſimū. Aſtitit ergo ibi clauſis oculis, quos tamen ad nouū quendàm populi clamorē aperiens, ita ludorum eorum ſpectandorum amore captus fuit, vt alius inde egreſſus fuerit, quàm intrauerit. Tantū aliquando videndi ſenſus animę nocet. D. Aug. lib. 6. cōf. cap. 10.

His igitur similibusque delinquendi occasionibus solitudo aditum præcludit. Hinc Cassiodorus: Nimia, inquit, turba vitiorum sine certamine vincitur, quando solitudo gratiæ suffragatur; hoc est, diuina gratia, quæ peccatum omne repellit, solitudinis quoque beneficio magnoperè iuuatur. Hanc porrò solitudinem Hieremias ex matris vtero sanctus præcipuè captabat, quo se ab omni culpa incolumem conseruaret. Sedebam, inquit, Domine, solus: quia comminatione replesti me. Hoc est, quia timoris tui aculeo confixeras carnes meas, non modò peccata omnia, sed omnes etiam peccandi occasiones solitudinis beneficio vitabam: in qua neque oculi viderent quod concupiscerent, neque aures quod audirent, neque lubrica lingua homines cum quibus loqueretur haberet. Simili consilio sancti illi Anachoritæ cœtus hominum fugiebant, seseq. inter reconditas inuiasque rupes & nemora occultabant, ne hominum côuictus & consuetudo humanum aliquid eos pati cogeret. Huius autem rei memorabile exemplum Palladius scribit in historia Lausiaca. Ait enim cuiusdam vici incolas ab Episcopo quendam ex antiquis eremi patribus in sacerdotem petiuisse. Cumque sanctus antistes se eum libenter ordinaturum dixisset, si modò illum ad se vel vi, vel quauis alia ratione perduxissent; illi hoc accepto responso, ad eius cellam contendunt, vi illum tracturi, & Episcopo oblaturi. Quod cùm ille rescisset, seque ab amica solitudine innocentiæ matre, abstrahendum præsensisset, fugere ab eis quanta poterat celeritate cœpit. Cumque iam propè esset, vt ab insequêtibus côprehenderetur (mirabile dictu) nares gladio abscidit, easq. antè persequêtium conspectû proiiciens, persanctè iurauit se, si in proposito persisterent, ipsam etiâ linguam abscissurum. Quo facto stupefactus populus, insequi sanctû virû destitit. Vnde quæso hæc tam stupêda seueritas? Ex hac planè cura vitâdi omne lethale peccatû, quę faciebat, vt nô modò peccata omnia horreret, sed quidquid vel peccati, vel cuiuslibet spiritualis detrimenti occasio esset, omni ratione vitandum curaret.

Hier. 15.

Histor. Tripar. autem dicit: nisi hic fortè alius fuerit.

Cùm ergo Dominus ægrotum à turba separat, hoc præcipuè innuere vult, vt quisquis à peccatorum contagio immunis esse cupit, eorundem peccatorû occasiones non minori studio, quàm ipsa peccata fugiat. Cùm enim corruptæ naturæ vitio peccatorû semina intra nos maneant, facile peccandi opportunitate oblata cupiditates, quæ velut sopitæ erant, excitantur, & quæ intus latebant, foras erumpunt. Cuius rei imaginem in silice ære percusso, passim videre licet. In venis quippe silicis quædam ignis

Simil.

scintil-

scintillæ latent, quæ, vbi silex ferro ictus fuerit, emicant protinus, quibus facilè ignis accenditur. Ad hunc modũ cupiditatum nostrarũ scintillæ, quæ in imo pectore velut in silice latent, vbi æris ictus accesserit, hoc est, vbi peccandi opportunitas oblata mentẽ pupugerit, protinus cupiditatis scintilla quæ intus latebat, foras exilit. A scintilla autẽ vna (vt Sapiẽs ait) augetur ignis; quo mens nostra aduritur, atque incenditur. Ab hoc igitur tanto periculo sublata peccandi opportunitate liberamur. Eccl. 11.

At inquies, Non omnibus ad solitudinem confugere datum est. Nõ abnuo. Qui igitur hoc modo secedere à turba nequeũt, tres saltem peccatorum occasiones fugere studeãt, hoc est chartarum ludos, prauorum hominum amicitias, & feminarũ contubernia. Ludi enim multis criminibus materiam præbent, mendaciis, iuramentis, periuriis, rixis, contentionibus, & interdum etiam (quod est multo grauius) vulneribus, sanguini, atq. blasphemiæ, vt omittam interim rei familiaris iacturam, quæ ludo amittitur ac dissipatur. Quantum verò perditorũ hominum societas noceat, sapiens ille declarauit cùm dixit, Qui tangit picem, inquinabitur ab ea; & qui communicat superbo, induet superbiam. Et iterum: Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit. Amicus stultorum similis efficietur. Quid verò Apostolus? qua curà prauorum hominum consortia vitare præcipit? Scripsi, inquit, vobis in epistola, ne commisceamini fornicariis: non vtique fornicariis huius mundi; alioqui debueratis de hoc mundo exire: sed si is, qui frater nominatur inter vos, fornicator est, aut immundus, aut auarus, cum huiusmodi nec cibum sumere. Idemque alibi: An nescitis, inquit, quòd modicũ fermentum totam massam corrumpit? Expurgate ergo vetus fermentum, hoc est, improborum hominum consortia deuitate, ne mentes vestras scelerum atque colloquiorũ suorum fermento inficiant. Corrumpunt enim bonos mores colloquia praua. Cùm pestis inguinaria alicubi grassatur, quanta cura, bone Deus, ciuitates, quæ ab huius morbi infestatione immunes sunt, aditus omnes præcludunt, ne quis hoc morbo infectus, in eas clanculum irrepat? Quantò ergo maiori studio prouidendum, ne cum illis vllum commercium habeamus, qui animas nostras prauitatis suæ contagio inficere possunt, & sempiternæ mortis reas efficere! O deplorandam hominum cæcitatem, qui cùm tanto studio quæ corporis sunt curent, animarum suarum curam prorsus negligunt!

Eccl. 13.
Prou. 13.
1 Cor. 5.
1. Cor. 5.
Simil.

Quòd si tãtoperè improborum hominũ societas vitanda est, quantò

Eccl.42. quantò magis feminarum? de quibus ſapiens ille ait, In medi
mulierum noli commorari. De veſtimentis enim procedit ti-
Prou.6. nea, & à muliere, iniquitas viri. Quid verò illud Salomonis?
Nunquid poteſt quis abſcondere in ſinu ſuo ignē, vt veſtimen-
ta illius non ardeant? & ambulare ſuper prunas, & non combu-
rentur plantæ eius? Vtinam verò Salomon qui hoc tantum pe-
riculum nobis detexit, ipſe vitare ſtuduiſſet! Sol enim homi-
num Salomon, theſaurus delitiarum, ſapientiæ Domini ſingu-
lare domicilium, craſſo tenebrarum fuſcatus atramento, lucem
animæ ſuæ, gloriam domus ſuæ feminarum amore amiſit, &
poſtremò templū extruens Baalim, ex Eccleſiaſte Domini mu-
tatus eſt in membrum Zabuli. Quiſquis igitur, fratres, à turba
ſeorſum ſeparari, & vitam ſolus agere non poteſt has tres ſaltem
peccatorum occaſiones, quanta poterit diligētia fugere ſtudeat,
vt ita demum à peccati contagio immunis ſit.

Quid deinde? Proximum eſt, vt qui hoc modo à turba ad ſo-
litudinem ſeceſſerit, Dominum orare incipiat, vt digitorū ſuo-
rum contactu ipſius animæ aures aperiat, per quas in illam ver-
bo Dei, & ſalutari doctrinæ aditus pateat. Sine hoc enim cæle-
ſti contactu ſurdus eſt omnis auditor. Si enim beatos Dominus
pronunciat, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud, hæc
tanta beatitudo nulli hominum ſine eius beneficio contingere
Ioan.6. poteſt. Hinc Saluator: Eſt (ait) ſcriptum in Prophetis, erunt ho-
mines docibiles Dei. Omnis qui audit à Patre, & didicit, venit
ad me. Prius ergo cæleſtis pater verba ſua mentibus noſtris in-
ſtillare debet, vt ſic tandem miniſtrorum eius verba cordis auri-
percipiamus. Cùm ſanctus Rex Ezechias religionem, maio-
rum ſuorum culpa obliteratam, inſtaurare, & Azymorum ſo-
lemnitatē ſplendidiſſimè celebrare vellet, nuncios in vniuerſum
Iſraël miſit; vt ad huius feſti celebritatem omnes conuenirent.
Perrexeruntque curſores cū epiſtolis ex regis imperio hæc ver-
4.Reg.17 ba populis prædicantes: Filij Iſraël, reuertimini ad Dominum
Deū Abraham, Iſaac, & Iacob. Et reuertetur ad reliquias, quæ
2.Par.30. effugerunt manus regis Aſſyriorum. Sequitur deinde: Igitur
curſores pergebant velociter de ciuitate in ciuitatem, illis irri-
dentibus, & ſubſannantibus eos. In Iuda verò facta eſt manus
Domini, vt daret eis cor vnum, vt facerent iuxta præceptū regis
& principum, verbum Domini. Videris hoc exemplo, fratres,
manus diuinæ contactum neceſſarium eſſe, vt verbū Domini,
cæleſtemq́. diſciplinā vtiliter audiamus? Hoc ergo beneficium
aſſiduis precibus à Domino petamus, qui nunquam piis votis
& cona-

& conatibus nostris deerit; cùm præsertim ipse nos amantissimis ad se verbis per Prophetam inuitet dicens, Cõuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Zach. 1.

Cùm igitur hunc salutarem Domini contactum petierimus, quo mens nostra veritatis splendore illuminetur, proximũ est, vt linguam nostram hoc est animæ nostræ palatum saliua oris sui illiniat. Saliua autem, quę ex ore procedit, sapientia Dei, quę ex ore altissimi prodiit, significatur. Huius autẽ diuinæ sapientiæ suauitas ad hoc præcipuè conducit, vt ea inescati atque allecti, terrenas voluptates repudiare facilè possint. Vt enim D. Bernard. ait: Cui Christus incipit dulcescere, necesse est amarescere mundum. Et Climacus: Qui superna gustauit, facilè terrena contemnet; qui verò illorũ gustu caret, terrenis possessionibus lętatur. Hac igitur de causa hęc diuina suauitas suppliciter à Domino petenda est: qua impetrata non solùm terrenas voluptates contemnimus, sed omnem etiam virtutis laborem facilem atq. leuem, imo & suauem experiemur. Hoc enim cælesti cõdimento amara omnia in dulcedinem vertuntur. Bernard. in Serm.

Quæret autem aliquis, cùm hæ diuini spiritus deliciæ dulcedine sua omnes mundi superent voluptates, quî fieri possit, vt seculi homines illis minimè capiantur? Ad hoc in promptu est illa D. Bernard. responsio, delicatam esse diuinam consolationem, nec dari admittentibus alienam. Vnde quemadmodum homo satur plenusq. vilissimis cibis ad splẽdidam mensam, ferculisque suauissimis refertam accumbens, nullo eorum desiderio tangitur: sic cum carnalis hominis pectus vilissimis atque sordidissimis seculi voluptatibus refertum sit, nihil mirum, si ad epulas diuinas accumbens, hoc est, si diuina mysteria tractans, nihil sentiat, cùm nihil in eo vacuum sit, quo cęlestis panis suauitas ingredi possit. Simil.

Adde etiam, quòd carnis voluptates mentem nostram nõ solùm implent, sed ita inficiunt atque corrumpunt, vt verum de rebus iudicium atque sensum impediant. Quid enim in hoc mundo sole pulchrius atque iucundius? at ei, qui lippitudine oculorum laborat ingratissimus est. Horum autem miserandam sortem filij Israël in deserto adumbrarunt, qui cucumeres, pepones, cæpe, & allia Aegypti, manna illi, quod omnem saporis suauitatem continebat, prętulerunt. Vt enim vinum illud, quod in nuptiis Dominus ex aqua propinauit, supra vina omnia, quæ ex vitibus exprimuntur, suauissimum erat: ita cibus hic à Deo paratus omnem alium cibum suauitatis magnitudine superabar, Ioan. 2.

bat, nisi quòd vinũ illud vini tantum saporem referebat, manna autem saporum omnium suauitatem, quam edentes percipere voluissent, in se vno continebat. Hoc igitur pretiosissimi cibi fastidium carnalium hominum fastidium repræsentat, qui terrenis voluptatibus inescati & assueti, spiritus diuini delicias, quę omnes mundi voluptates superant, respuunt. Quocirca necesse est, vt saliua atque digito suo Dominus animæ nostræ palatum sanet, quò diuina iam atque cælestia degustare possimus, quorum anteà fastidio laborabamus. Sic enim fiet, vt sanato palato sola nobis diuina sapiant, & terrena cuncta amarescant. Hac autem saliua Dominus Augustini linguam, vbi primum ad ipsum conuersus est, tetigit; de quo scriptum legimus, Displicebat ei quicquid agebat in seculo, præ dulcedine Dei, & decore domus eius, quam dilexit. Hunc ergo saliuæ contactum suppliciter à Domino postulemus, fratres, vt spiritualium rerum amore, atque suauitate illecti, terrena fastidiamus, & crucem Domini libenter amplectentes, per crucem ad regnum, per labores requiem, & per puritatis & innocentiæ viam ad cælestem gloriam peruenire mereamur.

IN EADEM DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN CONCIO SECVNDA.

in qua lectio Euangelica explanatur: in cuius explanatione de cordis obduratione, quæ per hunc hominem surdum & mutum significatur, deque eius causis atque remediis paulo fusius disseritur.

THE. *Adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum vt imponat illi manum.* Marci 7.



Os hodie, fratres, horum hominum exemplo, qui hunc surdum & mutum Domino obtulerint, precari ipsum debemus, vt eadem virtute, qua hunc ægrum sanauit, nos quoque sanare dignetur. Immissis enim digitis in aures eius dixit, effeta, quod est Adaperire. Et statim apertę sunt aures eius. Hoc igitur tactu indigent quicunque verbũ Dei vtiliter audire debent:

sine

sine quo frustra voces iactamus, frustra aërem clamoribus verberamus. Quemadmodum enim frustra agricola semen in terram spargit, nisi cælestis influxus adsit, qui semina alat, nutriat, & ad maturitatem perducat; ita nos frustra verbi Dei semen in terram cordis vestri spargimus, nisi cælestis virtus adsit, quæ hęc semina foueat & fecundet. Hoc est enim quod Apostolus significauit cùm dixit: Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus. Quocirca idem orandus est, vt quo tempore nos verbum eius in cordibus vestris seminamus, adesse clementer dignetur, vt agricolatio nostra vberes atque maturos fructus ipso cooperante producat. Cuius rei gratia initio concionum oratio ad beatissimam virginem instituta est, vt eius patrocinio hanc salutarem opem à misericordiarum parente impetrare mereamur. Verùm hoc plerique non tam pio cordis affectu, quàm vsu quodam & consuetudine ducti (sicut & multa alia) faciunt. Simil. 1. Cor. 3.

Quia verò hoc genus orationis exigui apud Deũ meriti est, ideò tot concionibus quotidie audiendis, vel parum, vel nihil proficimus. Atque vtinam sermo auditus atque neglectus, in maiorem damnationis nostræ cumulum minimè cederet. Ne igitur hoc modo cum maximo nostro malo audiamus, cælestem opem eiusdem sacratissimæ Virginis interuentu suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Habemus in sacra huius diei lectione mirabilem quandam ægroti curationem, longè aliis dissimilem, quas in Euangelica historia legimus. Quæ sanè magnis mysteriis, salutariq. doctrina referta est. Narrat enim S. Euangelista Domino à finibus Tyri & Sidonis egresso (quæ vrbes erant gentilium, vbi Chananææ filiam à dæmonio liberauerat) oblatum ei à quibusdã hominibus surdum quendam & mutum, vt illum ab his duobus grauissimis incommodis solita pietate, qua nemini ad se confugienti salutarem opem denegabat, curare dignaretur. Hunc igitur ægrum Dominus mirabili quadam ratione curauit. *Tulit enim eum à turba seorsum, & misit digitos in auriculas eius; & expuens tetigit linguam eius: & suspiciens in cælum, ingemuit & dixit, effeta, quod est Adaperire. Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè.* Quis hoc genus curationis non miretur? quis hęc omnia mysteriis vacare credat? Si enim in tota hac mundi fabrica nihil otiosum à naturæ

naturę auctore factum est (vnde vox illa à philosophis toties repetita manauit, Deum atque naturam nihil frustrà facere) quonammodo idem ipse naturæ conditor in morborum curatione, cæterisque operibus gratiæ otiosum aliquid fecisse putandus est? Præsertim cùm is anteà solo virtutis suæ verbo non solùm ægrotis sanitatem, sed vitam mortuis reddere solitus esset? Vt hæc igitur mysteria excutere incipiamus, intelligere oportet ex sanctorum patrum doctrina, ægrotum hūc surdum & mutum, periculosissimum quendam animorum morbū significare, eorum videlicet, quibus omnis pænè ad salutem aditus opera illius fortis armati, qui sollicitè custodit atrium suum, interclusus

Lucæ 11. est. Is namque sensus omnes, per quos lux aliqua obtenebratæ menti affulgere posit, obstruere contendit. Os enim eorū claudit, ne opem Domini implorent, sine qua nemo ab eius vinculis eximi potest. Aures etiam cordis ita claudit, vt nullis neque internis Dei motibus, neque externis concionatorū vocibus quicquam proficiant. Multos enim reperire licet, qui cùm tota fere vita, concionibus audiendis interfuerint, ne vnum quidem verbum aure cordis acceperint, cùm iidem prorsus maneant, qui anteà fuerant. Horum autem obduratum animum grauissimis

Zach. 7. Zacharias verbis expresit cùm ait: Et noluerunt attendere, & auerterunt scapulas recedentes, & aures suas aggrauauerunt, ne audirent, & cor suum posuerunt vt adamantem, ne audirent legem & verba, quę misit Dominus exercituum in spiritu suo per manum Prophetarum. Sunt autem duo maxima animarum pericula, nempe cordis obduratio, & diuturna peccandi consue-

Ioan. 11. tudo. Hoc autem inueteratæ consuetudinis periculum, in quatriduano Lazaro sepulto; illud obdurati cordis, in hoc homine surdo & muto designatur. Quemadmodum ergo cælestis magi-

Ioan. 11. ster deprauatæ consuetudinis periculum in Lazari resurrectione ostendere volens, tot cęremoniis vsus est, infremuit enim, lachrymatus est: orauit patrem, gratias egit, & voce magna clamauit; Lazare, veni foras: ita nunc obduratæ mentis periculum multò adhuc maius ostendere volens, tot insolitis cęremoniis, quas audistis, vsus est. Cùm ergo cælestis medicus tot adhibitis pharmacis hunc ægrum curauit, quàm esset difficilis eius curatio satis declarauit. Atque vtinam, fratres, non admodum multi sint, qui hoc morbi genere apud nos laborent.

I.

Partitio. Nunc docendi ratio exigere videtur, vt prius quidem morbi huius periculum, deinde eius causam, ac postremò remedium, quo

quo illum Dominus sanauit exponere incipiamus. Est igitur sciendum, supernum illum mundi iudicem variis modis hominum peccata punire. Aliquando enim vt pius pater corpus ferit, vt mentem sanet, sicut ipse ait: Ego quos amo, arguo & castigo. Sic Israëliticum populum Dominus castigauit. In cuius persona Hieremias ait, Castigasti me Domine, & eruditus sum, quasi iuuenculus indomitus. Felix, qui hoc modo in corpore castigatus, in mente sanatus est. Hæc enim paterna castigatio, salutaris medicina putanda est. Prima pars. Hier. 31.

Est altera non tam patris, quàm iudicis, & quidem seuerissimi: de qua idem apud eundem ait, Plaga inimici percussi, castigatione crudeli. Et alio in loco, Ventus vrens in deserto viæ filiæ populi mei, non ad ventilandum, & purgandum. Quid hoc sibi vult? Ventus in area triticum purgat, dum à grano vilem paleam excutit. Significat ergo Dominus ex futura tempestate non peccatorum purgationem, sed eorundem amplificationem secuturam. Hier. 30. Hiere. 4.

Hæc igitur atrocissima in hac vita pœnarum est, cùm Dominus peccata peccatis punit, vel quod est etiam grauius, cùm scelerato homines, qui scelera sceleribus addere non cessant, in reprobum sensum, aut mentis obdurationem iusto iudicio cadere permittit. Quò vbi ventum est, non modò Dei verba, sed nec verbera, aut clarissima etiam miracula quidquã prosunt. Exemplo nobis Pharisæi sint, qui tot Domini miracula passim videntes, nequaquam à perfidia sua destitere. Sed celeberrimũ huius obdurationis exemplum est Pharao; qui tot modis à Domino correptus, disciplinam accipere noluit. Nec minor mentis obduratio & cæcitas seruorum eius animos oppresserat: de qua sic in lib. sapientiæ legimus. Adhuc enim inter manus habentes luctum, & deplorantes ad monumenta mortuorum, aliam sibi assumpserunt cogitationem inscientiæ: & quos rogantes proiecerant, hos tanquam fugitiuos persequebantur. Sapiẽ. 19.

Hanc igitur cordis duritiem homo hic mutus & surdus repræsentat. Vt enim is & ad loquendum & ad audiendum impotens erat: ita qui mentem gerit hoc obdurationis morbo oppressam, neque ipse (vt antè diximus) idoneum os habet, quo diuinæ gratiæ opem imploret, neque aures; quibus diuinorum eloquiorum doctrinam aure cordis accipiat. Itaque si vicinæ mortis periculũ, si totius vitæ rationem iudici Deo reddẽdam, si cælestis vitæ gaudia piis in cælo proposita, si sempiterna gehennæ supplicia, & immortalem vermem, atque horrendas tenebras, si

prætereà diuina beneficia, si crucem Domini, si clauos, vincula sputa, verbera, & cætera Dominicæ passionis supplicia illis oculos ponas, non magis ista sentiunt, nec magis tantis his terroribus, minis, ac promissis commouentur, quàm hic surdus & mutus, si cũ illo colloquia misceres. Quam rem quotidie verbi Dei declamatores experiuntur, qui cùm hæc ipsa frequentissimè multorum auribus inculcent, nihil apud illos promouent, nullamque illis aut salutaris mæroris, aut pœnitudinis, aut diuini timoris scintillam incutiant.

Quæret autem aliquis, quonammodo hic tantus stupor cum fidei lumine (quo isti minimè carent) stare & cohærere possit. Si enim fides hæc omnia verissima esse prædicat, quæ tantam vim ad ferreas etiam mentes emolliendas habent; quî fieri potest, vt qui hac fide suffulti sunt, sine vllo timoris aut doloris sensu hæc ipsa audiant? Ad hoc hæretici nostræ ætatis responderent, hominem dum lethale crimen admittit, fidem cum eo simul amittere: fierique nullo modo posse, vt qui fidem habeat, peccato succumbat. Nos autem respondemus, hoc non perfidia, sed astu atq. opera dæmonis fieri: qui arcana quadam ratione mentem hominis etiam fidelis ita afficit, ac veluti dementat, vt sciens

Num. 22. prudensque in hoc tantum præcipitium ruat. Hoc enim infelici illi ariolo Balam contigit, qui (vt ipse de se confessus est) cadens apertos habebat oculos, quibus & casum videbat, & cadere tamen miser cupiditate victus volebat. Habent ergo tales veram fidem, dolo tamen atque opera dæmonis ita cõsopitam & mortuam, vt nullam omnino vitalem actionem Deo dignam operetur. Cui rei simile quiddam in operibus naturæ contingit. Aiunt enim qui in Orientalem Indiam penetrarũt, in ea insu-

Simil. la, quæ Ceylam nuncupatur, colubros quosdam esse valdè perniciosos, qui leui etiam morsu homines interimant. Cumque in ea regione magna horum copia sit, diuina prouidentia, quæ rebus omnibus consulit, salutarem quandã arborem ibidem procreari voluit, cuius ramũ si quis in manu gestet, ita eius odore ac virtute colubrum sopit, & incãtat, vt is etiam in sinu & complexu positus, nihil noceat, neque loco moueatur, ita, vt possis illum pro libito vel occidere, vel cædere. Huic ergo colubro similes affecto similes esse videntur, qui fidem mortuã habent: ad quos si clames, si eos & flagellis, & verbis cædas, si illis omnia Christi vulnera, omnia sanctorum exempla, omniaque improborũ supplicia ante oculos ponas, nihilo magis mouẽtur, quàm coluber ille cùm sic affectus & consopitus est. Sicut ergo hic quidẽ verus coluber

coluber est, verumque venenum habet, quod tamen per id temporis ita impeditum est, vt nihil efficiat: ita planè isti verè fideles sunt, veramque fidem habent, qua, quæ illis credenda proponuntur, firmissimè credunt: dæmone tamen operante sic obdurati & excæcati sunt, vt nihil magis apud illos agas, si ista eorú auribus instilles, quàm si cum dormiēte vel mortuo loquaris.

Quod si deinde quęras, qua arte hic humani generis dementator miseros homines adeò stupidos reddat, ea mihi ars esse videtur, quod eorum corda vehementissimo terrenarum rerum amore, incendit & implet; quæ vbi sic impleta sunt, vix quidquàm aliud intra se recipiunt. Naturę enim conditor Deus, qui hominem ad se fruendum destinauit, vnius tantum rei, hoc est, ipsius capacem fecit. Quocirca, quemadmodum annulus vni tantum digito, non pluribus simul aptari potest; ita cor hominis ad vnum tantum bonum amandum, ac fruendum conditum, multa pari studio atque amore cōplecti non potest. Quo fit, vt quemadmodū cùm hic annulus vnum aliquem digitum cinxit, nullo modo alium cingere possit, nisi à priori illo extrahatur; ita cùm cor hominis terrenæ alicui rei arctissimo amoris vinculo astrictus est, non ita facilè in Deum inflammato studio ferri potest. Hæc igitur præcipua ars est, qua seculi huius filios dæmon incantat. Corda enim eorum terrenarum rerum amore ita implicat & incendit, vt quidquid de diuinis rebus dixeris, velut peregrinum quiddam & alienum, & ad se minimè pertinens audiant. Hæc igitur sunt, quæ dæmon in eorum mentibus efficit, qui se illi assidua peccandi consuetudine tradiderunt. Nec enim illi quicquam in nos licet, nisi nos illi per peccati consensum in mentes nostras aditum præbeamus.

Simil.

Simil.

II.

Hactenus de obdurationis morbo; nunc eius causam inquiramus, vt ab ea declinare possimus. Hanc autem graphicè Dominus in illa Isaiæ vinea suis veluti coloribus depingit. Vbi enim ea multis modis exculta adeò nullum fructum germinauit, vt pro vuis protulerit labruscas, hanc aduersus illam sententiam protulit: Auferam sepem eius, & erit in direptionem; diruam maceriam eius, & erit in conculcationem, &c. Ad hunc modum Dominus diu peccantem hominem ad pœnitentiam expectat, variisque illum ad se modis trahere nititur. Primùm enim externis concionatorum vocibus illum & periculi, & officij sui continenter admonet. Deinde etiam immensis plagis & verberibus ad resipiscendum hortatur. Increpat enim

Secunda pars.

Esaiæ 5.

Iob 33.

(vt est

(vt est apud Iob) per dolorē in lecto, & omnia ossa eius marcescere facit. Hoc autem modo beatissimus Franciscus graui languore correptus, digitum Dei conuertit ad suæ conuersionis effectum. Cuius admonitu sic in virtute profecit, vt ex mercatore clarissimi in Ecclesia ordinis institutor & Patriarcha effectus sit.
Vocat præterea internis Spiritus sancti motibus; cuius est illa vox, Ecce ego sto ad ostium & pulso. Vix enim quisquam adeo obtusi pectoris est, qui non has intra se frequētet voces loquentis Domini audiat. Vide miser in quanto salutis discrimine versaris: vide quàm multis criminibus vitæ tuę auctorem atque salutis vindicem offenderis: vide quàm longo tempore te adeò patienter ad pœnitētiam expectat: vide ne te inopina mors imparatum & multis criminibus alligatum offendat, atque in sempiterna gehennæ incendia præcipiteris. Quis igitur, fratres, adeò perditis moribus est, qui non sæpè has intra se monentis Domini voces audiat, eo etiam tempore, quo ad facinus aliquod perpetrandum contendit? Vbi igitur frustrà Dominus hac voces fudit, frustraque tandiu morantem hominem, & in sceleribus suis perdurantem expectauit, tandem illum sibi relinquit & deserit: atque ita miser homo in obdurationis & cæcitatis barathrum ruit.
Simil. Sic strenuus in bello dux, cùm milites suos ad hostium trepidos nulla ratione ad pugnam excitare potest, tandem deserit. Sic prudens medicus vbi in ægroto omnia artis suæ remedia frustrà tentauit, tandem desperatione de eius salute concepta, illum deserit atque relinquit. Sic Dominus in Psalmo:
Psal. 80. Non audiuit, inquit, populus meus vocem meam, & Israël non intendit mihi: ideo dimisi eos secūdum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis. Idem etiam illa Apostoli verba
Hier. 6. designant. Terra venientem super se bibens imbrem, proferens autē spinas his à quibus colitur, reproba est, & maledicto proxima: cuius consummatio in combustionem. Quid verò illud:
Psal. 7. Deus iudex iustus, fortis, & patiens: Nunquid irascitur per singulos dies? Nisi conuersi fueritis, &c. Deus, inquit, iustus; hoc est, qui neque scelus impunitum relinquit, neque contra iustitiam quicquam facit. Est item patiens, & ideò non irascitur, hoc est, non infert irā per singulos dies: sed patientissimè peccatores ad pœnitentiam expectat. Est item fortis aduersus illos, qui eius abutuntur patientia, qui diuitias bonitatis eius contemnunt, & sibi iram thesaurizant. Aduersus hos igitur iustitiæ suæ gladium fortiter vibrat, arcum suum tendit, & in eo ignitas sagittas iacu-
Psal. 7. latur. Nō enim sat habet sagittas mittere, sed eas igne etiam armat,

sinat, vt ferro & igne sceleratos homines feriat. Quò ergo illos diutius expectat, hoc acrius in illos animaduertit. Vnde est illud; Lento gradu ad vindictam diuini numinis ira procedit, tarditatemque, supplicij grauitate compensat.

Hę sunt igitur, fratres, causæ, quibus ad extremum malorum, hoc est, mentis obdurationē peruenitur. Nunc reliquū est, vt quisque nostrū mentis aciem introrsum reflectat, seipsum circunspiciat, gressus suos attendat, quo in statu sit diligenter exploret, quo affectu Dei verbū audiat, quomodo internis diuini spiritus motibus respōdeat. His enim indiciis ad hoc extremum periculorum omnium peruenerit nec ne, diiudicare poterit.

III.

Nunc, quoniā & morbum & morbi causas vidimus, consequens est, vt remediū exquiramus. Hoc autem cælestis medicus arcana quadam ratione in huius surdi & muti curatione ostendit: in qua nihil otiosum, nihil non mysticum est. Primum igitur ægrotum seorsum à turba separat. Quid hoc est? Nimirum vt is, qui sanari cupit, à turbulentis huius mundi curis atque negotiis paulisper secedens, de salute sua cogitare incipiat. Secedat autem non corpore, sed animo, quemadmodum luxuriosus ille filius secessit, qui in se reuersus, extra se per varias mundi curas & desideria vagabatur. Tertia pars. Lucæ 15.

Cum ipso igitur in hac spirituali solicitudine constituto, sic agere incipiat. Tu quidem homo nosti te & mortalem esse, & veræ fidei cultorem. Fides autem post hanc mortalem vitam, aliam in altero seculo futuram proponit. Et præsens quidem vita vix ad centesimum annum peruenire potest. Futura verò totam continet æternitatem, quæ nullo annorum numero definitur. Post centum enim annorum millia, alia rursus atque alia mille millia sine vllo fine consequuntur. Quo fit, vt hæc nostra vita illi comparata, perinde sit atq. si quis aquæ guttam toti comparare velit Oceano. Et quidem longè minus. Illic enim rem finitam cum finita, hic verò finitam cum infinita conferimus. Et in hac quidem vita labores manuum nostrarum manducamus, in illa verò homines anteactæ vitæ fructibus meritisque vescētur. In ea enim (vt Apostolus ait) quæ seminauerit homo, hæc & metet. Qui enim seminauerit in carne, de carne metet corruptionē: qui autem in spiritu, de spiritu metet vitā ęternam. Ex quibus verbis intelligimus, omnes homines in futuro seculo pro meritorum & vitæ ratione aut felicissimam inter Angelos vitam bonis omnibus refertissimā victuros, aut miserrimam inter Galat. 6.

inter dęmones omnibus tormentorum generibus exacerbarant.
Hoc tibi vera fides prædicat, hoc Prophetæ, hoc Apostoli, hoc
ipse Prophetarum & Apostolorum Dominus, cùm de piorum
Matt. 25. & improborum sortę loquens, Ibunt, ait, hi in supplicium æ-
ternum; iusti autem in vitam æternam. Horum autem verbo-
rum veritas non magis concidere, quàm Deus ipse deficere po-
test. Si hęc igitur ita se habent, quanta quæso hominum insania,
quanta cæcitas est, omnes curas & cogitationes suas, & omnia
vitæ studia in his parandis, quæ ad hanc momentaneam vitam
pertinent impendere; ad illam verò quæ nullo fine clauditur,
quæ sempiternis seculorum ætatibus aut in summis delicijs, aut
in acerbissimis cruciatibus duratura est, nihil omnino parare,
nihil prouidere, neque vlla eius cura & solicitudine tangi! O
mentes horrendis tenebris circunfusas! ò sensus serpentis anti-
qui fraudibus oppressos! ò exitialem animorũ insaniam! Quid
enim est, si hic stupor, & furor, & insania non est? Quæ mentis
cæcitas cum hac tanta cæcitate comparari queat? Vbi quæso ra-
tio? vbi iudicium? vbi consilium? vbi futurorum cura & proui-
Dissimil. dentia, quæ propria creaturæ rationalis est? Hoc enim homo à
pecudibus distat, quòd hæ sola præsentia & ante oculos posita
cernunt, homo autem qui rationis est particeps, & prętoritorum
meminisse, & futura ex antecedentibus causis partim præuide-
re, partim etiam prouidere potest. At isti pecudibus similes effe-
cti, sola cogitant curantque præsentia, futuræ autem æternitatis
nullam magis curam aut rationem habent, quàm si ipsorum a-
nimæ perinde atque brutorum cum corpore simul interirent.
Quid, quòd non brutis similes modò, sed ipsis etiam vilissimis
animantibus in huius prouidentiæ ratione inferiores sunt!
Quid enim inter animantia formica vilius? At ea ad futuram
hyemem frumenta in æstate diligentissimè colligit, ne eo tem-
pore commeatus inopia esurire cogatur. Quantus ergo pudor
est, fratres, nos in hac prouidentiæ ratione ab hoc tam vili ani-
malculo superari, & ne illius quidem exemplo disciplinam ac-
Hier. 8. cipere? Itaque verè timendum est, ne quemadmodum Domi-
Prou. 6. nus populi sui cæcitatem milui, turturis, & ciconiæ exemplo
amplificat, ita socordiam eorum, qui nihil ad futuram vitã præ-
parant, formicarum, hoc est, vilissimorum animalculorũ exem-
plo exaggeret atque conuincat.

simil. Vt autẽ quanta sit in hac parte perditorum hominũ cæcitas
intelligatis, fingamus nauigare classem in aliquã regionem, ad
quam nullo modo nisi per arentia & inculta deserta proficisci
liceat:

Talē enim expeditionem Cambyses olim in Aethiopiam profecturus adornauit: in qua milites magnitudine famis constricti, tenerrima frōdium primùm & cacumina arborum, tum coria igne mollita, & quicquid necessitas offerebat, cibum fecerant. Deniq. eò famis magnitudo miseros adegit, vt decimum quemq. militem sortiti, cibum haberent fame sæuiorem. Si dux igitur qui huic classi quàm diximus præesset, alimenta solùm, quæ nauigaturis sufficerent præparasset, non etiam quæ ad desertum illud, quod necessariò peragrandum erat prouideret, an non multò magis, quàm Cambyses insaniæ & extremæ dementiæ accusandus esset? Quid verò aliud, fratres, vita nostra, quàm cursus & nauigatio quædam est, qua ad mortis portū indefesso cursu properamus? Post mortem autem eò deueniendum est, vt nihil aliud ad vitam sustentandam habituri simus; quam quod in hac vita comparauimus. Vnde Salomon, Mitte, inquit, panē tuum super transeuntes aquas, & post longa tempora inuenies illum. Contrà verò idem ait: Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate (hoc est in futuro seculo, vbi non seminandi, sed colligendi tempus est) & non dabitur ei. Si igitur tantoperè ducis illius amentia accusanda esset, qui alimenta ad nauigationem solùm, non etiam ad desertum, quod necessariò paragrandum erat, præpararet; quantò iustius illi damnandi sunt, quorum omnis cura in parandis his, quæ ad hanc breuissimam vitam pertinent impenditur; ad illam verò, quæ sempiternis seculorum ætatibus duratura est, nihil omnino prouident? Potest ne vlla maior cæcitas, atque dementia cogitari?

Seneca lib. de Tra.

Eccle. 11.

Prou. 20.

Itaque (vt ad institutum redeamus) ad hoc Dominus hominem quem sanare volebat, à turba secreuit, vt turbulentis huius vitæ curis & cogitationibus procul pulsis, se intra se colligens, & periculi sui magnitudinem attendat, & de salute sua opportunè cogitare incipiat. Hoc enim primum ad sanitatem animæ percipiendam remedium est.

Quid verò Dominus vbi hominem à turba secreuit? *Misit*, ait, *digitos in aures eius.* Quid hoc est? Aeger hic surdus & mutus, fratres, obduratæ mentis hominem (vt initio diximus) repræsentat. Quisquis autem hoc modò sic obduratus & excæcatus est, etiam si omnia diuinorum voluminū oracula ante illum proposueris, nihil prorsus aure cordis accipiet. Huius autē miserandam tarditatem & stuporē per Hieremiam Dominus designauit cùm ait: Audi, popule stulte, qui non habes cor, qui oculos

Hier. 5.

oculos habentes non videtis,& aures,& non auditis. Quod a-
tem ait,stultum hunc populum nō habere cor, significat ipsi
ita sensu atque mente obrutum , vt neque periculi & morbi
magnitudinem agnoscat,nec eius remediū quærat. Hoc en
fratres,inter leues & graues corporis morbos distat ; quòd le
quidem morbos neque multum sentimus,neque admodum d
ligenter eorum remedia quærimus ; at quò grauiores sunt,
maiorem nobis sensum doloris incutiunt , & ad quærend
media acrius incitant. Lōgè tamen aliter in animi morbis
Dissimil. nit. Pios enim viros, perfectiorisque vitæ studiosos leuia e
peccata non leuiter angunt (quemadmodū de S. Paula D. Hi
ronymus in eius vita refert) quod quidem lōgè aliter in gra
simis sceleribus euenit: quæ quò grauiora sunt,eò minus le
untur;quoniam ipsam vim sentiendi in hominibus impedi
Prou. 18. Quam rem apertè Salomon significauit cū dixit : Impius c
venerit in profundum malorum contemnit;hoc est, pro nih
ducit grauissima etiam delicta committere.

In has igitur aures necesse est, vt cęlestis medicus digitos i
mittat, hoc est , spiritus sui dono ad rectè audiendum idone
Act. 16. efficiat. Quoquidem beneficio in actis Apostolorum femi
quandam nomine Lydiam Dominus affecit, cuius ipse a
cor intendere his,quæ à Paulo dicebantur. Vt autem hoc
Dei verbum audire prædestinationis signum est; ita contra
das ad hoc verbum aures adhibere,reprobationis est. Vtrumq
Ioan. 8. autem breui Dominus oratione designauit, cùm dixit: Qui
Deo est,verba Dei audit. Propterea vos nō auditis,quia ex D
non estis. Quam sententiam D. Gregor. terribilem valde e
definit, monetque vt quisque se ipsum introspiciat, & quam
gione,quo fructu, & affectu Dei verbum audit, solicitè inqu
rat,vt hoc indicio de salute sua coniecturam faciat. Ideoq. f
tres,cùm ad conciones conuenitis, mentes vestras in Deum
tollite,illum suppliciter orantes, vt digitos suos in vestras au
immittat ;quò non ad iudicium,& impietatis cumulum, sed
salutē audiatis. Sic enim audire ipsius donum & beneficium
Prou. 20. quemadmodum in Prouerbiis legimus: Oculum videntem
aurem audientem, Dominus fecit vtrumque;hoc est ea,quæ
salutem nostram pertinent rectè intelligere, eademq. piè & re
ligiosè audire, vtrumque Dei munus & gratia est.

Cæterùm non cōtentus Dominus digitos in surdi aures in
misisse, saliua quoque eiusdem linguam tetigisse dicitur. Sali
autē quæ ex ore procedit (vt in superiori cōcione diximus) D
sapien-

ſapientiam, quæ ex ore altiſſimi prodiit intelligimus. Sapientiæ autem nomen à ſapore deductum, ſpiritualem ſuauitatem, atq. dulcedinem deſignat. Hoc eſt autem beneficium aliud ad ſalutem noſtram cum primis neceſſarium. Non enim ſatis eſt diuini verbi myſteria intelligere, niſi illa etiam ſpirituali quodam ſapore deguſtemus. Sæpè enim in viris præcipuè eruditis euenit illud, quod vulgò dici ſolet, Præuolat intellectus, & ſequitur tardus, aut nullus affectus. Vt igitur intellectus quæ intelligenda ſunt penetret, tactus aurium neceſſarius eſt. Vt autem affectus ea, quæ intelligimus, amplectatur, diligat, atque deguſtet, palatum animæ ſaliua Chriſti, hoc eſt, ſapientiæ donô ſanandum eſt. Parum enim prodeſt intellectu diuina percipere, niſi voluntatis affectu ea deguſtemus. Eſt autem tanta vis huius diuinæ ſuauitatis, vt cùm ad eam pius homo diuini ſpiritus beneficio peruenerit, facilè omnem virtutis laborem ſine labore ſuſtineat, facileq. omnia mundi oblectamenta præ illius amore contemnat. Scitis enim, fratres, quanta delectationis vis atque potentia ſit, quæ non homines ſolùm, ſed animantia quoque cætera ferreis poſt ſe vinculis trahit. Veriſſimè enim à Poëta dictum eſt, Trahit ſua quemque voluptas. Eſt igitur neceſſe, vt qui ſpiritualem vitam colere ſtudet, carnis voluptate depulſa, in Deo ſolùm rebuſque diuinis omnes delectationes ſuas poſitas & conſtitutas habeat. Ad hoc igitur neceſſe eſt ægrum animæ noſtræ palatum (quod variis vitiorum morbis infectum eſt) diuina ſaliua purgari; vt cui anteà ſola terrena & noxia ſapiebant, nunc ſola cæleſtia atque diuina dulceſcant.

Cęterùm vbi Dominus ęgroti linguam tetigiſſet, aliud longè mirabilius deſignauit. *Suſpexit* enim *in cælum, & gemuit.* Quid enim mirabilius, quàm Deũ gemere? Maximum enim atque ſummum malum eſſe neceſſe eſt, quod rerum omnium Domino gemitum excutere potuit. Cæterùm iuſtiſſimus rerum æſtimator Dominus nullum eſſe ſimpliciter malum præter lethale peccatum computat; adeò vt nec ipſa quidem gehennæ ſupplicia, eius æſtimatione omnino mala ſint, ſed ſola eorũ cauſa, hoc eſt, peccatum malum ſit. Atque vt præcipuam peccati deformitatẽ oſtenderet, ſimul & ſuſpexit in cælum (vbi ſummi Dei ſedes & domicilium eſt) & gemuit, vt hoc indicio declararet, inter innumera mala, quæ ſecum peccatum affert, hoc maximum & ſummum eſſe, quod illius ſummi rerũ omnium Domini maieſtatem violet. Hac enim de cauſa peccati deformitas & malitiã dicitur eſſe infinita, & ſempiterna pœna digna,

quòd aduersus illum pugnat, cuius bonitas, dignitas, sublimitas, & maiestas est infinita. Quocirca mirum non est, si quanta esset ex hac parte peccati deformitas adeò perfectè nouerat, ingentem ex imo pectore gemitum duceret. Solus enim qui Dei celsitudinem & dignitatem comprehēdit, peccati grauitatem perfectè nouit; quæ & talem maiestatem offendit, & tanto bono peccantem hominem priuat. Vnde consequens est, vt nec inter illos quidem beatissimos spiritus, qui Deo propiores sunt, vllus sit, qui peccati grauitatem plenè comprehendat, nisi solus ille qui seipsum comprehendit.

Suspexit ergo in cęlum & gemuit, quod perinde est ac si cum peccante homine his verbis ageret: O si scires miser, in quantum barathrum præcipitas cùm Deum offendis! Offendis clementissimum & optimum parentem tuum; qui te ex nihilo ad imaginem & similitudinem suam condidit. Offendis illum, qui in hunc te altissimum & nobilissimum finem condidit, vt diuinitatis & beatitudinis suæ participem efficeret, cuius te capacem fecit. Offendis illum qui cælum, terras, maria, Solem, Lunam, Stellas & omnia, quę amplissimo cæli gremio continentur, non in suos, qui nullius externæ rei indiget, sed in tuos vsus donauit, eademque perpetua cura moderatur. Etsi hæc parua sunt, offendis illum, qui vt te ab æterna morte liberaret, non dubitauit è cælis ad terram descendere, humanam carnem induere, & sub humana forma tribus ac triginta annis inter homines versari, esurire, sitire, algere, sudare, vigilare, totque inimicorum calumnias, maledicta, & iniurias perpeti, ac postremo propter te vinciri, colaphis & alapis cædi, sputis illini, flagris conscindi, spinis coronari, arundine cædi, felle & aceto potari, & inter maleficos homines clauis atrocissimè configi.

Quòd si adeò ferreus es, vt hæc te minus moueant, offendis illum qui habet flatum tuum in manu sua, sine quo nec spirare, nec loco moueri, nec vitam ducere potes. Offendis illum, qui postquàm occiderit corpus, habet potestatem mittendi animam in gehennam sempiternis suppliciis sine fine mulctandam. Offendis illum, qui nutu terram cōcutit, qui tangit montes & fumigant, cuius iræ nemo resistere potest, & sub quo curuantur qui portant orbem. Offendis illum, ante cuius conspectum columnæ cæli contremiscunt, & pauent ad nutum eius. Offendis illum, qui claues habet vitæ & mortis, & inferorum: qui solus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit. Offendis illum, qui cùm omnia sit infinita potestate comple-

Esaiæ 42.

Luc. 12.

xus, neque muneribus deliniri, neque cuiusquam gratia flecti, neque vllis viribus impediri potest, quò minus iniquitatem & turpitudinem, cui est semper infensus, iracundiæ flamma populetur, & improbis supplicia sempiterna constituat. Denique offendis illũ, cuius ea maiestas & amplitudo est, vt omnia quæ in cælo & in terra sunt, totaq. ingens mundi machina, quæ infinitis propè rebus referta est, ante illius conspectum vix puncti instar obtineat, vix gutta sit roris antelucani. Auget autem offensionis grauitatem non solùm læsæ maiestatis sublimitas, sed etiã offendentis vilitas. Quam rem vates sanctus explicuit, cùm dixit, Memor esto huius; Inimicus improperauit Domino, & populus insipiens incitauit nomen tuum. Quod perinde est ac si diceret, Habe rationẽ Domine huius tam insignis contumeliæ. Hostis enim ille non solum affligit nos, sed & Dominum te assiduè afficit contumelia, & populus stolidus execratur nomen tuum. Quò autem persona, quæ contumelia afficit vilior, hoc contumelia ipsa grauior est. Quid verò si contumeliæ & offensionis causam excutiamus? Hac enim ratione idem vates impiorum impudentiam exaggerat, cùm ait, Propter quid irritauit impius Deũ? Hoc est, cuius rei gratia tantum facinus impius suscepit, vt rerum omnium Dominum ad iracundiam prouocaret? Non admodum miramur Apostoli Petri negationem, qui impendente mortis metu, Dominũ negauit. Illud verò omnẽ superat admirationẽ, quòd vilissimus vermiculus ob exiguũ lucellũ, ob turpem carnis voluptatẽ, & similes quisquilias maiestatis Dñm audeat offendere, leges eius violare, & præcepta cõtemnere. Quid hoc igitur est, nisi vilissimum puluerẽ summo illi rerum omniũ Domino anteferre? ipsumq. ex diuinitatis suæ throno deiicere? & vilissimã creaturã, quam super illum diligit, in eo collocare? Quia verò stupor & cæcitas perditorum hominũ hoc neq. miratur, neq. luget, neque sentit, ideò Dominus Iesus, qui execrandã huius audaciæ indignitatẽ sentiebat, suspiciens in cælũ, ex imo pectore gemitũ duxit, suo videlicet gemitu huius audaciæ temeritatem declarans. Gemit igitur tanquã pius pater phrenetici filij stultam lætitiã, & delirameta considerans. Quò enim magis ille ridet, hoc magis iste luget & gemit. Gemit etiã, quia tu nõ gemis: luget, quia tu non luges; dolet, quia tu non doles. Legimus quia Christus peccata nostra portat, & pro nobis dolet. Doles ergo (inquit Ambros.) Domine nõ tua, sed nostra vulnera; nõ tuã mortẽ, sed nostram infirmitatem. Et nos existimamus te esse in doloribus, cùm tu

Psal. 73.

Psal. 9.

Esaiæ 53.

Ambros.

non pro te, sed pro me doleres. Huius igitur Dominici gemitus indicio, fratres, scelerum nostrorum grauitatem agnoscamus: & cùm ipsum rerum omnium Dominum nō sui, sed periculi nostri causa gementem videamus, nos ipsi, quorum agitur causa, quorum salus periclitatur, assiduis gemitibus & lachrymis mala nostra deleamus; profusisque ab imo pectore suspiriis commissorum veniam, & misericordiam Domini deprecemur: pro qua sancti omnes orant in tempore opportuno, hoc est, quādiu misericordię & pœnitentiæ tempus est; vt hoc breui & momentaneo huius vitæ luctu peccata nostra expiantes, sempiternum gehennæ luctum euadere, & sempiternam gloriam percipere mereamur.

DOMINICA DVODECIMA POST PENTECOSTEN CONCIO PRIMA: in qua lectio Euangelica explanatur: in cuius explanatione triplex hominis status ante peccatum, post peccatum, & post Christi reparationem declaratur.

THEM. *Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hiericho, & incidit in latrones, qui etiam spoliauerunt eum, & plagis impositis, abierunt semiuiuo relicto.* Lucæ 10.



VT sacræ huius lectionis initium intelligamus, quid S. Euangelista pauló ante hanc historiam referat, exponere necesse est. Ait igitur, Dominum discipulos suos ad euangelizandum misisse, potestatemque illis languores curandi, dæmones expellendi tradidisse. Quod cùm ipsi fecissent, resque illis feliciter cessisset, lęti ad Dominum rediere, dicentes, Domine, etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo. Tum Dominus pro hac tam felici legatione (quæ futuram Euangelij prædicationem & gentium conuersionem adumbrabat) æterno patri gratias agens, quòd sapientiæ suæ arcana paruulis illis reuelare dignatus fuerit, ad eosdem initio sacræ huius lectionis cōuersus ait; *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* Meritò sanè discipuli beati à Domino prædicantur, qui primi ante omnes Euāgelicæ

Lucæ 10.

Ibidem.

gratiæ primitias ex sola Domini misericordia perceperunt. Si
enim regina Saba vbi Salomonis regiam vidit, eiusque sa-
pientiam audiuit, dicere potuit; Beati viri tui, & beati serui tui, 2 Reg. 7.
qui astant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam; quan-
tò magis æterna patris sapientia de discipulis suis hoc dicere po-
tuit? Ecce enim plusquam Salomon hic. Exponit deinde beati- Matt. 12.
tudinis huius magnitudinem ex sanctorum patrum desiderio,
cùm subdit. *Dico enim vobis quod multi Prophetæ & reges vo-
luerunt videre quæ vos videtis, &c.* Tanto enim videndæ salutis
huius desiderio veteres sancti tenebantur, vt ipse Dominus de- Aggæi 2
sideratus cunctis gentibus, & desiderium collium æternorum,
id est, sanctorum omnium, qui velut editi colles inter alios ho-
mines virtutis altitudine eminent, in literis sanctis appelletur.
Sic enim illum Esaias desiderabat, cùm diceret; Vtinam dis- Esaiæ 64.
rumperes cælos & descēderes. Quin & ariolus Balaam vbi Dei
spiritu afflatus dixisset, Orietur stella ex Iacob; adiecit proti- Num 24.
nus; Heu, quis victurus est, quando ista faciet Deus? Similique
spiritu Malachias Propheta, Ecce, inquit, venit, dicit Dominus. Malach. 3.
Et quis poterit cogitare diem aduentus eius? Et quis stabit ad
videndum eum? Hanc autem orationem esse desiderantis Do-
mini aduentum, declarant verba, quæ sequuntur: Ipse enim
quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, &c. Quibus ver-
bis Euangelicæ gratiæ virtutem mentes hominum purificantis
atque sanctificantis apertissimè designauit. Meritò ergo disci-
puli Domini beati prędicantur, qui desideratū cunctis gentibus
viderunt, & tam larga manu huius gratiæ primitias acceperunt.

Ergo, inquies, beati oculi Iudæorum & Gentilium, qui Do-
minum viderunt, quem tamen in crucem sustulerunt. Absit vt
isti beati sint. Tribus enim modis homines Christū Dominum
viderunt; alij oculis tantum carnis, alij mentis, alij vtrisque. In-
creduli Iudęi solis carnis oculis Dominum viderunt, Christiani
autem oculis mentis, discipuli verò vtrisque. Primi quidem illi
minimè beati, sed scelerati fuerunt, postremi vero beatissimi
extiterunt, qui vtrisque Dominum oculis viderunt. Nec tamen
medij illi beatitudinis huius expertes sunt, cùm Dominus du-
bitāti Thomę dixerit, Quia vidisti me, Thoma, credidisti. Bea- Ioan. 20.
ti qui non viderunt & crediderunt. Hæc autem beatitudo ad
nos quoque pertinet, fratres, qui fidei & charitatis oculis Chri-
stum Dominum & videmus, & colimus, & adoramus.

Hæc vbi Dominus dixisset, quidam legis peritus quæstio-
nem Domino bonam, non tamen animo bono proposuit; *Ma-
gister,*

gister, inquit, *quid faciendo vitam æternam possidebo? At ille dixit, In lege quid scriptum est, quomodo legis? Ille respondens dixit, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum sicut teipsum.* Hæc verba latam requirunt explanationem, quam sequenti concioni reseruabimus. *Dixit autem illi Dominus: Rectè respondisti: hoc fac & viues. Ille autem volens iustificare seipsum, dixit ad Iesum, & quis est meus proximus?* Existimabat hic legis peritus solos gẽtis suæ homines in proximorum numero habendos. Cuius ignorantiam Dominus insigni quadam parabola mysteriis alioqui refertissima curare volens, omnes homines inter proximos numerandos declarauit. Sic enim ait: *Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hiericho, & incidit in latrones*, & cætera quæ sequũtur vsq. in finem. Hactenus de parabola: nunc ad eius explanationem accingamur. Ad hoc autem piè & vtiliter præstandum, cælestem opem sacratissimæ Virginis interuentu suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Erunt fortasse nonnulli, qui cùm longo tempore sacris concionibus audiendis interfuerint, vix in quo religionis (quã profitentur) summa cõstituta sit, satis intelligant. Turpe est autem id ignorare quo maximè Christianus esse censeris. Quæ sit autem ignorationis huius causa, nolo modò curiosius indagare, sed illud affirmare potero, in hac Samaritani parabola, si adamussim excutiatur, totam ferè Christianæ Philosophiæ summam cõtineri. Itaq. si attentas mihi nũc aures præbere velitis, in huius parabolæ explanatione huius cælestis Philosophiæ summam miris coloribus expressam animaduertere poteritis.

Ad hoc autem obseruare oportet triplicẽ hominis statũ, qui in hac parabola designatur; primũ, in quo Deus hominem collocauit cùm ipsum condidit: secundum, in quem ipse delapsus est, cùm deliquit; tertium, in quẽ illum Christus Dominus restituit cùm redemit. Hunc autem triplicem statum nobis repræsentat homo hic, qui descẽdit ab Hierusalẽ in Hiericho. Alium enim statum habuit antequã descenderet ab Hierusalem, alium cùm incidit in latrones, qui cùm spoliauerũt, & plagis impositis abierũt; alium verò postquàm à pio Samaritano curatus, pristinæ sanitati redditus fuit. In primo enim illo statu sanus & integer erat; in secundo verò grauiter vulneratus fuit; in tertio autem pia Samaritani solicitudine salutẽ, quam amiserat recepit. Triplex igitur huius hominis status triplicẽ illum, quem suprà descri-

descripsimus adumbrat, videlicet ante peccatum, post peccatum, & post Samaritani medicamentum. Quisquis igitur tria hæc penitus intellecta atque perspecta habuerit, is planè Christianæ Philosophiæ peritus erit; idemque & Deum & se ipsum cognoscet, & in quanto nunc salutis discrimine versetur intelliget, & à quo potissimum salutarem opem quærere, & cui salutem suam acceptam ferre debeat, nō ignorabit. Sed iam tria hęc singulatim expēdere incipiamus. Principiò igitur rerum omnium conditor Deus ob immensas bonitatis & magnificentiæ suæ opes, hominem quē imagine sua decorauit, ad eum finem destinauit, quo nullus maior cogitari potest. In hoc enim illum finxit, vt felicitatis & beatitudinis suæ participem facere. Hinc Ioannes Euangelista, Filioli, inquit, nunc filij Dei sumus: sed 1 Ioan. 3.
nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quod cùm apparuerit, similes ei erimus; quia videbimus eum sicuti est. Quia enim Dei felicitas & gloria in sui ipsius visione & fruitione consistit, si nos quoque illum sicuti est, hoc est, facie ad faciem viderimus, similes vtique illi erimus, quia eadem visione eodemque suauissimo pabulo fruemur.

Cæterùm cùm omnia Dei opera rectissimè instituta sint, necesse erat, vt quem hominem altissimo huic & supernaturali fini destinarat, supernaturalibus etiam donis ornaret, quibus hac tanta gloria dignus fieret, præsertim cùm finis & ea quæ ad finem destinata sunt, eiusdem ordinis & dignitatis esse debeant. Primùm igitur illum originali iustitia, hoc est, regia corona decorauit, qua immortalitatem illi & imperium supra cuncta animantia, & (quod erat multò maius) supra se ipsum, hoc est, supra omnes affectus & motus animæ suæ donauit, rerumque omnium sciētiam, quæ ad illius status dignitatem pertinebant, contulit. Neque hanc iustitiam modò, sed gratiam quoque & cælestes virtutum habitus in mentem eius infudit; illam quidem, vt animam Deo gratam & amabilem faceret, hæc autem vt operosam, hoc est, ad omnia virtutis officia exercenda potentem redderet, atque ita demum puritatis & sanctitatis diuinæ participem efficeret, eiusque imaginem his virtutum gemmis clariorem & pulchriorem redderet. Sic igitur cùm Deus hominem velut quendam deum beatitudinis suæ communione facere destinasset, prius eum per dona gratiæ diuinum quodammodo fecit, vt ex hac diuinitatis communione, quæ est per gratiā, ad pleniorē illam, quæ erit in futuro seculo per gloriā ipsum attolleret. In hoc igitur felicissimo statu homo à Deo

conditus est, ab omni prorsus miseria, ægritudine, ignorantia & mortalitate alienus.

I.

In hoc autem honore constitutus, antiqui serpentis fallacia in fraudem coniectus, Deique præceptum transgressus, cum innocentia simul iustitiam & gratiam, quam acceperat amisit. Peccatum enim earum rerum naturam imitatur, quę quicquid

Similia. attigerint destruunt, atque contaminant. Sic enim modicum fermentum conspersionem totam corrumpit: sic parum aceti totum pretiosi vini dolium acidum reddit: sic vnus homo peste morbo laborans, totam plerumque inficit ciuitatem. Sic denique torrens turbidus atque cœnosus si in purissimum influat riuulum, ipsum quoque cœnosum atque turbidum reddit. Ad hunc ergo modum peccatum (quod meritò fermento, aceto, pesti, atque cœno comparatur) vbi in hominem incurrit, totam generis humani naturam, quæ in vno illo homine erat, contagio suo infecit atque corrupit.

Hæc autem mala omnia ad duo capita reuocantur. Primùm lapsus homo donis gratiæ quæ acceperat spoliatus fuit: deinde etiam in bonis naturæ vulneratus. Quam rem homo iste qui descēdebat ab Hierusalem in Hiericho repræsentat, qui à latronibus non modò spoliatus, sed etiam vulneribus concisus fuit.

Iob 19. Prius autem illud in persona sua S. Iob in sterquilinio positus & ad summam inopiam redactus adumbrauit, cùm de Deo loquens ait, Spoliauit me gloria mea, abstulit coronam de capite meo, & quasi arbori euulsæ abstulit spem meam. Primum itaque peccatum spoliauit hominem gloria sua, hoc est, diuina gratia, quæ decor, & pulchritudo, & vera gloria est animarum. Deinde coronam de capite, hoc est, originalem iustitiam, quæ regiam homini dignitatem (vt paulò antè diximus) conferebat, abstulit. His autem donis amissis, facultas quoque piè & religiosè o-

Simil. perandi amissa fuit. Vt enim arbor radicibus euulsis, nullum germinare fructum potest: ita mens humana sublata cælestis gratiæ radice, à qua bona cuncta procedunt, opera Deo grata, & æterna vita digna, proferre nequit. Itaque peccatum illud veluti naufragium quoddam extitit, quo prætiosæ cælestium donorum merces magno generis humani malo amissæ sunt. Quam rem illa principum nostri generis nuditas repræsentat: qui vbi Dei præceptum violarunt, nudos se & pudore affectos deprehenderunt, quod anteà simplicitatis & gratiæ opibus ornati neque aduerterant, neque ob id erubescebant.

Amissis

Amissis autem diuinæ gratiæ donis quæ naturam in officio continebant, consequens erat, vt ipsius quoq. naturæ vires grauiter sauciarentur. Quemadmodum enim cadauera myrrha condita à vermibus & putrefactione incorrupta seruantur, qua sublata, corrumpuntur & vermibus scatent: sic quamdiu iustitiam & gratiam homo retinebat, ab omni corruptionis & peccati iniuria immunis erat; vbi vero hæc amisit, protinus vermibus & corruptioni obnoxius fuit. Vermes autem hi sunt, quos Apostolus ad Galatas annumerat his verbis: Manifesta sunt opera carnis quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissentiones, sectæ, inuidiæ, & his similia. Hi sunt igitur vermes animę nostræ, qui eam perpetuò corrodunt, dilacerant, vexant, cruciant, atque miserrimam efficiunt, ac postremò in peccati barathrum & sempiternam miseriam præcipitant. His igitur vermibus improborum hominum pectora scatent, quæ si oculis corporis cernerentur, fœdissimum atque horrendum spectaculum intuentibus præberent. Non enim temerè sapiēs ille dixit, Quid nequius, quàm quod cogitauit caro & sanguis?

Simil.

Galat. 5.

Hæc autem animarum vulnera typicè idem S. Iob de Deo loquens, in persona sua repræsentat his verbis. Circundedit me lanceis suis, conuulnerauit lumbos meos, effudit in terram viscera mea, concîdit me vulnere super vulnus. His verbis, fratres, summa ac penè incredibilis naturæ nostræ miseria designatur. Cuius cognitio maximè nobis ad salutem necessaria est; partim quidem, vt omnem animi nostri tumorem & arrogātiam huius tantæ miseriæ cognitione à nobis repellamus; partim etiam, vt velut in excubiis positi, vigilemus semper, nobisque prospiciamus, ne tot malis quæ nos vndique circumsident opprimamur; partim etiam, vt assiduis precibus opera Domini aduersus hæc omnia mala imploremus. Primum igitur quod vir sanctus ait, Circundedit me lanceis suis, quatuor illa grauissima animorum vulnera, quibus præcipuæ animæ nostræ vires sauciatæ sunt, designat, quę sunt ignorantia & error in intellectu, rebellio autem & tarditas in voluntate, quæ sese ægrè admodum ad rationis imperium attollit. Cuius rei gratia Ecclesia Dominum orat, vt rebelles nostras ad se compellat voluntates. In parte autem animæ nostræ concupiscente ardor & flagrans desiderium quo ad inconcessa vehementi impetu concitatur: In parte verò irascente quæ fortis ad bonum esse debebat, imbecillitas, languor, & infirmitas. Ex his autem quatuor præcipuis animæ vulneribus,

Iob 16.

 bus,

bus, cætera mala deriuantur. Addit præterea aliud singulare
& grauissimum vulnus cùm subdit, Conuulnerauit lumbos
meos. Lumborum enim nomine ea corporis nostri pars, quæ ad
humani generis propagationem data est, designatur, per quam
originis peccatum in posteros transfunditur, quę peccati deme-
rito vehementer sauciata fuit. Vt enim Theologi aiunt, nullibi
truculentius, quàm in hac parte carnis nostræ concupiscentia
desæuit. Quod animaduertens humani generis hostis, hac po-
tissimùm cupiditate ad perniciem nostram abutitur, naturam
propensione sua ad malum incensam ipse vehementius accen-
Iob 40. dit; vtpote de quo scriptũ est, Virtus eius in lumbis eius. Quem
locum D. Hier. sic exponit, vt dæmonem asserat aduersus iuue-
nes ac puellas naturali calore ad eorum perniciem abuti, nec
his tantum, sed omnibus omnium ætatum atque ordinum ho-
minibus simili modo bellum inferre. Ex eodem enim (ait idẽ)
cuncti facti sumus luto, eisdem compacti medullis, in serico &
in panno eadem libido dominatur, nec regum purpuras timet,
nec mendicantium spernit squallorem. Quis autem hoc in lo-
co recensere valeat quantæ hominum ruinæ, quàm multiplices
Prouer. 7 strages ab hoc animæ nostræ vulnere exortæ sint? Hinc de im-
pudica fœmina Salomon, Multos, ait, vulneratos deiecit, & for-
tissimi quique interfecti sunt ab illa.

Sequitur deinde, Effudit in terram viscera mea. En aliud
maximè deplorandum malum. Viscerum quippe nomine affe-
ctus & desideria nostra significantur, quæ dum natura integra
manebat, non terram, sed cælum rectà petebant; vbi verò ea per
peccatum curuata est, à cælo delapsa, ad terrena bona defluxit,
in terramque toto impetu fertur. Hinc passim multos morta-
lium videre licet nihil aliud loqui, nihil meditari, nihil cupere,
nihil deniq. somniare, quàm quomodo terrenorum bonorum
compotes fiant, & lucrum lucro semper adiiciant, perinde ac si
ad hæc sola bona fruenda nati essent, & spem omnem æternæ
vitæ prorsus amisissent. Hoc autem quid aliud est, quàm ad pe-
cudum naturam degenerasse, quæ soli ventris obsequio perpe-
tuò deseruiunt. Adiecit præterea, Concîdit me vulnere super
vulnus: quibus verbis alia multa vulnera, quæ ab illis quatuor
fontibus, quos paulò superius memorauimus, originem ducũt,
designauit: quibus homines ad ea officia, quæ ex iustitiæ debito
Deo, hominibus, atque sibi ipsis pręstare tenentur, nimium tar-
di atque difficiles existunt. Intra nos autem sunt tria illa quæ
Ioannes in Epistola sua enumerat, Concupiscentia carnis, con-
cupiscen-

cupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ: quibus infelix anima 1 Ioan. 2.
voluptatum, diuitiarum, & honorũ cupiditatibus incenſa, velut furiis quibuſdam exagitatur, & ad omnia ſcelera extimulatur. Hinc etiam erga proximos acerba odia & inimicitiæ, erga miſeros crudelitas & inhumanitas, erga ſuperiores inuidia, erga infimos contemptus atque deſpectio. Quodque his omnibus grauius eſt, hinc diuinorum beneficiorum abuſus & ingratitudo, diuinarumq́. legum neglectus, quas propter res nihili contemnimus & violamus. En, fratres, quàm multis grauibusque vulneribus propter peccatum fuerit homo ſauciatus.

Denique ſemiuiuus à latronibus relictus fuiſſe deſcribitur. Quid eſt ſemiuiuus? Partim quidem viuus, partim etiam mortuus. Ad quædam enim opera viuus, & ad quædam alia mortuus eſt. Cui ſimile eſt quod per Prophetam Dominus de improbis ait, Sapiẽtes ſunt vt faciant mala, bene autem facere neſcierunt. Sicut ergo hi ad malum ſapiẽtes, ad bonum verò ſtulti ſunt; ita planè miſerandus homo ad malum viuaciſſimus, ad bonum verò pęnè mortuus eſt. Quæ res miſerandi huius ſtatus, in quo nunc degimus conditionem appoſitiſſimè mihi expreſſiſſe videtur: in quo maxima hominis ad malũ procliuitas, maximaq́. ad honeſtatẽ & virtutẽ tarditas cernitur. Id autẽ ita eſſe apertiſſimis exemplis cõprobabo. Contingit nonnunquam vt vir pius affectum ſuum vel erga Dei amorem, vel beneficiorum eius gratitudinẽ, vel commiſſorum dolorem excitare velit. Cùm autem ad hoc efficiendum voluat diligenter animo ea, quæ talem in eius pectore affectum incẽdere valeant; in hac pia meditatione diu multumque moratus, vix vllam intra ſe caloris aut deuotionis ſcintillam deprehendit. Contrà verò ſi impura aliqua cogitatio, aut iræ motus mentem attigerit, dictu mirum eſt, quàm breui temporis mora ſic totum hominem commoueat, vt non modò animum afficiat, ſed interdum etiam corpus ipſum inflammet. Qua quidem re quid quæſo mirabilius, imo verò quid miſerabilius? Nonne igitur hinc apertè liquet quàm ſit miſer homo tardus ad bona, quamque procliuis & propenſus ad mala?

Rurſum ſi à te pauper eleemoſynam petat, continuò tua tibi paupertas & filiorum cura venit in mentem. Qua cogitatione ſic & animus & manus tua contrahitur, vt vix obolum pauperi in nomine Chriſti petenti, & Chriſti vulnera obteſtanti, & regnum cæleſte promittenti præbeas. Et tamen ſi hoc ipſo tempore nobilis quiſpiam vir apud te hoſpitari velit, aut in ſpectaculis

culis aut ludis publicis sit tibi prodeundum, tunc vt honori spectationique hominum respondeas nulla aut paupertatis, a filiorum occurrit mentio: omnia dilargiris, omnia profun nullisque sumptibus parcis, aliena etiam congeris, nec vere inopes filios relinquere, modò vanitati atque oculis homin satisfacias. Erga Christum itaque, & animæ tuæ salutem, ae namque vitam adeò inops atque parcus es; erga illa verò mundi sunt adeò diues atque profusus. Rursum cùm in cionibus aliquando verbi Dei ministros tonantes ac fulmin tes audis, & diuini iudicij districtionem, & ineuitabilem m necessitatem, & sempiterna damnatorum supplicia & inc amplificantem, sic interdum afficeris, vt in lachrymas prorumpas. Sed quamdiu hic in te affectus perseuerat? Vix mus tuæ limina attigisti, cùm is protinus vel leui aliquo vel vno verbulo extra rem prolato euanescit. Et tamen si ab quo vel leuissimè in fama aut honore læsus fueris, bone De quàm lõgo tempore ferinus hic iræ motus, & implacabilis vi dictæ cupido perseuerat! An non igitur hic apertè cernitis viu cissimum hominem ad mala, ad bona verò amplectenda pa mortuum? Hoc est ergo quod nobis repræsentat homo bi miuiuus à latronibus relictus.

II.

Satis ex his, quæ diximus, fratres, secũdum hominis statum, hoc est, naturæ morbum ex peccato contractum intelligere po tuistis, præsertim cùm quotidiana nos malorum nostrorum ex perientia doceat, quàm dura sint carnis & spiritus prœlia, qui bus assiduè infestamur. Nunc quoniam morbum agnouimus, remedium inquiramus. Et quidem Philosophi hanc eandem animi ęgritudinem & intellexerunt, & mirati sunt; sed hanc ta men non culpæ supplicium, sed naturæ conditionem esse cre derunt. Isti igitur de remedio cogitantes, naturæ vim Philo phiæ studiis ac disciplinis excultam ad sananda hæc vulnera, & vitam rectis moribus instituendam satis esse crediderunt. D quorum numero Socratem fuisse memorant: qui cùm esset a virtutem malè à natura cõpositus, Philosophiæ beneficio insi naturæ vitia curasse, & rebelles eius motus compressisse dicitu

His successêre Pelagiani, qui superbiæ tumore excæcati, ta tum naturę indoli, & libero arbitrio (cui vis nulla inferri pote) tribuebant, vt ad omnem virtutis perfectionem sine vlla exte na ope sufficere asseuerarent. Aduersum hos autem cùm mul alij grauissimi patres, tum præcipuè D. August. acerrimè decer

tauit

tamliberi arbitrij facultatem non quidem adimens, sed diuinæ tamen gratiæ necessitatem asserens. Hi autem non à D. Aug. solùm, sed ab Ecclesia etiam in Mileuitano Concilio (quod posteà authoritate Apostolica confirmatum est) anathemate damnati sunt. Hos igitur cum Philosophis (qui hæreticorum Patriarchæ fuerunt) missos faciamus, & ad diuina præsidia & medicamenta veniamus. Non dubium, quin ad bene beateq; viuendum plurimum sanctissimæ leges conferant. Hoc enim rectis legibus propositū est, vt homines & bonos & beatos efficiant. Has autem Deus ipse in montem Sinai descendens, voce sua protulit, & digito suo scriptas Hebræis dedit: quibus iter illis ad immortalitatem patefecit. Adiecitque in fauorem legis magnificentissima eiusdem legis cultoribus præmia, & seuerissima violatoribus supplicia. Tum verò sacrificia addidit, vt si quando in leges peccatum esset, expiandi criminis ratio omnibus esset in promptu. Sed quid tandem hac medicina profectū est? Hoc non ego, sed Apostolus multis in locis apertissima oratione declarat. Tantum enim abfuit vt naturæ morbus hac ratione sanaretur, vt multis etiam accessionibus non quidem legis, sed hominum vitio fuerit auctus. Quod apertè Apostolus confirmat his verbis. Lex subintrauit, vt abundaret delictum. Quibus verbis ostendit, legis medicamento adeò non fuisse concupiscentiæ & peccati incendium extinctum, vt etiam fuerit cumulatum. Vnde rursum ait, Cùm venisset mādatum, peccatum reuixit. Mira res. Mandatum ideò datum est, vt peccatum extingueret: quod tamen adeò non extinxit, vt etiam viuacius & potentius redderet. Vnde subdit, & inuētum est mandatum quod erat ad vitam, mihi esse ad mortem. Cur ita tandem? Primùm quia prohibitio legis cupiditatem irritauit & auxit. Nitimur enim (ait ille) in vetitum semper cupimusque negata. Vnde meretrix illa in Prouerbiis ad inconcessas voluptates inuitans. Aquæ, inquit, furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior. Deinde multarum rerum prohibitione, quæ seclusa lege peccata non erant, nouæ delinquendi occasiones infirmis mentibus additæ fuerunt. Tum præterea peccatorum grauitas lata lege aucta est, & omnis ignorationis excusatio adempta: seruus enim sciens volūtatem Domini sui, & non faciens, grauiores neglecti officij pœnas pendet.

Rom. 5.
Rom. 7.
Prou. 9.

His igitur rationibus diuinus Apostolus ita legem deprimit, vt (quod mirabile est) eam stimulum peccati, literam occidentem, & ministerium mortis atque damnationis appellet. Quod ideo

1 Cor. 15.
2 Cor. 3.
Ibidem.

ideo facit, vt Dei gratiam & redemptionis & passionis Dominicæ beneficium & necessitatem attollat, & morbi nostri magnitudinem ostendat, quòd tantis à Deo remediis adhibitis non modò non sublatus, sed etiam fuerit auctus. Hoc enim deploratæ ægritudinis proprium esse solet, vt adhibita remedia nō modo nihil ægroto conferant, sed etiam noceant. Hoc autem communis huius morbi proprium est, quod in hoc exitiali natu-
Rom. 7. morbo euenisse idem Apostolus confirmat his verbis: Vt appareat peccans peccatū per mandatum; hoc est, vt appareat quanta sit illa natiuæ corruptionis & concupiscentiæ vis, quæ medicamenta vertit in venena, dum carnis appetitio mandati prohibitione irritata, operata est in me omnem concupiscentiam.

Non ergo legis doctrina, non expiationis sacrificia ad sananda animorum vulnera salutarē nobis opem contulerunt. Quod planè in vulnerati huius à latronibus curatione sacerdos & Leuita designant. Neuter enim salutem vulnerato aut medicinam contulit. Per sacerdotes autem, quorum erat sacrificia Deo offerre, legis sacrificia: per Leuitas verò, qui populum doctrina legis imbuebant, lex ipsa significatur. Cùm ergo isti inspecto ægro præterierint, nec opis quicquam illi contulerint, facilè nobis innuunt, nec legem, nec legis sacrificia naturam ægrotam sanare, & in pristinum statum restituere potuisse. Vt enim idem
Hebr. 7. Apostolus ait, Neminem ad perfectum adduxit lex. Cur ita? Quia per legem cognitio peccati, non autem gratia, quę fugam parit odiumque peccati. Quid autem vel peccati, vel virtutis cognitio ad bene viuendum conferat, declarat ille qui dixit, Video meliora proboque deteriora sequor. Et ille item qui dixit, Probitas laudatur & alget.

Quid igitur? an præclusa nobis omnis ad salutem via est? Si enim neque liberum arbitrium, nec Philosophię disciplina, nec ipsa etiam à Deo lata lex satis nos ad virtutem & iustitiam instructos reddunt, quæ nos spes reliqua manet? Huic quæstioni idem Apostolus respondet, qui posteaquàm longa oratione humanæ naturæ morbum, & legis infirmitatē declarasset, & neque naturæ lumen gentibus, neque doctrinam Philosophis, neque ipsam Dei legem Iudæis vires aduersus peccati tyrannidē contulisse
Rom. 7. dixisset, intimo cordis affectu exclamans, ait, Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius, hoc est, de corpore peccati, in quo est concupiscentia & peccatorum omnium mortisque seminarium? Cui quæstioni vnico, sed fœcun-
Rom. 7. dissimo verbo respondet, cùm subdit. Gratia Dei per Iesum Christum.

Christum, quæ videlicet passionis & sacrificij eius merito fidelibus suppliciter petentibus donatur. Gratia enim velut myrrha illa est, cuius suprà mentionem fecimus, quæ mentes nostras à peccati contagio & corruptione incolumes conseruat; quæ naturam ægram sanat; quæ inuictum robur aduersus peccati tyrannidem confert; quæ mentes nostras omniũ virtutum armis sepit & munit; quæ vires præbet quibus Dei legẽ inuiolatã seruare possimus; quæ postremò (quod horum omnium causa est) Spiritu sancto donans, Dei filios & regni eius hæredes instituit.

Hanc porrò pretiosissimam margaritam, quæ rerũ omnium superat valorem & dignitatem, Christi meritis nobis dari Apostolus, imo & omnis cum Apostolo Prophetarum chorus ait. Hinc enim Petrus Apostolus, Huic, inquit, (scilicet Christo) Act. 2. omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum: nec Act. 4. est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Hic est igitur bonus ille Samaritanus, qui spoliatum & vulneratũ à latronibus pia solicitudine curauit, quem sacerdos & Leuita, id est, legis doctrina & sacrificia iacentem & seminecem reliquerunt.

Quisquis autem hæc probè intellexerit, nobilissimæ Epistolæ, quæ ad Romanos scripta est, scopum facile attinget. In ea namque primum diuinus Apostolus tria illa quæ diximus, hoc est, liberum hominis arbitrium, Philosophiæ doctrinam, legemque à Deo latam propter exitialem humanæ naturæ morbum ex peccato contractum ad salutem sufficere negat; vt sic tandem diuinæ gratiæ atque redemptionis Christi necessitatem asserat, & nos tandem ad eam modis omnibus quærendam, atque implorandam remittat. Sed ad curationis modum veniamus.

III.

Hic igitur pius Samaritanus vbi sauciatum hominem vidit, *Misericordia super illum motus est*. Quæ quidem misericordia beneficij huius, cæterorumq́. quæ posteà consecuta sunt & initium & causa extitit. Nulla enim Christo Domino miserendi causa, nisi sola eius ineffabilis misericordia fuit. Sic Zacharias, Lucæ 1. Per viscera, inquit, misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. Sic Apostolus: Non ex operibus iustitiæ quę Tit 3. fecimus, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit.

Hac ergo misericordia tactus, vulnerato appropinquauit. Quomodo appropinquauit? Quando salutis humanæ constituendæ

tuendæ gratia humanam assumpsit naturam. Nullo enim modo propinquior nobis, quàm naturæ nostræ susceptione fieri potuit; quam personali vinculo sibi colligatam ad diuinitatis communionem sustulit, qua communione nulla maior cogitari potest. Hac igitur ratione vulnerato appropinquauit, vel (vt
Ambros. D. Ambr. ait) tunc appropinquauit, quando factus est compassionis nostræ susceptione finitimus, & misericordiæ collatione vicinus.

Nec solùm hoc modo appropinquauit, sed etiam à iumento
Philip. 2. descendit. Quando descendit? Certè quando is humiliauit, exinaniuit semetipsum factus obediens vsq. ad mortem, mortem autem crucis. Quò enim profundius altissima illa celsitudo atque sublimitas descendere potuit? Hac igitur tanta humilitate atque obedientia summum illud primorum parentum scelus, quod superbia & inobedientia commissum est, expiauit, & læsæ maiestati plenissimè satisfecit. Multo enim magis Dei filius hac tanta humilitate & obedientia cęlestem patrem honorauit, quàm primus ille homo rebellione & superbia sua offen-
Leo Papa derat; ideoq́ue (vt Leo Papa dicit) ampliora adepti sumus per
Rom. 5. Christi gratiam, quàm per diaboli amiseramus inuidiam. Hinc Apostolus, Non sicut delictum, ita & donum. Vbi enim abundauit delictum, superabundauit & gratia.

Vbi autem pius Samaritanus hoc modo à iumento descendit, vino & oleo iacentis vulnera perfudit: quorum altero vulnerum saniem lauaret, altero doloris acerbitatem leniret. Quid autem olei & vini nomine, nisi Euangelica doctrina ab hoc pio Samaritano nobis tradita designatur? Oleum enim est gratia, quæ nobis per Euangelium exhibetur; quę virtus in salutem est omni credenti, eademq. doctrina, acre vinum nobis propinat:
Rom. 1. quandoquidem (vt Apostolus ait) ira Dei in eo reuelatur super omnem impietatem hominum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent. Vtrumque enim Euangelium nobis proponit, hoc est, diuinæ gratiæ oleum, quod nos ad Dei amorem excitat; & diuinæ seueritatis & iustitiæ vinum, quod salutarem nobis timorem incutit.

Quid deinde? His non contentus, alligat sauciati vulnera. Per hæc alligaměta sancti Patres sacramentorum medicamenta commodissimè accipiunt; quę sanandis animæ nostræ vulneribus misericorditer à pio Samaritano instituta sunt; per quæ passionis & meritorum eius virtus nobis applicatur. Satis hæc erant ad Samaritani nostri benignitatem & misericordiam indicandam;

dicandam; sed vlterius tamen progressa est. Descendens enim è iumento, quo vehebatur, ægrotum supra illud sustulit, & ipse pedes reliquum viæ confecit, itineris labore & fatigatione sauciati laborem & fatigationem leuans. Hac enim ratione quanto suo incommodo commoda nostra quæsierit, indicauit. Vulneribus quippe suis vulnera nostra sanauit, vinculis suis vincula nostra sustulit; verberibus suis debita nostra dissoluit; laboribus suis requiem nobis æternã promeruit; sanguinis sui pretio nos à diaboli captiuitate redemit; humilitate sua nos ad cælestem gloriam sustulit: morte sua nobis vitam donauit, & crucis supplicio cæleste nobis regnum mercatus est. Hoc est igitur à iumento descendisse, & supra illud ægrotum posuisse.

Denique his officiis ritè peractis, ad stabulum perducens ægrum, data pecunia stabulario ægri curam committit, daturus posteà quidquid ille supererogasset. Stabulũ hoc Ecclesia est; stabularij sacerdotes, quibus curãdorum animorũ cura à Christo Domino commissa est. Pecunia verò illis data, ministerij dignitas & gratia est; pecunia autem promissa cælestis gratiæ præmium est, quod fidelibus ac prudentibus seruis (quos supra familiam suam Dominus posuit) in cælo reseruatur. Qui enim bene ministrauerint (vt Paulus ait) gradum bonum acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Iesu. 1 Tim. 3.

Hac igitur ratione, fratres, his medicamentis collapsum hominem Samaritanus noster instaurauit, & amissam per peccatum gratiam restituit; & vulneratum à latronibus sanauit, quem neque sacerdos, neque Leuita, hoc est, neque scripta lex, neque legis sacrificia ad sanitatẽ (vt antè diximus) perducere potuerũt.

Cur igitur (inquiet aliquis) lex à Deo lata est, si ad sanandum hominem egena & infirma erat? Huic quæstioni sapienter D. August. respondet his verbis: Lex data est, vt gratia quæreretur: August. gratia data est, vt lex adimpleretur, quæ non quidem vitio suo, sed vitio prudentiæ carnis impleri non poterat; quod vitium per legem demonstrandum, per gratiam fuit sanandum. Hactenus August. Ad hoc igitur (vt cęteras vtilitates sileamus) lex data est, vt per eam homo virium suarum imbecillitatem apertè cognoscens, sequè ad eam obseruãdam imparem inueniens, cælestis gratiæ auxilium imploraret; vt quod ægra natura per se non poterat, per gratiam sanata posset.

Verùm dicet aliquis, si tam copiosum gratiæ munus pius hic Samaritanus nobis promeruit, si tam salutaria curandis animarum vulneribus medicamenta prouidit, cur tam multi in Ec-

Simil. clesia tot peccatorum vulneribus sauciati iacent? Quid, quæ fratres, medicamenta quamlibet salutaria sint in Pharmacopolæ domo recondita ægrotantibus proderunt? Quid petitissim etiam medicus, si medici præcepta non audiuntur? Christus enim Dominus factus est omnibus obedientibus sibi causa salutis æternæ. Non enim stertentibus, aut dormientibus, eius præcepta negligentibus, sed obedientibus causa est salutis æternæ. Si tu prçtereà neque medicum ipsum adis, neque piis & assiduis precibus eius opem imploras; si sacramentorum medicamenta ab ipso instituta minimè frequentas, si Euangelicam doctrinam (quæ & vinum & oleum vulneribus tuis præbet) quam in animo voluis, neq. magnificentissima eius benefi quæ te in eius amorem incendere possent, ad mentem reuo, tibi sanè tuæque socordiæ, non pio Samaritano perditionis tuæ causam ascribe. Quocirca, fratres, si sanari cupimus, medicum adeamus, eiusq. opem assiduis precibus imploremus, eius præceptis & monitis obtemperemus, & clarissima beneficia, salutaremq. doctrinã cum animo nostro recogitemus, & sacramentorum alligamenta, quæ ipse sanandis vulneribus nostris instituit, frequentemus. Sic enim fiet, vt vulnerum sanitatem, peccatorum veniam, Dei amicitiam, Spiritus sancti gratiam, cælestem tandem gloriam ipso donante percipere mereamur.

IN EADEM DOMINICA DVODECIMA POST PENTECOSTEN CONCIO secunda: in qua primum dilectionis diuinæ mandatum paulò fusius explicatur. Secundo verò loco duæ prçcipuè diligendi Deum causæ explicantur.

THEM. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis & ex omni mente tua.* Lucæ 10.



OMNES qui Christianæ religionis nomine censemur, hoc ferè desiderio frequenter tangimur quo diues ille adolescens in Euangelio tenebatur: qui ad Dominum ait, Magister bone, quid
Luc. 18. faciendo vitam æternam possidebo? Cui Dominus breui compendio iter salutis aperuit, dum huius negotii sum-

summam, in vna Decalogi obseruatione posuit. Si vis, inquit, ad vitam ingredi, serua mandata. Idem etiam desiderium verbotenus, in hodierna sancti Euangelij lectione, quidam legis peritus Domino Saluatori proposuit. Cui Dominus simili cō- Ibidem. pendio respondit, dum omnia mandata Dei, vno dilectionis præcepto contineri dixit. Hoc est igitur maximum & primum mandatum. Quicunque igitur huius excellentissimæ virtutis desiderio incensi sumus, habemus in præsenti Euangelio eius rationem diligenter explicatam. Verùm cùm hæc charitatis lex duo præcepta contineat: quorum alterum Dei, alterum proximi dilectionem commendat: neque vna concio ad vtriusq. tractationem sufficiat, de priori maximeq́ue mandato, hoc est, de dilectione erga Deum hodie disseremus. Prius tamen Euangelicæ lectionis historiam breuiter percurremus, vt diutius posteà in huius diuini præcepti explicatione (in quo salutis nostræ summa constituta est) immorari valeamus.

Anteà verò quàm S. Euangelista hanc historiam referret, discipulorum Domini felicitatem commemorat: ad quos Saluator ipse ait: *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis quòd multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt. Et ecce quidam legis peritus surrexit, tentans illum, & dicens, Magister quid faciendo vitam æternam possidebo*, & cætera quæ sequuntur. Aue Maria.

PARS PRIOR.

Principiò, quoniam primum & summum diuinæ legis præceptum in nostra erga Deum dilectione situm est (ex quo omnis alia diligendi ratio vim & originem ducit) quonammodo, hoc est, qua virtute & intentione animi is diligendus sit, exponamus. Hoc autem nos ipsa Dei lex his verbis docet, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* Iam singula hæc verba explicare incipiamus, ab eo, quod postremo loco positum est, exordium capientes.

Diliges ergo primùm Deum tuum ex tota mente tua. Mens hoc in loco pro suprema & nobilissima animæ nostræ parte, hoc est, intellectu posita est. Cùm ergo nos tota mente Deum diligere iubemur, intellectus officio illum diligere iubemur. Quonam igitur modo Deum intellectu diligemus? Eius certè officio & ministerio huic dilectioni quæ in voluntate sita est, deseruientes. Hoc autem agimus, cùm ea in animo & cogitatione

versamus, quæ affectum nostrum in eius dilectionem accende-re possint, nempe immensam eius bonitatem, charitatem, misericordiam, pulchritudinem, benignitatem, & innumera beneficia, quibus nos quotidie cumulat & ornat, pluraque maiora se daturum promittit, studiosè considerantes. His religiosè ac diligenter expensis, miro modo animus noster huius summi boni, atque munificentissimi benefactoris in amorem accenditur. Hoc est igitur tota mente Deum diligere.

Bernard. Diliges etiam eum, ait, tota virtute, hoc est (vt D. Bernardus exponit) adeò constanter diliges, vt nullis minis, vt nullis calamitatibus aut incōmodis ita perturberis, vt ab eo vlla vnquam ratione diuellaris: quomodo illum sancti Martyres dilexerunt, qui nullis terroribus aut periculis debilitari ac frangi potuerunt, quò minus dilectionem & fidem illi præstitam constantissimè seruarent. Hoc est enim Deum tota virtute diligere.

Bernard. Diliges etiam in toto corde tuo, id est (vt idem Bernardus interpretatur) sic eum diliges, vt nullis voluptatum illecebris capiaris, vt ab eius obsequio & amore disiungare: quemadmodum illum sanctæ Virgines dilexerunt, quæ regnum mundi & omnem ornatum seculi, omnesque carnis voluptates propter eius amorem contempserunt. Denique diliges eum ex omnibus viribus tuis: vt videlicet omnes animæ tuæ vires, omnes corporis sensus atque membra omnia, quæ à Deo condita sunt, suo vnumquodq. modo cōditoris dilectioni deseruiant. Quod

Rom. 6 quidem Apostolus à nobis exigit, cùm ait, Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem (hoc est, ad inquinandos & conspurcandos vos, & veris contumeliis afficiendos) ita nunc exhibete ea seruire iustitiæ in sanctificationem, hoc est, ad vos perficiendos, & sanctificādos, & ab omni contumelia vindicandos. Oculi ergo miranda Dei opera, cælum, stellas, Solem, & Lunam, clarissima diuinitatis eius monumenta videant: aures autem piè & attentè præcipientis Domini verba audiant: manus operentur opera Dei: pedes dirigantur in viam pacis: affectus verò omnes à terrenarum rerum cupiditate abducti, ad cælestium rerum amorem traducantur: ac denique quicquid intra nos est, eius obsequio mancipetur. Quia enim ipse quicquid in nobis est condidit, ideò creationis iure quæcunque habemus omnia ipsi debentur. Nec modò conditor, sed etiam gubernator noster est: sine cuius prouidentia, qui ex nihilo facti sumus, in nihilum protinus recideremus, nisi ab eo iugi cura

seruaremur.

seruaremur. Quocirca sicut nullum momẽtum est, in quo non magnis beneficiis Dei fruamur (quando in ipso & viuimus, & mouemur, & sumus) ita nullum momentũ ab eius laude, amore, & gratiarum actione vacare debet. Nec is solùm conditor & gubernator noster, sed etiam redemptor est: qui non auro aut margaritis, sed pretioso sanguinis sui pretio nos ab hostium potestate in libertatem vindicauit. Qui igitur nobis omnia est, omnibus animæ nostræ viribus, omni studio atq; conatu à nobis vtiq; diligendus est. Quia verò ex his, quæ diximus, constat, Deum non modò esse diligendum, sed etiam super omnia diligendum, quid sit Deum super omnia diligere explicandum est. Hoc autem non video, qua ratione aptius explicare valeam, quàm alia eiusdem Domini lege, quæ ab huius dilectionis fonte deriuatur, exposita: quæ ideò à me hoc in loco paulò diligentius tractanda est, vt pleniorem præcepti huius intelligentiam habere possimus. Lex igitur sic habet.

Si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuæ, aut Deut. 13. filius tuus, vel filia, siue vxor, quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis vt animam tuam, clam dicens, Eamus vt seruiamus diis alienis, quos ignoras tu & patres tui, non acquiescas ei, nec audias, nec parcat ei oculus tuus, vt miserearis & occultes eum, sed statim interficies: sit primùm manus tua super eum, & post te omnis populus mittat manum. Lapidibus obrutus necabitur, quia voluit te abducere à Domino Deo tuo, qui eduxit te de terra Aegypti, de domo seruitutis. Quid his verbis mirabilius? quid sublimius? Quis hanc legem ferre nisi Deus? quis implere nisi qui Dei spiritu plenus esset, potuisset? Cui verò hoc tantum obsequium nisi vni Deo debetur? Quid enim in rebus humanis natura ipsa maximè diligitur, quod his verbis non contineatur, frater, soror, filius, filia, vxor, quę cubat in sinu tuo, & amicus, quem diligis vt animam tuam? Qualis autem parentum erga filios amor sit, Dauid exemplo suo declarauit, 2 Reg. 19. qui parricidam filium, imò generis humani portẽtum, tam acri dolore mortuum luxit. Hunc igitur amorem non solùm hominibus, sed feris etiam natura ipsa ingeneratum, aduersus omnem naturæ vim non solùm deponi, sed etiam in furorẽ & exitiale odium conuertere Dominus præcipit, vbi quisque horum eius gloriæ & imperio aduersabitur. In quo casu parentem ipsum aduersus dilectissimum filium vult esse proditorem, delatorem, accusatorem, testem, & ante omnes alios carnificem. Et quidem hoc præcipitur homini in hoc statu naturæ lapsæ, & origi-

originalis peccati labe infectæ. Cùm autem hoc peccatum sit
habitualis quædam auersio humanæ voluntatis à Deo (quæ
immoderato sui amore procedit) quid mirabilius, quàm hoc
iniungere homini, qui corruptæ naturæ vitio sic à Deo auersus
& ad se per immoderatum amorem sui conuersus est? Tanta ta-
men illa bonitas ac maiestas est, tantumque amoris nostri
suo sibi vendicat, vt ab homine in his tenebris, & in hac infirmitate
& lapsa natura constituto, hunc tantum amorem exigat, vt
patrem, & matrem, & filios (si opus ita fuerit) trucidare, & om-
nia naturæ fœdera propter eius gloriam violare debeat. Præsti-
terunt autem hoc filij Leui, vbi populus ab Aegypto egressus,
vero salutis suæ authore, & libertatis vindice neglecto, vitulum
conflatilem adorauit: quibus cognatorum & amicorum cædem
Exod 32. Moyses imperauit his verbis, Ponat vir gladium super fœmur
suum: ite & redite de porta vsque ad portam per medium ca-
strorum, & occidat vnusquisque fratrem suum, & amicum, &
proximum suum. Feceruntq. filij Leui iuxta sermonem Moysi,
cecideruntq. in die illo quasi trigintatria millia virorum, quam-
uis nonnulla exemplaria habeant, circiter tria millia. Et ait
Moyses, Consecrastis hodie manus vestras Domino: vnusquisque
in filio & fratre suo, vt detur vobis benedictio. Nec hac benedi-
ctione Propheta contentus, vbi morti iam proximus, de tribu
Deut. 33. Leui inter alias agere cœpit, hęc verba subiunxit, Qui dixit pa-
tri suo, & matri suæ, nescio vos, & fratribus suis, ignoro illos, &
nescierunt filios suos, ij custodierunt eloquium tuũ, & pactum
tuum seruauerunt. Nescio quonammodo consuetudo enarran-
di atque legendi scripturas, rebus maximè mirabilibus admira-
tionem detrahat. Quid enim mirabilius quàm Leuitam cerne-
re in hac tanta strage districtum ferrum in viscera parẽtum, fra-
trum, & filiorum condere: nec parentum caniciem reuereri,
filiis amantissimis parcere, nec matrum gemitibus concuti, &
vbera quibus lactati sunt, agnoscere, nec riuis cognati sanguinis
vbique decurrentis commoueri? Hanc autem mentem & ani-
mum quis illis nisi Deus immittere potuit? Is enim supernatu-
rali quodam lumine ita mentes eorum illuminauit, ita eorum
animos diuino quodã furore perculit, vt apertissimè viderent,
quantum amoris & reuerentiæ, immensæ illi maiestati ac bo-
nitati deberetur. Vnde factum est, vt extremo supplicio dignis-
simos esse ducerent, qui aduersus illum rebellassent: quamuis
fratres, sorores, parentes, & filij essent. Non enim parẽtes agno-
scebant, quos Dei hostes esse videbant. Quæ res argumento
nobis

nobis esse debet, quo animo in extremo iudicij die sancti omnes diuinæ gloriæ zelo succensi, ancipites gladios arripient: qui- Psal. 149. bus vindictam faciant in nationibus, increpationes in populis, qui Deum non coluerunt: siue illi parentes, siue exteri sint. Si enim Leuitæ adhuc mortali corpore septi, tanto diuinæ gloriæ ardore incensi fuerunt, vt nullum sanguinis aut amicitiæ ius aut fœdus agnoscerent; quid illi facient, qui ipsam iam diuinæ pulchritudinis speciem cõtemplati, in Dei quodammodo naturam transierunt? Hoc igitur exemplo atq. hac lege intelligere facilè poteritis, fratres, quid sit Deum super omnia diligere: quod ego hoc in loco explicãdum suscepi. Illi enim Deum hoc modo diligunt, qui nullam rem quamlibet charissimam eius dilectioni & imperio anteferunt. Sed omnia prius interire, quàm ab eius amicitia & gratia excidere verè atque ex animo volunt.

I.

Est tamen hoc in loco non negligenda quæstio, an videlicet hoc diuinæ dilectionis mandatum perfectè hac in vita implere valeamus? Beatarum certè mentium (quę immensam Dei pul- 1 Cor. 3. chritudinem non per speculum & in ænigmate, sed facie ad faciem contemplantur) proprium est, hoc modo qui nobis hac lege præcipitur, Deum diligere: non eorum, qui hoc crasso & terreno corpore circumfusi sunt. Quid enim nos tanta maiestate & bonitate dignum præstare poterimus? Rectè enim Vates sanctus, Ecce, inquit, Libanus non sufficiet ad comburen- Esaiæ 40. dum, & animalia eius non sufficient in holocaustum. Sicut igitur nec animalia cuncta, nec ligna Libani dignum Deo sacrificium offerre possunt: ita nec omnium creaturarum mentes, debitum amoris holocaustum eidem offerre sufficient. Itaque D. August. negat in hac vita fieri posse, vt Deum toto corde, tota August. mente, tota anima, totisq; viribus diligamus: quia sicut ex parte cognoscimus, ita etiam ex parte diligimus: atq. ita dilectio nostra sicut & cognitio imperfecta est. Addit etiam aliam causam. Cùm enim amor Dei atq. amor sui inter se contraria sint, (amor enim Dei omnia ordinat in Deum: amor verò sui siue cupiditas omnia ordinat ad se) hinc necessariò consequitur, vt non possit perfectè in nobis regnum suum obtinere charitas, nisi perfectè moriatur cupiditas. Cupiditas autem (vt idem ait) Idem. in hac vita minui potest, extingui nõ potest. Quamdiu ergo aliqua ratione viuit cupiditas, nondum in nobis perfectè regnat charitas. Quemadmodum enim vt lignum admotum igni ver- Simil. tatur in ignẽ, necesse est omnẽ eius humiditatẽ & frigiditatem expelli

expelli (quamdiu enim humiditatis in eo aliquid residet nondum perfectè ignis est) ita planè cùm charitas & cupiditas inter se contraria sint, necesse est vt tota cupiditas ab anima pellatur, quo in ea charitas plenè dominetur: quod in hac vita fieri non potest. Postremò, cùm ad hoc mandatum perfectè exequendum, illud ante omnia necesse sit, vt semper diuina cogitemus, semperq. in Deum per amorem suspensi simus: hoc nemo potest in hac vita præstare: quoniam & fragilitas nostra & cupiditas, & quotidiana corporis necessitas ab hoc studio etiam sanctissimos quosque viros frequenter auocant: quò enim cupiditas deflectitur, eò etiam cogitatio nostra tendit.

Cur ergo, inquies, hominibus præceptum est, quod impleri non poterat? Ad hoc idem Aug. respondet, eo consilio hoc Dominum præcepisse, vt intelligeremus quò potissimum actiones nostras & vota omnia destinare deberemus, etiamsi eò deuenire non possemus. Itaque simile quiddam in hac lege fecisse videtur, quod in maritimis ac scopulosis locis fieri cernimus: vt intempesta nocte lucernam in edito loco homines accendant, vt nauigantes intelligant, quò cursum dirigere debeant, quamuis eò peruenturi minimè sint. Cùm ergo charitatis perfectio in hoc sita sit, vt instar beatarū mentium nunquam oculos à diuinæ pulchritudinis conspectu deiiciamus, sed illi per continuam cogitationem & amorem adhæreamus, nec hoc vnquam officium intermittamus: hoc sanè præcepto monemur, vt in hoc ipsum studium quantum possimus incumbamus, & in hoc neruos omnes intendamus: quā[uis] enim eò pertingere non possimus, felicior tamen & perfectior erit, quisquis eò propiùs accesserit. Hac igitur de causa Christianæ vitæ finis, & perfectæ charitatis exemplar nobis ante oculos ponitur, vt quid potissimum sequi, & quò tendere debeamus, in prospectu nobis positum sit.

Est rursum alia quæstio, quæ ex his quæ modò diximus, magna ex parte definiri potest. Quæret enim quisquis diuinæ huius dilectionis studiosus est, quibus indiciis an hoc modo Deum super omnia diligat, coniicere possit. Quamuis enim certa atque euidens hujus rei cognitio haberi nisi Deo reuelante non possit, sola tamen coniectura, præsertim cùm vehementior fuerit, magnum homini pio solatium præbet. Huius ergo dilectionis non minima coniectura est, assidua & suauis de Deo cogitatio, qualem modò descripsimus. Verissimè enim Saluator ait, Ybi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum, hoc est, vbi thesaurus est, quem

August.
Similia.
Matth. 6.

est, quem maximè diligis, ibi & cor tuum, id est, cogitatio &
omnis cura tua est. Hinc D. Fulgentius, Vis, inquit, scire vbi Fulgent.
thesaurizas? attende quid cogitas: ita fiet, vt thesaurum tuum
ex tuo amore cognoscas, & amorem tuum ex indicio tuæ cogi-
tationis intelligas. Adiiciam & aliam non minorem conie-
cturam: quæ ex diuinæ legis obedientia sumitur. Quisquis e-
nim Deum diligit, ipsius quoque legem non solùm diligere,
sed etiam implere satagit. Sic enim Dominus ait, Si quis dili- Ioan. 14.
git me, sermonem meum seruabit. Et rursum, Si diligitis me, Ibidem.
mandata mea seruate. Et apertius adhuc, Hæc est charitas, si 1 Ioan. 2.
mandata eius seruamus. Hinc D. August. Quantum, inquit, August.
Deum diligas, debes ex dilectione legis eius ostendere. Ergo si
leges eius non diligis, ipsum quoque minimè diligere compro-
baris. Adde etiam quòd quemadmodum nemo potest dilige-
re vitam, quin oderit mortem (quæ vitæ inimica est) ita nemo
diligere Deum poterit, quin & mortiferum peccatum oderit,
quod Deo maximè aduersatur. Nec modò peccatum, sed ea
etiam, quæ nos aliqua ratione pertrahunt ad peccatum, simili
penè odio prosequi debemus. Qui enim mortē odit, odit etiam Simile.
morbos omnes qui viam sternunt ad mortem. Ergo non modò
peccatum, sed omnia etiam peccati instrumenta, & incitamen-
ta odio habenda sunt. Hinc D. Hieron. Qui amicitias, inquit, Hieron.
petit Iesu, multorum sibi sciat inimicitias esse tolerandas. Dæ-
mon enim acrius aduersum nos insurget: itemque caro nostra
atque mundus: ac postremò (vt Saluator ait) inimici hominis Matth. 10
domestici eius. Inter quos tamen hostes immanior, & ad su-
perandum difficilior, ipse sibi homo, hoc est, immoderatus a-
mor sui atque cupiditas est. Quis autem hostem hunc supera-
re queat? quis aduersus seipsum arma capiat? quis contra seip-
sum immisericors & crudelis existet? Et tamen nisi hic trucu-
lentissimus hostis superetur, nec ipsa charitas, nec vlla prorsus
virtus retineri potest. Immoderatus namq. amor sui, omnium
malorum origo, omniumque ruina virtutum est. Sic enim D. August.
August. Radix omnium malorum cupiditas, & radix omnium 1 Tim. 6.
bonorum charitas: ideoque ambæ simul in eadem mente esse
non possunt: imo nisi altera fuerit auulsa, plantari altera non
potest. Frustra autem aliquis incidet ramos, nisi radices simul
euellat. Quisquis ergo asseris te Deum diligere, his vtique in-
diciis dilectionem tuam probare debes: si videlicet illum assi-
duè cogitas, si eius mandata diligis, si non solùm peccata, sed
omnes etiam peccatorum occasiones detestaris? Quibus indi-

ciis illud etiam addo, si homines ad eius imaginem conditos, pretioso eius sanguine redemptos, fraterna charitate dili[gamus.] Quæ quidem dilectio multa sub hoc simplici nomine compre-hendit, ea videlicet omnia, quæ veri amoris propria sunt: ne[m]pe vt eos partim opera nostra, partim cõsilio (cùm opus ita fue-rit) iuuemus, vt peccantibus in nos errata condonemus, vt [one-]

Galat. 6. rosos leniter feramus, & alter alterius (secundum Apostoli p[ræ]-ceptum) onera portemus, vt nemini noceamus, nemini de[tra]-hamus, nemini malum imprecemur, neminem vlla iniuri[a vel]

Matth. 5. contumelia afficiamus: denique (vt Saluator monet) eos eti[am] qui nos oderunt diligamus, & pro persequẽtibus & calumn[ian]-tibus nos preces Domino offeramus. Sic enim fiet, vt cæl[estis] Patris filij simus, atque ita cælestis patrimonij hæreditatem [fi]-liis promissam cernere valeamus.

SECVNDA PARS VEL ALIA CON-CIO, QVÆ POST BREVIOREM EVAN-uangelicæ lectionis explanationem poterit ador-nari; in qua de amore simul ac timore Domi[ni] disseritur. Quo in loco duæ præcipuæ dilecti[onis] huius causæ assignantur.

D*Iliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Ea[est,] dilectissimi, in Dei amore timoreque coniunctio, ei[us] præsertim quem Theologi filialem appellant, vt nullo mo[do] alter ab altero seiungi queat. Quisquis enim maximè Deũ di-ligit, is etiã maximè veretur eum offendere quẽ diligit. Est præ-tereà timor Domini amoris eius moderator & custos. Flagrans enim amor sine timore in furorẽ nonnunquam degenerare po-test. Quocirca alterũ alterius tractationi iungendum est. Atque eò magis, quòd eadem illa, quę timoris affectum incendere va-lent, amoris quoque affectum incendere solent. Diuinæ namq. iustitiæ opera quæ timorem nobis incutiunt, eadem (quatenus eius bonitatem & odium contra improbitatem declarant) non minus mentem nostram ad tantæ bonitatis amorem, quàm ad iustitiæ timorem incitant; ideoque coniunctim de vtraque re differemus; vt sic tãdem Propheticum illud implere valeamus, Seruite Domino in timore & exultate ei cum tremore.

Cũ autẽ Christianæ Philosophiæ & salutis nostræ summa in nostra erga Deũ dilectione sita sit, multi sollicitè à nobis quæ-runt,

runt, quid eos potissimū ad hanc dilectionē excitare queat. Ad hoc igitur respōdemus, nihil esse in hoc mūdo quod nos ad cōditoris amorem suo modo nō inuitet. Omnia enim, quæ oculis vsurpamus, hominis alendi & erudiendi gratia cōdita sunt: omnia sunt diuinæ largitatis & munificentiæ beneficia: omnia clamant se à Deo cōdita esse: omnia immēsam eius sapientiā, potentiā, prouidentiā, & bonitatē ita testātur, vt Aristoteles etiam (Aristotel.) dixerit, nihil esse in tota hac rerū vniuersitate, quam oculis intuemur, adeò vile & despicabile, in quo non possimus diuinum quidpiā, & admiratione dignū contemplari. Quæ res nō in admirationē solū, sed in amorē etiam tanti opificis excitare debet.

Constat tamen inter omnia, quæ amorem in Deum in nobis excitare possint, immensam eius bonitatem principem locum tenere. Cùm enim humana voluntas sic ab authore naturæ instituta sit, vt nihil nisi quod bonum est, aut boni speciem referat, amare queat (est enim bonum voluntatis obiectum, vt color visus) consequens est, vt non modò ea in bonum feratur, sed etiam vt quò aliquid maiori bonitatis laude præcellit, eò maiori dilectionis affectu in illud concitari debeat. Nunc diuinæ bonitatis naturam inspiciamus. Cùm autem multa sint, quę veræ bonitati conueniant, tum illud pręcipuum est, vt & bonos viros amore & malos odio prosequatur: tātumque in malorum odio, quantum in bonorum amore progrediatur. Vt enim qua quis amoris magnitudine diligit vitam, pari quoque odio prosequitur mortem (quæ vitæ contraria est) ita qua quis amoris mensura diligit bonos, eadem odij auersatur atque detestatur malos. Vtrumque igitur in reliqua concionis huius parte expendere incipiamus. Et primùm quidem qua dilectione bonos deindeque quo odio improbos prosequatur, inspiciamus.

Hanc verò Dei erga bonos charitatem, quæ vis orationis explicare queat? Summus enim ille rerum omnium Dominus, ad cuius nutum columnæ cęli pauent & contremiscunt, quem terribilem Regem Propheta vocat, cùm ait, Terribili & ei, qui aufert spiritum Principū, terribili apud Reges terræ, (Psal. 75.) ille inquam, qui improbis se leonem rugientem ostēdit: plusquā mansuetissimū & innocentē agnū se piis exhibens, tanto eos amore complectitur, vt neq. paternus aut maternus erga filios amor sit cū hoc amore vlla ex parte comparandus. Quisquis autē aliquam summæ huius dilectionis intelligentiā habere cupit, legat studiosè sanctorū vitas: in quibus tot in sanctos viros exhibita beneficia, totq. magnificentissima Dei dona deprehendet, vt non possit

possit non frequentissimè in tantæ bonitatis & charitatis admi-
rationem & stuporem non concitari. Cui autem non vacat to-
Sanctorum vitas euoluere, saltem beatissimæ Catherinæ Se-
nensis vitam legat (quæ ab eius confessario fidelissimè scripta,
& magna ex parte authoritate Apostolica in Canonizationis
eius diplomate confirmata est) ibique velut in clarissimo qu-
dam diuinæ bonitatis speculo, qua dilectione Dominus puras
& innocentes animas prosequatur, & quàm miris eas fauoribus
atque deliciis spiritus afficiat, intelligere poterit.

Quid verò qui sacras literas legerint? Quid in illis frequen-
tius quàm incomparabilem Dei erga pios charitatem, & cha-
Zach. 2. tatis admiranda officia inuenient? Quale est illud. Qui vos ta-
Psal. 90. git, tangit pupillam oculi mei? Et illud, Angelis suis mandauit
de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus porta-
bunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum? Quid verò
Psal. 36. illud, quod de eodem viro iusto dicitur, Cùm ceciderit, nõ col-
lidetur: quia Dominus supponet manũ suam? Et de piis omni-
Psal. 33. bus agens, Custodit Dominus omnia ossa eorum: vnum ex his
Lucæ 12. non conteretur. Quid, quòd non ossa modò, sed & capillos
Lucæ 21. omnes in numerato habet: vt ne vnus quidem ex eis sit peri-
turus? Quid diuina solatia, quibus eos Dominus tanquam
amantissimos filios reficit, lactat, & consolatur? Sic enim apud
Esaiæ 66. Esaiam cum illis agit, Ad vbera portabimini, & super genua
blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego
consolabor vos? Potuit ne quicquam indulgentius & amantius
dici? Iam verò quàm patentes ad eorum preces aures habeat,
Esaiæ 65. declarat per eundem Prophetam, cùm ait, Antequàm clament
ad me, exaudiam eos: adhuc ipsis clamantibus exaudiam. Et
Esaiæ 58. iterum, Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & di-
cet, Ecce adsum.

Sed hæc quotidiana & vsitata. Illud verò quàm magnum
veræ & germanæ dilectionis argumentum; quòd sua illis arca-
na & secreta communicat: quòd absentium facta, & mentium
secreta illis sæpe reuelat. Hinc Eliseus Propheta cùm hospitæ
suæ filiolum mortuum, matre denuntiante resciuit: velut ad-
4. Reg. 4. mirans hoc sibi à Deo patefactum minimè fuisse, ad Giezi ma-
trem à Prophetæ pedibus amouere volẽtem, ait: Dimitte eam,
quia anima eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, &
non indicauit mihi. Ea enim viro sancto cum Domino familia-
ritas intercedebat, vt mirum ipsi videretur aliquid ex his, quæ
ad ipsum pertinerent, sibi à Domino denunciatum non fuisse.

Quid

Quid illud præterea quod ad Abraham idem Dominus ait, Num celare potero Abrahamum, quæ gesturus sim? Negat summus ille Dominus sibi fas esse quidquam ab homine sibi amicissimo secretum habere, & quasi timeat, ne sanctissimum ius amicitiæ illa debiti officij prætermissione violetur, ostēdit se consilia sua homini sanctissimo diligenter explicaturum. Quid igitur maius & amplius hac cælesti atq. sempiterna iustorū hominum dignitate? Quid ad opes sempiternas vtilius? quid ad laudem illustrius? quid ad honores & imperia magnificentius?

Quid verò hic eam facultatē & potestatem commemorem, per quam summum illud imperium, quod ipse rerū omnium conditor in res à se conditas habet (quas pro arbitratu suo quomodo ei libitum est, versat, & voluit, & à cursu suo deducit) eisdem sæpe communicat? Hoc enim est eos diuinitatis suæ quodammodo consortes efficere. Videmus enim Sanctos naturę legibus imperare, morbos insanabiles curare, in dæmones, homines, & animantia cuncta, & in ipsa etiam elementa, atque adeò in ipsa quoque cælestia sydera imperium exercere. Per fidem quippe (vt Apostolus ait) sancti vicerunt regna, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugauerunt aciem gladij, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum, acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. Quale igitur hoc diuinæ in pios dilectionis argumentum est: cùm ea quæ sibi ipsi diuinitatis iure debentur, adeò liberaliter cum illis communicat? Hoc enim perfectæ amicitiæ proprium est, nihil in muneribus ab amico habere seiunctum. Hebr. 11.

His igitur indiciis fratres, quanta dilectionis vi Dominus pios homines prosequatur, vtcumque intelligere potuimus. Nunc quo odio improbos & eorum impietatem detestetur, inspiciamus. Diximus enim, si meministis, diuinæ bonitatis magnitudinem non minus odio erga improbos, quàm amore erga probos declarari. Quod idem ipse Dominus non obscurè indicauit, cùm duobus filiis Aaron, Nadab & Abiu, igne Sanctuarij extinctis, ad Moysen dixit, Sanctificabor in his qui appropinquant mihi. Hoc est, dum sacerdotum audaciam & temeritatem, qui indignè ad altare meum accedunt, vltus fuero, tunc maximè sanctitatis meæ gloriam declarabo: cùm eorum supplicio quantū improbitas mihi inuisa sit apertissimè ostēdero. Videtis ergo, fratres, diuinæ iustitiæ in flagitiis puniendis seueritatem, eius immēsæ bonitatis amplitudinē maximè explicare? At immēsa bonitas in oculis & aspectu proposita; vehemēter animos ad Leuit. 10.

mos ad ſui amorem excitat & incendit. Quocirca (ſi rectè Phi-loſophari ſciamus) non minus nos in improbos inflicta ſuppli-cia, quàm in pios collata beneficia, ad eius amorem incendent.

Reliquum eſt igitur, vt diuinæ iuſtitiæ magnitudinem, qu[a] in ſceleratis plectendis Dominus vſus eſt, contemplemur, [v]t hoc modo ad immenſæ bonitatis eius cognitionem, hac etiam ratione aſſurgere valeamus. Et quidem mitto nunc quatuor il-la acerbiſſima & horrenda ſupplicia, quibus ſupernus ille iudex peccantes Angelos, & generis noſtri principes cum tota ipſo-rum poſteritate puniuit, & vniuerſum item mundum recens [ip]ſe conditum, quem aquarum inundatione deleuit, & quinque illas Gomorrhæorum ciuitates, quas igne & ſulfure cælitus miſſo in cineres redegit: quoniam hæc nulla vi orationis pro di-gnitate amplificari poſſunt. Quæ tamen ſingulari quadam ra-tione, vt incomprehenſibilem diuinæ iuſtitiæ ſeueritatem: ita immenſam eius bonitatem, odiumq. aduerſus improbitatē de-clarant. Ad ſequentia veniamus, inter quæ primùm ſeſe Cana-næorum vaſtatio offert, qui ad internecionem vſq. ex imperio Domini, propter eorum ſcelera deleti ſunt: paruulus etiam & fœminis, & lactētibus pari vindicta ferro atq. igne cōſumptis. Sed vaſtationem vrbis Hiericho prę terire nō debeo. Hæc enim prima ciuitas, quæ tranſito Iordane ſe primùm Iſraëlitis ob[tu]-lit, ſic à Ioſue anathemate damnata eſt, vt quidquid in ea repe-tum fuit, igni abſumendum præceperit. Sic enim Ioſue: Sit, in-

Ioſue 6. quit, hæc ciuitas, & omnia quæ in ea ſunt, anathema Domino. Et iterum, Maledictus, ait, qui reædificauerit Hiericho, &c. Quam quidē ſententiā ita Dominus confirmauit, vt quoniam Acham palliū quoddam & regulā auream furto ſubripuerat, in totū exercitum ira eius deſæuierit: & magnus horror ac tremor

Ioſue 7. tum Ioſue, tum ipſa etiā caſtra inuaſerit: donec tandem de pro-ditore atrociſſimum ſupplicium ſumptum fuit. Tollens enim Ioſue Acham ipſum, argentum, & pallium, aureamq. regulam, filios quoque, & filias eius, boues, & aſinos, & oues, ipſumque tabernaculum, & cunctam ſupellectilem, & omnis Iſraël cum eo: duxeruntq. illos ad vallem Achor: ibiq. lapidauit eum omnis Iſraël: & cuncta, quæ illius erant, ex imperio Domini igne con-ſumpta ſunt. Quid igitur hac tanta diuinæ iuſtitiæ cenſura for-midabilius? Quid verò religionis & diuini cultus in hoc ana-themate erat? Hoc nimirum, quòd hac tam inſigni perficiendæ vrbis clade (quæ neglecto vero Deo idôlis ſeruierat) populus profiteretur, ſe adcò diuinæ gloriæ ſtudio incenſum, adeoque

adüer-

aduersus diuinæ maiestatis violatores infensum, vt non modò mœnia & habitacula omnia impuræ ciuitatis, nunquam amplius erigenda, euerteret, sed nec opes eorum, variamque supellectilem (quæ sacrilegis perfidorum manibus tacta fuerat) in vsus suos conuertere voluerit. Quod cùm facerent, gratissimum se Domino sacrificium offerre intelligebant: qui summo odio & impium & impietatem eius execratur.

Huic autem diuinæ iustitiæ atque seueritatis iudicio, vindictam in Amalecitas adiungamus: quam Dominus Sauli Regi Samuelis voce commisit, his verbis: Vade, interfice peccatores Amalec. Non parcas eis: & non concupiscas ex rebus eius aliquid: sed interfice à viro vsque ad mulierem, & paruulum atq. lactentem, bouem & ouem, camelum & asinum. O miram diuinæ iustitiæ censuram! Quid, quæso, innocentes paruuli, quid lactentes committere potuerunt, vt cum sceleratis parentibus ferro trucidari deberent? Si autem quia præuaricatorum filij sunt, parentum quoque pœnas dare debent, quid oues, quid boues, quid cameli & asini commeruerunt, vt vsque ad internecionem delendi essent. Certè hac ratione significare Dominus voluit, quàm acerbo odio sceleratos homines prosequatur: quando non ipsos modò, sed muta etiam animantia & pecora, quæ illorum vsui seruiebant, funditus extingui atq. deleri præcepit. Quodque mirabilius est, quoniam Saul Rex ouibus & Regi, partim metu populi, partim humanitatis intuitu pepercit, vita simul & regno à Domino spoliatus, & (quod fuit multò calamitosius) diuino spiritu atque præsidio nudatus fuit, dæmonique ad vexandum traditus.

1 Reg. 15.

His addamus ciuitatis sanctæ vastationem: quam propter varia eius scelera, exercitui Chaldæorum Dominus euertendam atque diripiendam tradidit: cuius lamentabilem casum Ieremias Propheta quadruplici Alphabeto, lacrymis & singultibus pleno, prosequitur: varias, quæ in ea clade contigerunt calamitates enumerans: quarum non postrema fuit dira fames, quæ in obsidione ita ciuitatē oppressit, vt Propheta dicat, Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos: facti sunt cibus earum in contritione filiæ populi mei. Quid igitur hac calamitate miserabilius? Sed longè maior tamen illa, de qua idem vates in oratione sua queritur: quòd videlicet scelestissimi vrbis vastatores, nō modò virgines in Sion violauerint, sed etiam (quod dictu quoq. turpe est) adolescentibus impudicè abusi sint. Adde his ciuitatis sanctę mœnia solo æquata, domos tam maiores, quàm

Thren. 4.

Thren. 5.

quàm minores dirutas, & templum illud augustissimum toto-pibus & impensis mirabiliter fabrefactum, funditus euersum & incensum, & sacra eius vasa in Babylonem simul cum sacerdotibus abducta, & concubinarum immanissimi Regis conui-

Thren. 1. uio exposita. Hoc est enim quod idem Ieremias præcipuè la-mentatur, cùm ait, Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ.

Hanc eandem funestissimam cladem per Ezechielem Dominus tanta verborum vi & acrimonia comminatur, vt ferrea etiam pectora concutere & tremefacere valeant. Cuius hoc

Ezech. 5. loco verba attexere libuit. Sic enim ait: Quia superastis gentes quæ in circuitu vestro sunt, & in præceptis meis non ambulastis, & iudicia mea non fecistis: ideò hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego ad te, & ipse ego faciã in medio tui iudicia in oculis gentium, & faciam in te quæ non feci, & quibus similia vltrà non faciam propter omnes abominationes tuas. Ideo patres comedent filios in medio tui, & filij comedent patres suos: & faciam in te iudicia, & ventilabo vniuersas reliquias tuas in omnẽ ventum. Tertia tui pars peste morietur, & fame consumetur in medio tui, & tertia tui pars in gladio cadet in circuitu tuo: tertiam verò partem tuam in omnem ventum dispergam, & gladium euaginabo post eos. Et complebo furorem meum, & requiescere faciam indignationem meam in eis, & consolabor: & scientur quia ego Dominus locutus sum in zelo meo, cùm impleuero omnem indignationem meam in eis. Et dabo te in desertum, & in opprobrium gentibus, quæ in circuitu tuo sunt, in conspectu omnis prætereuntis. Et eris opprobrium, & blasphemia, exemplum & stupor in gentibus, quæ in circuitu tuo sunt, cùm fecero in te iudicia in furore & in indignatione mea, & in increpationibus iræ: ego Dominus locutus sum. Et immittam in vos famem & bestias pessimas vsque ad internecionem: pestilentia & sanguis transibunt per te, & gladium inducam super te: ego Dominus locutus sum. Hactenus Ezechiel Propheta. Quis, quæso, fratres, dum hæc Domini non tam verba, quàm fulmina legit; non obstupescit, non in extasim rapitur; non simul & diuini furoris acerbitatem, & diuinæ bonitatis magnitudinem agnoscit? Quò maiorem enim furorem hæc eius verba spirant, eò maiorem nobis immensæ bonitatis eius significationem & argumentum præbent. Nunquam enim sic aduersus improbos incandesceret, nisi summus probitatis amator esset: quorum altero nos ad salutarem timorem diuinæ iu-

tiæ, altero ad immensæ bonitatis suæ amorem vehementer incendit.

Iam verò Iudææ Regem Sedeciam, impietatis populi authorem, quo supplicij genere Dominus affici, & impietatis suæ pœnas pendere voluit? Non enim sat misero fuit hoc tantum regni sui, & ciuitatis sanctæ excidium cernere, sed ipsum etiam Babylonio Regi, hoc est, atrocissimo eius hosti tradi voluit. Qui primùm omnes regni eius proceres ante eius ora trucidari præcepit: deinde filios eius omnes ante patris oculos iugulari: tum ipsos oculos ad tam dirum spectaculum seruatos effodi. Nec his tantis malis immanissimi hostis crudelitas satiata, miserũ Regem, & oculis filiisq. orbum, catenis vinctũ in Babylonem abduci, & in carcerẽ coniici præcepit. Est ne aliquid quod ad hanc tam diram calamitatem addi posse videatur? An nõ satis vel hoc vno argumento liquet, quàm immani & incomprehensibili odio immensa illa bonitas omnem improbitatẽ & impietatem execretur? Quæ res clarissimum nobis diuinæ bonitatis argumentum est: quandoquidem (vt antè diximus) eiusdem bonitatis est, vt bonos summa dilectione complecti, ita malos summo odio prosequi. Cuius quidem odij hæc atrocissima supplicia apertissimum nobis indicium exhibent. Ierem. 52

Hoc autem tam atrox horrendumquę supplicium de Iudęæ regno sumptum fuit. Nec minus tamẽ atrox de Israëlis regno cuius caput erat Samaria, extitit: quod Oseas Propheta commemorat his verbis: Pereat Samaria: quia ad iracundiam concitauit Deum suum. Paruuli eius allidantur, & fœtæ eius discindantur. O rem auditu quoque ipso formidandam! Quid enim truculentius, quàm paruulos innocentes excerebrare & ad saxa allidere: quodque maius est, fœtas atque prægnantes fœminas strictis gladiis discindere, easdemque cum nondum natis liberis vno ictu iugulare? Quo tamen supplicij genere Vates sanctus mactandos esse vaticinatur, qui impietatibus suis diuinæ maiestatis oculos prouocassent. Possem his adiungere pertimescendas illas imprecationes & maledictiones, quas Moyses Deuter. 24. diuinæ legis transgressoribus imprecatur: quarum vel sola pronuntiatio horrorem nobis incutere posset: quas tamen breuitatis causa prætereo, studiosisque auditoribus legendas relinquo. Oseæ 14. Deut. 24.

Hęc igitur, fratres, adeò tremenda & expauescẽda supplicia, an nõ apertissimè diuinæ bonitatis & sanctitatis immensitatem declarant: quæ tam exitiali odio omnem improbitatem & im-

pietatem auersatur; talesque de sceleratis hominibus pœnas
repetit? Quid enim magis summam bonitatem decet, quàm
summo amore bonos, & summo odio malos prosequi? Si igitur
nihil est, quod nos ad dilectionem erga conditorem nostrum
magis inflammare debeat, quàm immensæ bonitatis eius pul-
chritudo, in oculis & aspectu posita, quis adeò ferreus erit, quem
hæc tanta bonitas, tot indiciis & exemplis declarata, ad summum
huius boni amorem non alliciat? Si ea voluntatis humanæ na-
tura est, vt nihil nisi quod vel bonitatem, vel bonitatis speciem
referat, amplecti queat: quis sic voluntatem nostram inuertit,
vt hac immensa & infinita bonitate proposita, non eius amore
incendatur; non eius desiderio flagret, non millies pro eo mori
concupiscat? A quo tamen affectu tam longè improbi absunt,
vt fluxas & interituras opes & voluptates (ô deplorandum &
execrandum facinus!) illi anteponant. Quòd si quem hæc
summa diligēdi causa minus mouet, moueat saltem inæstima-
bilis dilectionis huius fructus, quem hactenus oratione perse-
cuti sumus spes & timor duæ siue alæ siue pedes sunt, quæ nos
per virtutis iter ingredi faciunt. Non enim temerè dictum est,

Oderunt peccare boni virtutis amore:
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

His autem duobus affectibus non solùm omnis bene institu-
ta Respublicà, sed omnis etiam hominum vita sustinetur. Quò
autem maior spes præmij ostenditur, aut maius periculum vel
supplicium timetur, hòc vehementius homines ad agendum
incitantur. Quæro igitur à vobis, fratres, Quod quæso maius
præmium, quæ maior dignitas, quæ maior gloria, quæ maior
felicitas Dei amatoribus proponi potest, quàm quæ à me pau-
culis verbis exposita fuit? Contrà verò, quæ pœnarum atroci-
tas, quæ minæ, qui terrores, quæ supplicia, cum his quæ ha-
nus enumerauimus, comparari poterunt? Quis ergo adeò fer-
reus erit, qui his tantis diuinæ iustitiæ fulminibus non franga-
tur? non ad eius amorem excitetur? qui vbi occiderit corpus,
Heb.10. animam trudere potest in gehennam? Itaque si te spes præmij
minus mouet, moueat timor futuri supplicij. Verè enim (vt
Apostolus ait) horrendum est, incidere in manus Dei viuentis.
Hi namque terrores atque iudicia, quæ modò proposuimus,
velut vmbræ quædam æterni supplicij atque gehennæ exi-
stunt: quæ Dei neglectoribus constituta est: in qua ignis, sulfur,
& spiritus procellarũ: in qua plusquã Cymmeriæ tenebræ, ver-
mis immortalis, horrendæ dæmonum laruæ, fletus & stridor
dentium

demum, & mallei percutiẽtes stultorum corporibus; & (quod est maximè pertimiscendum) pœnarum æternitas, parata est. Duplici ergo stimulo nos Conditor noster ad se amandum impellit, dum & ab his tantis malis fideles amatores suos liberat, & cœlestis vitæ gaudia nullo vnquam æuo finienda largitur. Quæ nobis concedere dignetur Dominus Iesus, qui est benedictus in secula seculorum, Amen.

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN CONCIO PRIMA: IN QVA post enarratam breuiter lectionem sancti Euangelij, læthalis peccati grauitas atque deformitas, sub lepræ metaphora, explicatur.

THEM. *Occurrerunt ei decem viri leprosi; qui steterunt à longè, dicentes: Iesu præceptor, miserere nostri,* Lucæ 17.



DVo sunt, fratres charissimi, præcipua totius Christianæ Philosophiæ capita: quorum alterum peccati deformitatem, alterum peccati remedia tradit. Et illud quidem nos à peccando reuocat: hoc peccantibus salutaria medicamenta prouidet. Illud ad legis opus magis pertinere videtur (quia per legem cognitio peccati) hoc verò ad Euangelicam gratiam: per quam nobis & proponitur & exhibetur medela peccati. De his duabus huius Philosophiæ partibus sermo nobis hodie habendus esset: vt integram cælestis Philosophiæ partem absolueremus. Verùm quia per temporis angustiam, vtrumque absoluère non vacabit; de malitia & deformitate peccati in præsenti concione disseremus: quo vos ad eius odium atque detestationem incitare valeamus. Nunquam enim tantum in peccati odiũ progredi mens nostra poterit, quin illud maiori odio atque detestatione dignum sit. Quia verò sanctum hoc odium, amplissimum diuinæ gratiæ munus est, eam hodie sacratissimæ Virginis interuentu suppliciter imploremus. Rom. 3.

AVE MARIA.

Quemadmodum Sol hic oculis nostris obiectus, nunquam quiescit, nec itineris sui cursum aliquãdo remittit, sed incessabili Simil.

motu terras & maria lustrat: quo rebus omnibus, quæ hoc inferiori mundo continentur, lucis & caloris beneficium impertiat: ita Sol iustitiæ Christus Dominus, cùm primùm doctrinæ suæ lucem spargere inter homines cœpit, per vicos & castella discurrens nunquam destitit omni ratione mortales iuuare, eosque doctrinę suæ luce, & clarissimis virtutum exemplis, maximisque beneficiis, ad diuinarum rerum cognitionem & amorem excitare. Itaque in sacra huius diei lectione Ierosolymam petens, dum transiret per mediam Samariam & Galilæam, ne ipsum quidem tempus, quo iter faciebat, à solito bene merendi de hominibus officio, vacare voluit. *Dum enim quoddam castellum ingrederetur, occurrerunt ei decem viri leprosi: qui steterunt à longè, & leuauerunt vocē, dicentes, Iesu præceptor, miserere nostri.*

Rom. 10. Audierant hi famam mirabilium operum Domini, & ex auditu fidē Spiritus sancti beneficio conceperant. Audierant item inter omnes eximias Christi virtutes, misericordiam præcipuè erga miseros omnes excellere: quæ illum impellebat, vt loca omnia lustraret: quò omnia miseriarum & morborum genera ab animis & corporibus hominum pelleret. Ideò hanc misericordiam appellant, hanc nominant, & ad illud ostium pulsant, quod sibi, hac fide suffulti, aperiendum credebant. Itaque clamabant, *Iesu præceptor miserere nostri. Quos Dominus vidit, dixit, Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Quorsum Domine ad sacerdotes mittis? Quid lepræ & sacerdotio? Nimirum quia lex ita præcipiebat, vt lepræ iudicium ad sacerdotes deferretur. Cur ad sacerdotes? cur non magis ad medicos: quorum est de corporis morbis ferre sententiam? Hoc apertè declarat, hanc quoque legem, sicut & cæteras eiusdem rationis, spiritualium rerum imagines esse. Nisi enim lepræ nomine peccati deformitas intelligeretur (quod propriè ad sacerdotum pertinet iudicium) parum decens videretur, medicis prætermissis, huius morbi cognitionem ad sacerdotale officium relegare. Quia igitur magis Dominus de spirituali animarum lepra, quàm de corporis sollicitus erat: ideò causam hanc lata lege sacerdotibus examinandam commisit: quorum est spirituales animæ morbos non solùm iudicare, sed etiam sanare.

Ite, inquit, *ostendite vos sacerdotibus*. Illi ea fide quam antè diximus, confirmati; cùm adhuc lepram corporibus hærere cernerent: tamen ire cœperunt. Animaduertite, quęso, hoc in loco fratres, vigentis fidei & obedientiæ virtutem. Poterant namque hi, si solius rationis iudicium consulerent, intra se dicere, Quid

su-

sanatos ad sacerdotes mittit? Sacerdotes enim non vim lepram sanandi, sed diiudicandi facultatem habent. Quocirca nemo ad eos, nisi iam sanatus, & à lepræ contagio immunis, proficiscitur. Nos adhuc ipsis oculis testibus, corpora lepra infecta gestamus: nihil in eis nouum, nihil sanum cernimus. Quorsum ergo nos contra legis præceptum, & in vrbium conuentus, à quibus lege prohibemur, & ad sacerdotum iudicium remittit? Leprosum Matth. 8. namque illum, quem Dominus à monte descendens, ad sacerdotes destinauit, & sacrificium pro emundationis suæ beneficio offerre præcepit, manu sua primùm tangens, mundauit, mundatumque ad sacerdotes ire iussit. At nobis neque manum imposuit, neque à lepra purgauit. Quomodo ergo nos ostendere sacerdotibus iubet, quos, nisi cæcutiant, leprosos deprehendent? Nihil horum dixerunt. Nec enim sensus consuluerunt, nec rationis iudicium secuti sunt: sed supra sensus supraque rationem sublati, fidem & fidei comitem obedientiam tota mente complexi, in spem contra spem crediderunt: ideoque amplissimum Rom. 4. fidei & obedientiæ suæ pręmium retulerunt. *Factum est* enim, ait Euangelista, *dum irent, mundati sunt.* Vt hoc argumento appareat, verum esse quod Salomon ait, Vir obediens loquetur Prou. 21. victorias. Quia enim vir obediens in diuinam voluntatem intentos semper oculos habet: ideo summus ille obedientiæ amator, piam eius voluntatem & sancta desideria adimplenda curat. Verissimè enim dictum est, Homo sensatus credit legi Dei, Eccl. 33. & lex illi fidelis. Hoc est, quia ille fidelis est, implendo quod lex præcipit; illa fidelis est, implendo quod promittit.

Vnus autem eorum vt vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce, magnificans Deum, & cecidit ad pedes eius. Et hic erat Samaritanus. Respondens autem Dominus ait, Nonne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena? Hoc in loco pridenimum eximiam Domini largitatem & beneficentiam contemplari licet: qui pro impenso optatissimæ salutis beneficio, solam gratiarum actionem à leprosis exigebat. Verè enim sapiens ille ait, Non est cēsus super censum salutis corporis. Pro quo tamen Eccl. 30. censu, hoc tam exiguum religionis officiū Dominus postulabat. Neq. minor in nos, sed multò etiam maior eadem Domini benignitas est: qui cùm tam eximia quotidie in nos cōferat beneficia, adeò exiguum à nobis requirat obsequiū, nempe gratum animū & beneficij memorē. Quid enim minus exigi ab homine potuit? Itaq. cùm pro nobis tot alapas, tot vincula, verbera, ludibria,

ludibria, ac denique acerbissimum crucis supplicium pertule-
rit; & morte sua immortalem nobis vitam contulerit: id à nobis
requirit, vt tanti beneficij memorem animum retineamus, &
debitas illi pro tanto munere gratias agamus. Quid ergo minus
exigi à nobis potuit, quàm vt verbis saltem verbera eius com-
pensaremus? Et tamen cùm hoc ita sit, quidam adeò non modo
ingrati, sed etiam stupidi existunt, vt ne hoc quidem tam exi-
guo pietatis officio, huic summo beneficio vicem rependere ve-
lint. Quam ergo hi stuporis huius excusationem expostulanti
Domino reddere poterunt? Si enim propter collatam leprosis
simplici verbo sanitatem, grati animi obsequium ab eis Domi-
nus requisiuit, & in ingratos adeò vehementer incanduit: quid
quæso, faciet, cùm de salutis æternæ beneficio, non verbis, sed
summis doloribus parto, rationem ab ingratis exigere incipiet?
Hoc quidem vtcumque intelligi potest: oratione tamen expli-
cari non potest.

Est & aliud quod in hac ipsa Domini exprobatione longè
difficilius & abstrusius inquirere debeamus. Quæri enim po-
test, quid fuerit in causa, quòd Israëlitæ non præstiterint, quod
Lucæ 10. Samarites & alienigena præstitit. Nec minus mirum & illud
quod in præcedenti Dominica audistis, spoliatum videlicet
latronibus, & plagis conscissum, à Leuita & sacerdote neglectum,
à Samaritano autem summa benignitate curatum. Quid ergo
innuere Dominus voluit: cùm infideles fidelibus in his officiis
antetulit? eosq. ad hoc maiori lucis suæ splendore illuminauit.
In his atq. similibus quæstionibus, vix quicquam aliud licet no-
Rom. 11. bis, quàm cum Apostolo clamare, O altitudo diuitiarũ sapien-
tiæ & scientiæ Dei, &c. Et quidem hoc in loco sancti Patres vo-
cationem Gẽtium Samaritani officiis adumbrari verissimè tra-
dunt. Sed ego aliud etiam designari arbitror: nempe fidelium
hominum crimina lõgè esse quàm infidelium grauiora. Ideo
quamuis vtrique diuinæ gratię ope indigni sint: indigniores ta-
men esse, & ab ea longius distare, qui grauius delinquunt. Fide-
les autem grauius delinquere, declarant illa verba Domini: Ser-
Lucæ 12. uus, qui scit voluntatem Domini sui, & non facit; plagis vapu-
Hebr. 10. labit multis. Idem quoq. acrius illa Apostoli verba testatur, Vo-
luntariè peccantibus nobis post acceptam notitiã veritatis, iam
non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quædam
expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est ad-
uersarios. Quibus verbis, Apostolus nemini quidem viam salu-
tis præcludit, sed quantò sit eorum culpa grauior, qui veritatis
cogni-

cognitionem habuerunt, quàm aliorum, apertè declarat. Quò enim quis maiorem diuinarum rerum notitiam, & maiora à Deo beneficia, acrioresq́ue ad pietatem stimulos percepit, eò grauius delinquit. Quî enim fit, vt cùm viri & vxoris charitas & necessitudo sit omnium maxima: maior tamen inter eos (si illa thori fidem violauerit) inimicitia fit: nisi quia maxima beneficia & amoris incitamenta vxor percepit à viro? Simil. Qua de causa factum est, vt pulcherrimi illius Angeli, & primi hominis casus, funestissimis & grauissimis pœnis obnoxij fuerint: nisi quia opulentissima & maxima vterque à Deo dona receperat? Quæquidem exempla apertè declarant, quantò sint fidelis quàm infidelis crimina grauiora: quandoquidem fidelis multò plura ad bene uiuendum documenta, maiora beneficia, & vehementiora ad virtutem adiumenta percepit. Quo nomine, maiorem Ieremias iniquitatem Israëlitarũ quàm Sodomorum esse docet. Et maior, inquit, effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum: quæ subuersa est in momento. Thren. 4. Grauitatis autem huius causam non eam esse arbitror, quòd vel plura vel grauiora Israëlitæ peccassent: sed quòd perceptum fidei lumen, maximaq́. in eos collata beneficia, grauioris illos criminis apud Deũ reos fecerint. Quæ res magnum nobis, fratres, incutere timorem debet: qui tam multa sub Euangelij gratia, ad rectè viuendum adiumenta percepimus: si hac tanta Dei nostri benignitate & temporis opportunitate abutimur. Quò quisque autem in hoc ordine celsiorem dignitatis gradum obtinet, eò magis timere debet. Magis igitur clericus quàm quiuis è plebe: magis monachus quàm clericus: magis sacerdos quàm monachus non sacerdos, magis Episcopus quàm sacerdos. Vt enim apertissimè Saluator ait, Cui multum commendauerunt, plus exigent ab eo. Lucæ 12. Non enim (ne decipiamini) delictorum tantùm, sed etiam perceptorum beneficiorum ratio in supremo illo examine exigenda est. Perperam igitur fideles obstinatis animis in scelere perdurantes, de sola sibi fide gratulantur: cùm fides malè collata & emortua, magis metus illis quàm fiduciæ ansam præbere debeat.

Ex hoc item loco discimus, qua cura Dominus grati animi officiũ, ab his in quos beneficia cõtulit, exquirat: cùm adeò acri oratione ingratos corripiat, cùm ait, *Nonne decem mũdati sunt? & nouem vbi sunt?* Cùm enim ipse adeò liberalis sit in beneficiis conferendis, vult nos etiã liberales esse in gratiis agẽdis, quę maximè Dei benignitatem & gloriam illustrant: sicut ipse ait:

Psal.49. Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei. Hoc est, propter grati animi obsequium illum maioribus beneficiis cumulabo, & viam ostendam, qua salutarem à me opem omni tempore impetrare valeat. Dignus est enim vt maiora percipiat, qui minoribus gratus est.

Fidelem ergo Samaritanum, & beneficij memorem, ad pedes Domini procumbentem compellat his verbis, *Surge, & vade: quia fides tua te saluum fecit.* Si igitur veram fidem Samaritanus habuit: non dubium quin à Spiritu sancto fuerit illustratus: cùm fides (vt Apostolus ait) Dei donum sit, nō ex operibus,
Ephes.2. ne quis glorietur. Hactenus de Euangelica lectione: nunc spiritualis lepræ malitiam explicandam accingamur.

SECVNDA PARS.

I.

Cùm hic mundus infinitis propemodum, iisdemque grauissimis tum corporis, tum animæ malis refertus sit: siquis à me studiosè requireret, quod inter hæc omnia mala summum &
Iob 15. maximum esset, incunctanter responderem, illud esse, quod in lib. Iob de improbis scriptum est, quòd bibāt quasi aquam iniquitatem. Hoc est, qui ea suauitate & voluptate, qua frigidam sitientes bibunt, capitalia crimina admittant. Quam rem Salo-
Prou.6. mon inter sex illa maxima mala, quæ Dominus odio prosequitur, enumerat: nempe pedes veloces ad currendum in malum. Hoc est, quos nec diuini numinis metus, nec diuinarum promissionum, aut terrorum, aut etiam beneficiorum contemplatio remoratur: quo minus præcipites in omnia scelera sine vllo doloris sensu, aut pungentis conscientiæ stimulo rapiantur. De
Ierem.8. quibus per Ieremiam Dominus ait: Omnes conuersi sunt ad cursum suum; quasi equus impetu vadens ad prœlium. Hoc est ergo, quod inter omnia mundi mala maiorem mihi terrorem & admirationem inducit. Est enim, fratres, lethale peccatum adeò ingens & execrandum malum: vt si omnia, quæ à Deo siue in cælo siue in terra condita sunt, verterentur in linguas, & omnia humana voce resonarent: nullo modo neque horridam peccati deformitatem, nec odium quo illud Deus prosequitur, explicare pro dignitate possent. Quia enim peccatum aduersus immensam illam & infinitam Dei maiestatem pugnat: & summo atque infinito bono nempe ipsius Dei fruitione atque possessione peccantem abdicat: ideo infinitam in se grauitatem & malitiam continet. Quicquid autem infinitè magnum est, eo ipso quòd nullis terminis & fine concluditur, nullis etiam verbis ex-

bi explicari potest. Cùm autẽ lethale peccatum dico, nolo vos nouum aliquod & inauditũ flagitij genus, sed vsitata hæc etiam & quotidiana (miserum me) in quæ improbi & amentes homines passim labuntur intelligere: qualia sunt furtum, odium, periurium, detractio, impudicitia, vsura, falsa testimonia, temeraria iudicia, scandala, quæ aliis offendiculi materiam præbent, cæteraque similia lethalis quoque peccati nomine censentur. Vnumquodque igitur horum, tantum in se grauitatis & deformitatis habet; vt si quis lucem à Deo percepisset, qua huius deformitatis partem saltem aliquam cernere posset; non dubium quin totus præ stuporis magnitudine deficeret: cùm hanc delinquendi facilitatem inter Christianos homines animaduerteret. In cuius rei argumentum, Iosiam Regem annos natum decem & octo, vobis in medium proferam. Initio enim regni eius, Helchias sacerdos librum legis Domini, qui propter præcedentium temporum iniuriam atque perfidiam, inter cætera templi vtensilia neglectus iacebat, reperit: in quo & magnificentissima Dei promissa legis cultoribus proposita, & horrenda supplicia improbis constituta continebantur. Hunc ergo librum sacerdos regi legendum misit. Cùm igitur ad eum locum ventum esset, quo inaudita pœnarum atrocitas improbitati & perfidiæ à Deo proponebatur: quæ diram famem, gladium, obsidionem, pestem, esum carnium filiorum, cæterasque clades complectebatur: tanto terrore atq. metu pij regis animus consternatus est, vt vestimẽta sciderit, & prophetissam quæ eo tempore Ierosolymis erat, super ea re consuluerit, & omnia publica peccata è regno suo funditus eliminauerit, & aras atque templa idolorum omnium euerterit, incenderit, comminuerit, & ea mortuorum ossibus ibidem combustis contaminauerit. Hunc timorem, hunc affectum, hanc religionem & admirationem, perspecta lethalis peccati grauitas & indignitas in eius animo peperit. O vtinam nos tanta hodie, fratres, dicendi facultate, peccati malitiam vobis ante oculos poneremus: vt idem terror, idemque animus, idem peccati odium, ea denique religio mentibus vestris superno Dei beneficio instillaretur. Hoc enim suscepi, vt in hodierna concione de lethalis peccati malitia & grauitate dissererem: non quidem in vniuersum, sed quatenus illi lepræ nomen conuenit: vt paulò antè à me dictum est.

4 Reg. 22.

4 Reg. 23.

Principio igitur satis conuenit, lepram inter grauissimos & maximos corporis morbos numerari. Quæ res lethali peccato maximè conuenit: quòd (vt paulò antè dicere cœpi) malorum om-

omnium quæ fingi aut cogitari animo possunt, maximum est. Quo fit, vt si malitiæ eius magnitudinem, comparatione aliqua
Dissimil. vobis demonstrare vellem, nihil in rebus à Deo conditis, nisi conditoris bonitatem inueniam, cum qua illius malitiam con-
Rom 5. ferre diuersa ratione possim. Neque hoc mirum videri debet, cùm Apostolus secundum Adam cum priore, & illius obedientiam & sanctitatem, cum alterius inobedientia & rebellione componat. Hac ergo ratione nihil mirum, si summam infinitamque peccati malitiam, cum summa & infinita illa bonitate comparemus. Sicut enim Deum, summum quidem bonum, peccatum, summum malum esse statuimus. Sicut Deus extremum omnium expetendorum: ita peccatum extremum omnium fugiendorum. Sicut Deus bonorum omnium effector est: ita peccatum morborum, cladium, & malorum omnium, quæ vel in hac vita vel in alia sunt, causa est. Nulla enim extitisset in mundo pœna, si nulla in eo præcessisset culpa. Vnde sicut in Deo eminenter rerum omnium perfectiones cõtinentur: ita in peccato malorum atque deformitatum omnium rationes & semina existunt. Denique sicut Dei bonitas immensa, infinita, & incomprehensibilis est: ita peccati malitia, quæ aduersus infinitam hanc bonitatem pugnat, infinita quodammodo & incomprehensa est. Quod intelligentes sancti viri, nullum tantum corporis malum, nullum tam graue supplicium, cogitatione fingere poterant, quod non facilè perferrent, potius quàm in læthale aliquod crimen inciderent. Vnde extat
Anselmi. hæc D. Anselmi memorabilis sententia: Si hinc peccati pudorem, & illinc cernerem peccati horrorem; & necessariò alteri eorum succumbere deberem: prius me in infernum immergerem, quàm in me peccatum admitterem. Mallem enim purus à peccato, & innocens gehennam ingredi, quàm sorde pollutus, cælorum regna tenere: cùm tamen certò sciam solos malos in inferno torqueri, solosque bonos cælesti beatitudine frui. Hactenus ille. Quæ cùm ita sint, fratres, an non iure à nobis dictum est, inter mala omnia, quæ animo fingi & cogitari possunt, summum quidem esse non modò peccare, sed & (quod est longè grauius) ea facilitate peccare, qua multos passim delinquere videmus?

II.

II. Habet & hoc lepra, quòd sit inter omnes morbos maximè deformis: vtpote quæ omnes corporis humores fœdet atque corrum-

corrumpat. Ex quorum temperamento & puritate, formæ decor & venustas proficiscitur: quemadmodum ex eorundem corruptione deformitas. At hoc maximè in peccatum quadrat: quod rem omnium pulcherrimam, nempe animam, Dei imagine insignitam, adeò deformem reddit, vt quę erat diuinę pulchritudinis speculum, fiat horrendum diaboli simulachrum. Quid enim pulchrius ea mente, quam diuini spiritus gratia muneribus suis exornauit, & sanctitatis atque pulchritudinis suæ participem effecit? Tanta certè eius venustas & elegantia est, vt ipsas etiam beatas mentes in admirationem sui rapiat. Neque enim sine magno admirationis affectu, in Cant. dicunt, Quæ est ista quæ ascendit, sicut aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol? Quid, quòd non Angelos modò, sed ipsum etiam Angelorum Dominum, hæc ipsa pulchritudo mirè delectat? Hinc illa cælestis Sponsi commendatio: Ecce tu pulchra es amica mea; ecce tu pulchra es. Bis eam pulchram appellat, quòd nihil ei veræ & solidæ pulchritudinis desit. Est enim pulchra in opere, pulchra in sermone, pulchra in operibus externis, pulchra in internis, pulchra in bonorum operum actione, pulchra in cælestium rerum contemplatione, pulchra in dilectione Dei, pulchra item in proximi dilectione, denique pulchra in rebus aduersis, & pulchra item in secundis, in illis patientiam exhibens, in his humilitatem retinens. Hanc verò tantam pulchritudinem, superueniens peccati deformitas, tanquam torrens lutulentus purissimum fontem influens, ita fœdat atque deformat, vt idem Dominus per Prophetam animæ sic conspurcatæ dicat: Abominabilem fecisti decorem tuum. Et in Psalm. de improbis hominibus agens: Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis. Neque ipsi modò abominabiles sunt, sed omnia etiam quæ manibus contigerint, quæque eorum vsibus deseruierint, impura & abominanda faciunt. Hac enim de causa post victoriam contra Madianitas, præcepit Moysi Dominus, vt spolia bello parta mundaret, priusquàm ea in vsum populi cederent: ita vt quæ ignem ferre poterant, sicut metalla omnia, adhibito igne, cætera verò aquis purgarentur. Quid, quòd non solùm vtensilia impiorum, sed ipsa etiam vota & sacrificia interdum abominabilia sunt? Sic enim scriptum est: Victimæ impiorum abominabiles Domino. Et rursum per Esaiam, Ne, inquit, offeratis vltrà sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi. Et paulò post, Cùm extenderitis, inquit, manus vestras, auertam oculos meos

Cant. 1.
Simil.
Ezech. 16
Psal. 13.
Num. 31.
Prou. 15.
Esaiæ 1.
Ibidem.

meos à vobis: quomodo videlicet oculos ab his rebus auertere solemus, quas abominamur atque deteſtamur. Quid, quod ipſe etiam Dominus ſtudiis & operibus impiorum contaminari ſe
Ezech. 22 queritur? Sic enim per Prophetam dicit: Et coinquinabar in medio eorum. Tales enim nonnunquam impiorum ſordes exiſtunt, vt (ſiquidem fieri poſſet) ipſe puritatis author & fons in medio eorum poſitus, coinquinaretur. Quod non ideò dicimus, vt omnia improborum opera vel peccata vel accuſanda eſſe cenſeamus: ſed quòd interdum vitio eorum ita fiant, vt meritò reprehendi poſſint. Quale eſt illud ex Eccleſ. Qui offert
Eccl. 34. ſacrificium ex ſubſtantia pauperis, quaſi qui victimat filium in conſpectu Patris.

III. Habet etiam & hoc lepra, quòd inter morbos omnes ſit maximè contagioſa. Ideoque lex hoc morbo infectos omni hominum cœtu & conuictu arcebat: ne videlicet contagio ſuo cæteros inficerent. Cui autem rei hoc magis quàm peccato conuenit? Quis morbus, quæ lepra, quæ peſtis, ita aërem & humana corpora, vt peccati lepra mentes hominũ inficit? Cur ita? Quia nimirum adeò natura noſtra communis peccati morbo viciata & ad malum prona eſt, vt niſi cæleſtis gratiæ beneficio muniatur, quauis vel leui etiam occaſione præceps ad malum ſæpius
Simil. ratur. Vt enim arida ligna igni admota, flammam facilè concipiunt: ſic natura noſtra diuinæ gratiæ ope deſtituta, adeò in vitia procliuis eſt, vt minimo etiam negotio ne dum prauis improborum exemplis, ad malum nõ raró impellatur. Hinc Apo-
1 Cor. 5. ſtolus, Neſcitis, inquit, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit? Eſt autem fermẽtum corrupta maſſa, cuius tanta vis eſt, vt vel modica eius portio ingẽti farinæ moli admixta, ſi diutius ibidem relinquatur, totam cõſperſionem vitiet. Quæ quidem res peccati vim & nocendi efficaciam maximè exprimit. Hinc fit, vt facilius quidem peſtilens homo innocentes multos peruertere poſſit, quàm multi innocentes peſtilentem vnũ, ab inſtituto improbitatis curſu reuocare. Quod vel vnius Lutheri exemplo (vt Arrium cæteroſque hæreticos ſileamus, qui tam multos mortales errorum ſuorum veneno infecerunt) facilè comprobatur: quem tamen multi clariſſimi viri nec diſputationibus, nec ſcriptis ab inſtituta perfidia reuocare potue-
Simil. runt. Itaque mali naturam mihi conſideranti, apparet eam aceto ſimillimam eſſe. Si enim aceti vaſculum in pretioſi vini dolium immiſeris, totum quidem dolium corrumpes, & breui temporis mora in acetum vertes. Contrà verò ſi maximam vini

copiam in vasculum aceti fuderis, & ipsum quidem vinum perdes, & aceti acrimoniam minimè sustuleris. Nihil enim tam facilè discimus quàm vitia, nihilque tam difficilè dediscimus. In vitia namque procliuis ad malum natura, quasi prono flumine labitur; ad virtutes autem quasi sursum versus, contra renitentem aquæ impetum pugnandum est. Qua ex re intelligere licet, quãto in periculo versemur, quicunque in hoc mundo degimus: quem totum Ioannes Apostolus in maligno positum esse ait: in quo inter tot leprosorum hominum contubernia versari, edere, bibere, dormire necesse sit. Hoc est, in quo (vt apertius loquamur) tot perditorum hominum exempla atque consilia, tot laquei, tot ruinæ, tot hostium insidiæ, tot offendicula vitam nostram & innocentiam petunt. In quo denique, vt Isaias sub euersæ Babylonis imagine ait, Cubilia draconum, & pascua struthionum sunt, in quo milui alter ad alterum cõgregantur: per quos pauperum oppressores intelligimus, qui in pullorum, hoc est, in tenuiorũ fortunas inuolant. Vbi etiam clamat pilosus ad pilosum. Hoc est, in quo carnales atque opulenti homines, partim deliciis & voluptatibus, partim fastu atq. opulentia oculos nostros oblectant, & mentem ad similem vitę luxum alliciunt. Simil. 1 Ioan. 5. Esaiæ 34.

IIII. Est etiam spiritus & halitus leprosorum, non modò contagiosus, sed fœdo etiam odore molestissimus. Cùm enim interior corporis portio corrupta sit: quid ex corrupto & vitiato fonte, nisi fœtor & horror manare poterit? Idem quoq. eorum mentibus eueniat necesse est, qui variis vitiorum morbis infecti sunt. Hoc enim persuasum vobis esse velim, fratres, eam esse post communis peccati lapsum, naturæ nostræ conditionem, vt quemadmodum animantium carnes sale consperſæ, diu incorruptæ seruantur; quo destitutæ illico putrefiunt, & vermibus scatere incipiunt: ita planè mens humana diuinæ gratiæ ope, velut quodam sale consperſa, à peccati corruptione immunis conseruatur: qua vbi fuerit nudata, fœtorem sæpe prauarum actionum, & variarũ cupiditatũ vermes, animam ipsam exedentes, producit. Ex hac autem interni hominis corruptione, quid nisi pestilens fœtor per os manare poterit? Adde etiam, quòd cùm omnes qui capitali crimine alligati sunt, mortuã animam in viuo corpore gestent; quid ex hac morte consequi poterit, nisi quod appositissima similitudine regius Propheta explicauit, cùm ait, Sepulchrũ patens est guttur eorum: linguis suis dolosè agebant? Sicut enim ex aperto tumulo, vbi cadauer putridum Simil. Psalm. 5. Simil.

vermi-

vermibus scaturiens iacet, pestilentes & intolerandi fœtores exhalantur: ita planè cùm ex abundantia cordis os loquatur, quæ verba ex illo corde, in quo mortua atque putris anima iacet, exhalari poterunt? Qualis ex tanta corruptione putor, aperto huius tumuli ore manabit? Itaque cernere licet multos, quorum ore vix vllum verbum, nisi lasciuię, impuritatis, & turpitudinis plenum prodit. Quæ enim impudicitiæ sanies in corde abundat, eadem per oris meatum defluit. Alios contrà, percitos videas, qui nunquam diabolum, nunquam execrationis verba ex ore deponunt: quibus omnes tum domesticos, tum alienos pro rebus nihili, diris omnibus deuouent, illisque mortes & suppliciorum genera imprecantur. Quorum non absimiles sunt, qui contumeliosa verba in alios iactant: alios videlicet ebrios, alios latrones, alios stultos & fatuos, alios canes atque sathanæ filios appellantes. Videas alios, qui quot verba proferunt, tot pænè singulis verbis adhibent iuramenta: sacrosanctum Dei Nomē adoratione dignissimum, impuro ore passim conspurcantes. Alios verò eò immanitatis & stuporis deuenisse, vt sacrilegum os in cælum ponentes, execrandis conuitiis

Gregor. immensæ maiestatis Dominum lacerent. Quos D. Gregorius similes iis esse ait, qui Dominum Saluatorem plagis concisum in crucem sustulerunt: quando isti cùm ira perciti furunt, dentibus & vnguibus Dominum eo tempore discerperēt, si possent.

Psal. 37. An non ergo meritò regius Propheta Sepulchrum patens guttur eorum ait, vnde tam horrendi fœtores prodeunt? Quod autem hos maneat supplicium, acri sanè oratione idem Pro-

Psal. 51. pheta indicat, cùm ait: Tota die iniquitatem cogitauit lingua tua: sicut nouacula acuta fecisti dolum. Propterea Deus destruet te in finem, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium. Quo supplicio quid atrocius fingi potest?

III.

V. Sed nondum malorum huius morbi finis. Habet enim hoc lepra, quòd cùm diu in corpore hęsit, hominem pænè quodammodo in truncum inutilem vertit. Nam & oculos & aures & nares, & pedes etiam atque manus ita inficit, vt totum ferè corpus inutile reddat. Hoc autem quotidie in inueteratis peccatoribus cernere licet: qui assiduitate peccādi eò deducti sunt, vt omnem pænè spiritualem sensum amiserint. Itaque nec oculos habent, quibus diuinæ maiestatis celsitudinem, miseriæ suæ magnitudinem, imminentis mortis periculum, diuini iudi-

dicij rationem, æternique ſupplicij atrocitatem magis videant,
quàm ſi mentis oculis capti eſſent. Iidemque nec nares ha-
bent, quibus diuinæ ſuauitatis odore illecti, poſt Chriſtum cur- Cant. 1.
rant in odorem vnguentorum eius: nec manus habent, quas in
ſubleuandis pauperum miſeriis, & hominibus iuuandis por-
rigant: nec ſanctorum deſideriorum pedes, quibus cæleſtium
diuitiarum amore incenſi, terrena deſpiciant: nec poſtremò
aures, quibus diuinorum eloquiorum doctrinam percipiant.
Creditis ne vos, eos omnes qui feſtis diebus ſacras concio-
nes audiunt, aures habere? Si aures haberent, dicto audien- Matt. 11.
tes eſſent. Si aures haberent, aliquando tandem percepta pe- 13.
riculi ſui magnitudine, in lachrymas ſoluerentur. Si aures ha- Luc 8.14.
berent, nequaquam Dominus in Euangelio, & in Apocaly- Apoc. 2.
pſi Ioannes, toties hanc ſententiam repeterent: Qui habet au- 3.13.
res audiendi, audiat. Aures quidem (fateor) habent: ſed quales
illi habebant, quibus Dominus per Prophetam dicit: Aure Eſaiæ 6.
audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non per-
ſpicietis. Habent itaque aures ad perniciem, non ad ſalutem:
habent aures, vt excuſatione in ſceleribus ſuis careant, non vt
mores ad Euangelicæ doctrinam normam componant. Itaque
fit, vt nec per ſe ipſi quidem ſapiant, nec per alios ſapere ve-
lint. Qui mihi in illud ſupplicium incidiſſe videntur, quod in-
fideli populo per Prophetam Dominus minitatur: cùm de ho-
ſtium eius immanitate loquens, ait: Naſum tuum & aures Ezech. 23
tuas præſcindent à te. Quo quidem ſupplicij genere vix quic-
quam periculoſius eſt. Per naſum enim prudentia deſigna-
tur. Prudentiæ namque munus eſt, res futuras & longè poſi-
tas, ex antecedentibus cauſis proſpicere, & veluti olfacere.
Vnde fit, vt prudentes & acutos homines, naſutos appelle-
mus. Aurium autem nomine obedientiam accipimus: quibus,
conſiliis atque præceptis maiorum auſcultamus. Cùm ergo
Dominus minatur, improborum hominum nares & aures eſſe
præſcindendas, id ſignificare voluit, eos demerito ſuo in eum
mentis ſtuporem adducendos, vt & prudentiam ſimul cum
obedientia amittant. Hoc eſt, vt (quemadmodum diximus)
nec per ſe nec per alios ſapiant, quando alienæ prudentiæ con-
ſiliis non acquieſcunt. Quod quidem genus hominum, He- Heſiod.
ſiodus prorſus inutile eſſe definit. Cùm enim is tria hominum
genera ſtatuat: Vnum eorum qui per ſe ſine doctore ſapientes
ſunt: Alterum eorum, qui quamuis ſapientes minimè ſint, ſa-
pientum tamen conſiliis obtemperát: Tertium autem illorum
qui nec

qui nec per se nec per alios sapere volunt: postremum hoc inu-
tile prorsus, & nulli rei aptum esse confirmat. In quo gene
collocantur ij qui diuturna peccandi consuetudine deprauat
& nares, & aures, hoc est, spiritualis prudentiæ sensum, & ob
diendi studium perdiderunt.

VI. Sunt & alia plura, propter quæ meritò capitalia crimina le
præ morbo comparantur: nec lepræ solùm, sed omnibus eti
humani corporis morbis. Cùm enim morborum omnium pr
ma causa, peccatum extiterit: consequẽs est, vt morborum o
nium deformitates & incommoda, eminenter in vna pec
radice reperiantur. Quæ omnia nulla vis orationis non
explicando consequi, sed nec enumerando percensere q
Abundè tamen sufficit, quod hactenus diximus, vt apertè c
gamus verum esse quod initio diximus, malorum omnium q
in mundo grassantur maximum esse peccandi facilitatem. Hi
plerosque dicere passim videmus, Quid magnum est, si hom
humanis vitiis succumbat? si lubrica adolescentum ætas, in al
qua dedecora prolabatur? si in mundo inter immundos age
eorum sordes quibus cum viuit, contrahat? si terrena tracta
terrenæ fæcis luto inquinetur? Si denique carnalis homo, &
peccatis conceptus, peccato seruiat, cui venundatus est? It
quoque simili ratione prima illa fœmina dicere poterat,
magnum est, si interdictæ huius arboris pomum pulchrum
su, & ad vescendum suaue degustem? Non magnum est ō
lier pomum degustare: sed verè magnum & nefarium est, D
imperium contemnere, legem eius infringere, & numen v
lare. Hac enim ratione deformitas peccati pensanda est: qu
dæmonis imperium, & momentanea carnis voluptas, imme
& infinitæ maiestatis imperio antefertur. Quo nomine leth
peccatum, & malorum omnium maximum & infinitum es
paulò antè definiuimus.

Quæ cùm ita sint, & ita esse vos, fratres, inconcussa fide t
neatis: an non æquum est, vt quicunque hac miseranda cæcit
oppressus fuit, modò ad huius veritatis lucem oculos aperiens,
intra se ipsum dicat? O me miserum, ô me infelicem! Quis it
me dementauit, vt tantam hanc peccati malitiam atque defor-
mitatem non viderem? vt toties in tam profundam gehen-
næ foueam me præcipitem darem? vt toties miseram animam
meam lethali vulnere sauciarem? vt toties pro rebus nihili, tam
facilè immensæ illius maiestatis iram prouocarem? vt fidem
illi datam violarem? & obsequium illi summo iure debitum

denega-

denegarem? & pro illius numine & imperio teterrimi hostis imperium sequerer? Vbi tunc erat sensus meus? vbi consilium? vbi ratio? vbi iudicium? vbi tot Ecclesiæ voces, quæ me quotidie periculi huius admonebant? vbi denique conscientiæ stimulus, qui ab his tantis malis me minimè reuocabat? Quod illud Satanæ poculum fuit, quod me ita dementauit, vt nō viderem me in oculis Dei cuncta cernentis tot mala committere, quæ in æquissimo illius iudicio ad nouissimum vsque quadrātem excutienda, & æterno igne vindicanda essent? Hæc, fratres, si quis modò intra se minimè sentit, non dubium quin paulo pòst, hoc est, in extremo vitæ actu, qui non longè distat, dicturus & lamentaturus sit. Quamobrem si quis ab hoc tanto periculo eripi, & placidis oculis venientem iudicem videre cupit, adeat cum leprosis istis Dominum Iesum: & propter suorum scelerum deformitatem à longè positus, cum illis clamet, *Iesu præceptor miserere nostri.* Aderit enim protinus ille, qui prope est omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate. Qui Psal. 144. verbo virtutis suæ sanatos remittet ad sacerdotes: quorum ministerio, ab omni peccati lepra mentes hominum purgat: purgatas virtutum omnium cultu exornat: exornatasque arctissimo sibi amoris vinculo consociat: atque ita tandem omnium bonorum suorum, & sempiternæ felicitatis participes reddit.

IN EADEM DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN CONCIO II.

in qua post Euangelicæ lectionis explanationem, de remedio aduersus peccatum agitur: quod leprosi sacrificio in lege descripto mysticè exponitur.

THE. *Ite ostendite vos sacerdotibus.* Lucæ 17.

AVE MARIA.



IN hodierna sancti Euangelij lectione, nō vnum aliquod miraculum (vt in cæteris Euangeliis) sed decem simul à Domino edita fuisse memorantur. Cùm enim is Ierosolymam petens, ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi: qui quoniā propius propter morbi huius horrorem

accedere non audebant, *steterunt à longè, & clamauerunt dicen-
tes, Iesu præceptor, miserere nostri. Quos vt vidit, dixit: Ite, osten-
dite vos sacerdotibus.* Non longa oratione aut longis ambagibus
Matt. 15. vsi sunt: non morbi grauitatem & horrorem amplificauerunt,
Matt. 17. (quod Chananæa fecit, & ille qui Lunaticum filium Domino
curandum obtulit) sed breuissima & simplici oratione optatum
salutis beneficium impetrarūt. Quid enim breuius dici potuit,
quàm, *Iesu præceptor, miserere nostri?* Sed ea tamen misericordia
Domini fuit, vt vix illa verba finierint, cùm salutem illis imper-
Esaiæ 65. titum fuerit: vt appareat fidelem esse qui per Prophetam dicit:
Et erit, antequàm clament ad me, exaudiam, adhuc ipsis lo-
quentibus audiam. Hæc tanta felicitas piis omnibus promissa
est: qua non video quid optabilius homini in vita possit acci-
re. Quòd si illum tam facilem & exorabilem, cùm in hoc
mundo inter homines versaretur, expertus es, non alium plane
existimare debes, cùm in cælum est assumptus. Locum enim
tantum, non animum, non affectum, non miserendi officium
Hebr. 13. mutauit, cùm in cælum ascendit. Hinc Apostolus, Iesus Chri-
stus, inquit, heri & hodie, ipse & in secula. Hoc est, eadem in il-
lo mens, eadem pietas, eadem nostri cura & prouidentia, quæ in
illo fuit, semper erit. Quid enim mutare illum poterit, de quo
Psal. 101. scriptum est: Tu autē Domine idem ipse es, & anni tui non de-
ficient? Si ergo idem ipse est in cælo, qui in terris extitit, nec illi
annorū numerus aliquid vel addere vel demere potuit; cur non
semper eadē pietatis & misericordiæ opera ab eodem fonte di-
manent? Irridet per Esaiam Dominus Babyloniorū Deos, quòd
Esaiæ 46. in iumentis & humeris hominum portarentur; nec vlla tamen
Ibidem. in re eorum laborem leuarent à quibus portabantur. Quid ve-
rò de se ait? Audite, inquit, me domus Iacob, qui portamini à
meo vtero, qui gestamini à mea vulua. Vsque ad senectam ego
ipse, & vsque ad canos ego portabo. Illi ergo falsi dij à cultori-
bus suis portantur: hic verò cultores suos portat, nec in mani-
bus quidem aut humeris, sed in visceribus atque vtero tanquam
pia mater portat: nec ad horam quidem & momentum, sed vsque
Iob 10. ad senectam, inquit, & vsque ad canos. Quid est, Vsque ad se-
nectam & canos? Nunquid, ait sanctus Iob, sicut dies hominis
dies tui? aut anni tui sicut humana sunt tempora? Nullo modo.
Sed hac tamen dicendi ratione perpetuam suorum curam &
prouidentiam designare Dominus voluit, nec se alium esse cùm
dominatur in cælis, quàm cùm inter homines versaretur in ter-
Esaiæ 51. ris. Cæli enim (ait ipse) sicut fumus liquescent, & terra sicut ve-
stimen-

stimentum atteretur: salus autem mea in sempiternum erit, & iustitia mea non deficiet. His ergo diuinę veritatis & promissio- Hebr. 4. nis obsidibus, adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius: vt misericordiam inueniamus in auxilio opportuno.

Sed vt ad historiæ seriem redeamus, mittit leprosos Dominus à sacerdotibus examinandos. Ad quos dum pergerent, subitò se mundatos esse deprehenderunt. *Vnus autē eorum vt vidit quia mūdatus est, regressus est cū magna voce magnificans Deum: & hic erat Samaritanus. Respondens autem Dominus ait: Nónne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt? Non est inuentus qui rediret & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena?* Duo sunt, fratres, in summo Deo nostro maximè miranda, nempè summa largitas in beneficiis conferendis, summaque seueritas in gratiis pro perceptis beneficiis exigendis. Idem enim est & liberalissimus bonorū largitor, & seuerissimus (si dicere fas est) gratiarum exactor. Vtrumq. autem hoc in loco cernere licet. Qua enim facilitate Saluator leprosis salutem petentibus contulit? Quanta verò acrimonia aduersus ingratos commotum se esse ostendit, cùm ait: *Nónne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt? Non est inuentus qui rediret &c.* Cur ergo qui tam benignus est bonorum largitor, tam rigidus est gratiarum exactor? Hæc enim duo, donare scilicet & exigere, pugnare inter se quodammodo videntur. Verùm si quis diligentius aduerterit, adeò hæc inter se non pugnant, vt alterum necessariò consequatur ex altero. Quia enim Deus natura liberalissimus est, quemadmodum gratus animus liberalitati eius materiā subministrat: ita manum eius ingratus animus & beneficij immemor præcipuè contrahit. Est enim (vt D. Bernar. ait) ingrati animi vitium, sicut ventus vrens, Bernard. exiccans fontem gratiæ, & fluenta diuinæ misericordiæ. Certat igitur hoc vitium, & quodāmodo aduersus diuinæ bonitatis naturā bellum gerit: quam licet nulla impietas à beneficiis cōferendis impedire possit, eius tamen sæpe cursum remoratur. Quod ne fiat, solicitè nos Paulus diuinæ mentis interpres admonet his verbis: Semper gaudete, sine intermissione orate, in 1. Thess. 5. omnibus gratias agite; in omnibus inquam, siue illa aduersa, siue secunda, siue tristia, siue læta sint. Aduersis enim exercemur ad patientiam: secundis accendimur ad charitatem: illis humiliamur: istis ad cælestia subleuamur. Hoc erat continuum sanctorum hominum officium: quorum est illa vox, Benedicā Do- Psal. 33. minum in omni tempore: semper laus eius in ore meo.

Cæterùm, cùm hoc vel præcipuum sanctorum officium ex-

terit, esse tamen inter fideles etiam paucissimos, qui hoc adeò debito munere fungantur, hoc leprosorum exemplo colligere possumus. Ex decem quippe hominibus qui idem salutis beneficium perceperunt, vnus tantùm fuit, qui & beneficium agnosceret, & pro eo gratias ageret. Quæ res eò est mirabilior, quòd hæc virtus latissimè pateat: cuius vestigium in brutis etiam animantibus atque adeò in serpentibus cernere licet. Non enim canes solùm & elephāti, qui propius ad hominis naturam accedere videntur, sed immanes etiam leones & serpentes beneficij memores, & in benefactores & nutritores suos beneuoli & grati deprehenduntur. Adde etiam, quòd cùm inter omnes humani cordis affectus, & maximus, & primus, atque aliorū omnium origo amor sui sit: quid huic amori vicinius & cōiunctius, quàm vt gratus & beneuolus in eos sis, qui de te bene meriti sunt? Cùm ergo hæc virtus adeò latè pateat, vnde quæso tot ingrati animi, vnde tam profunda diuinorum beneficiorum, quibus vndique

Simil. circumfluimus, obliuio? Certè non aliunde quàm Satanæ opera, qui hac ratione fontem nobis diuinæ benignitatis & gratiæ obstruere nititur. Vt enim qui munitissimā arcem obsident, diligentissimè itinera ea occupare solent, per quæ commeatus hostes importari possit: ita callidissimus humani generis hostis summa cura prouidet, vt omnia diuinæ gratiæ præsidia, quibus salus nostra cōtinetur, intercipiat: quod ingrati animi vitio maximè perficit. Hinc fit, vt quemadmodum filij Israël ab Aegypto regressi, inter tot diuinæ prouidentiæ miracula, nec oculos habebant nec mentem, qua diuini numinis virtutem atq. præsentiam agnoscerent: ita isti inter tot diuinę largitatis beneficia, quæ nobis Sol, Luna, cælum, terra, mare, cæteraque elementa & creaturæ suppeditāt, versantes, nec Deum benefactorem agnoscunt, nec illum verentur, nec accepta illi tot beneficia referunt,

Cicer. quibus ipsorum vita alitur & conseruatur. Quantò rectius ethnicus ille qui ait, Commoda quibus vtimur, lucem qua fruimur, spiritum quem ducimus, à Deo nobis dari & impartiri demus. Cæterùm improborum multi quamuis hoc ipsum verbis negare non audeant, sic tamen se gerunt, sic diuinis beneficiis vtuntur, quasi illa non à Deo, sed ab ipsa natura, quā à Deo seiunctam esse putant, ministrentur. Vnde fit, vt nihil se Deo, sed omnia vel naturæ vel industriæ suę debere arbitrētur. Quorum ingratum animum non viri sancti modò, sed ipsi quoque

Seneca lib 4. de benef. ethnici philosophi grauissimis verbis accusant. Sic enim aduersus illos Seneca: Non dat Deus, inquis, beneficia. Vnde ergo ista

ista quæ possides? quæ das? quæ negas? quæ seruas? quæ rapis? Vnde hæc innumerabilia oculos, aures, & animum mulcentia? Vnde illa luxuriam quoque instruens copia? Neque enim necessitatibus tantummodo nostris prouisum est: vsque in delicias amamur. Tot arbusta non vno modo frugifera, tot herbæ salutares, tot varietates ciborum per totum annum digestæ: vt inerti quoque fortuita terræ alimenta præberent. Iam animalia omnis generis, alia in sicco solidoque, alia per sublime demissa: vt omnis rerum naturæ pars tributum aliquod nobis conferret. Flumina hæc quidem amœnissimis fluxibus campos cingentia, illa verò præbitura commercia mari, vasto & nauigabili cursu vadentia. Et paulo inferius aduersus eundem ingratum hominem agens, Si non dat, inquit, beneficia Deus, Vnde tibi istum quem trahis spiritum? Vnde istam per quam actus vitæ tuæ disponis atque ordinas lucem? Vnde sanguinem, cuius cursu vitalis continetur calor? Vnde ista palatum tuũ saporibus exquisitis vltra satietatem lacessentia? Vnde hæc irritamenta iam lassę voluptatis? Vnde ista quies in qua putrescis atq. marces? Nónne si gratus es, dices, Deus nobis hæc otia fecit? Hactenus ille. Cuius verba maximum planè Christianis hominibus pudorem incutere debent. Quid enim impudentius, quàm Christianos homines fidei lumine illustratos, & innumeris diuinæ gratiæ beneficiis auctos & ornatos, ab ethnicis hominibus hac virtute superari? Aduersum hos autem in præsenti lectione Dominus Samaritani, hoc est, infidelis hominis exemplo meritò indignatur, cùm ait: *Nónne decem mundati sunt? & nouẽ vbi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Cuius egregiam fidem Dominus commendans ait: *Fides tua te saluum fecit. Vade in pace.* Hactenus de Euangelica lectione. Nunc leprosorum sacrificium à lege præscriptum (ad quod offerendum Dominus hos leprosos in præsenti lectione mittit, quod magnis mysteriis refertum est) explicare incipiamus: à peccati lepra, in cuius remedium institutum est, nouum rursus exordium capientes.

Virgil.

I.

In superiori concione, quod esset inter mala omnia, quæ fingi possunt, teterrimum & maximum exposuimus: illudq. non mortem aut dedecus, aut quoduis atrocissimum supplicium, aut ipsam denique gehennã, sed lethale peccatũ, quod & gehennę, & cæterorum malorum omnium fons & origo existit, esse definiuimus. Nũc consequens esse videtur, vt diuersa ratione quod

 sit bo-

sit bonorum omnium maximum inquiramus. Cui quæstio non est admodum difficile respondere: cùm satis inter philosophos conueniat, optimum illud esse, quod pessimo aduersa. Si ergo malorum maximum esse constat lethale peccatum, consequens est, vt charitas, & charitatis comes innocẽtia (quę peccatum omne repellit) maximum huius vitæ bonum sit. Hoc autem habet is, qui nullius rei pretio inductus, nulla oblectatione delinitus, nullo metu perterritus induci potest, vt Deum lethaliter offendat, illiusque sanctissimas leges violet. Hoc est tur primum quod à nobis exigitur: quod qui habet, charitatem habet, gratiam habet, Deum intra se habet, & maximũ æternæ vitæ pignus habet. Quocirca nulla magis in re pius homines uos omnes intendere debet, quàm vt hoc firmissimum, inconcussum, & insuperabile non peccandi propositum habeat. Ad quod planè conatus omnes omniaque vitæ studia dirigere debet. Ad hoc lectio, ad hoc oratio, ad hoc rerum diuinarum consideratio, ad hoc sacramentorum perceptio, ad hoc sacræ conciones, solitudo, silentium, ieiunia, occasionum peccandi fuga, diligens cordis & sensuum custodia, cupiditatum cohibitio, linguæ moderatio, cæteraque similia instituta sunt. Sed quidam rum, si hæc omnia ad hoc destinata sint, cùm huc etiam sacrosanctum Dominicæ incarnationis & passionis mysterium spe-

Esaiæ 27. ctet, dicente Propheta, Hic omnis fructus (Dominici videlicet aduentus) vt auferatur iniquitas? Quam sententiam pluribus idemq. significantibus verbis Daniel expressit: qui in hoc de-

Dan. 9. ctum sanctorum Dominum in mundum venisse ait: Vt consummetur, inquit, præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna.

Hoc est igitur primum veræ charitatis officium, hoc totius Christianæ iustitiæ fundamentum, hoc sancti omnes qui nunc existunt, quique olim extiterunt ante oculos semper habebant, huius rei gratia vota semper & preces faciebant, propter hoc sancti Martyres atrocissima & inaudita supplicia pertulerũt: ne vel ad momentum in vllam diuini numinis offensionẽ incurrerent. Hoc igitur propositum, fratres, hanc animi firmitatẽ mentibus vestris concipite, hanc à Domino continuis precibus postulate, ad hoc curas & cogitationes omnes vestras dirigite: si in Dei charitate & gratia permanere, & in statu æternæ salutis & viuere & vitam finire concupiscitis.

SECVN-

SECVNDA PARS DE SACRIFICIO LEPROSI.

II.

QVoniam igitur de malitia atque deformitate peccati satis in superiori concione ad eius detestationem dictũ esse videtur: proximum est, vt qua ratione illud vitare possimus, doceamus. Cùm autem hoc multis rationibus effici possit, ne tamen longius ab Euangelica lectione recedamus, leprosi hominis sacrificium, quod vbi à lepra mundatus esset, offerre olim iubebatur, explicemus. In eo enim quid homini à peccati lepra mundato faciendum sit, ne iterum similis morbi contagio fœdetur, summo diuini spiritus artificio, mirisque coloribus adumbratũ est. Summa autem eius hæc est: Quisquis à le- Leuit. 14.
pra mundatus fuerit, duos passeres siue aues (vt in Hebr. habetur) & lignũ cedrinum, vermiculumq́., & hyssopum accipiat, & alteram quidẽ auem immolabit in vase fictili super aquas viuas: alterã verò cum ligno cedrino, & cocco, & hyssopo tinget in sanguine passeris immolati, quo illũ qui mundandus est septies asperget, passeremq́. alterum viuum auolare sinat. Deinde leprosus radat omnes pilos corporis, lauetq́. vestimenta sua, transactisq́. septem diebus ingrediatur in castra. Hoc est leprosi hominis sacrificium, quod quidem insigni aliquo mysterio vacare nullo modo potest. Si enim nihil aliud nisi obuium verborum sensum spectes, quæ in his sanctitas? quæ religio? quæ placandi numinis ratio continetur? Denique quid hic legislatore Deo dignum inuenitur, qui summa æquitas, plenissima sanctitas, & infinita sapientia est: cui nihil nisi quod purum & sanctum sit placere potest? Species igitur earum rerum quæ præcipiuntur, & præcipientis dignitas & maiestas, nos ab ipso literæ cortice ad recõditiores sanctioresq́. sensus trãsmittũt. Meminisse enim debemus Moysem hũc qui legẽ tulit, dum infantulus esset, in Exod. 2.
fiscella scirpea à filia Pharaonis deprehensum: quæ cùm extra vilis esset, & luto vluaq́. deformis, intus tamẽ speciosissimũ celabat infantẽ. Talis ergo lex ab ipso Moyse lata existit: quæ extra quidem quibusdam in rebus superstitionis imaginem quandam præseferre videtur, intus tamen mysteriis pulcherrimis referta est. Si enim (vt Ecclesiæ magister Paulus ait) omnia in figura Cor. 10.
contingebant illis, consequens est ea, quæ in veteri lege continebantur, earum rerum typum esse quæ in noua traduntur:

& quæ ibi ad corpus referri videntur, ad spiritualem animæ
Leuit. 11. tum esse reuocanda. Verbi gratia, Cùm lex prohibet, ne Iud
carne suilla vescatur, hoc præcipit ne se homo libidinibus &
Ibidem. nalium voluptatum cæno, more lutulenti suis, immergat. C
prohibet Aquilæ & Accipitris, quæ ex raptu viuunt, carnes
re, vetat ne sanguinarij & auari simus, & in tenuiorũ & pa
Deut. 25. rũ opes crudeliter inuadamus. Cùm ait, Non alligabis os b
triturãti, hoc intelligit, ne mercenariũ operis sui mercede fr
Deut. 22. demus. Cùm ait, Vestem, quæ ex lana & lino contexta est,
indues, perinde est, ac si diceret, Ne sis duplex animo, ali
Exod. 33. fronte, aliud in corde gestans. Cùm ait, Non coques h
in lacte matris suæ, idem est ac si diceret: Ne addideris af
nẽ afflicto: ne præsentem luctũ noui accessione cumules. Q
Leuit. 16. verò ait: Non seres agrum diuerso semine, perinde est, ac
Matth. 6 lam Euangelij vocem emitteret: Nemo potest duobus Do
nis seruire. Non potestis Deo seruire & mammonæ. Adh
ergo modũ pleraq. alia interpretanda, & vel ad Christi my
riũ vel ad vitam optimis moribus instituẽdam traducenda su
Sed vt ad leprosorum sacrificium veniamus: his duabus au
quas à leproso iam mundato lex exigit, duas hominis præci
partes, carnẽ videlicet & spiritũ ex quibus homo consta
ligimus. Harum autem alteram quidem retorto ad collu
immolare, alteram ad volandum liberam dimittere iubet
Quid hoc sibi vult? Illud nimirũ, quòd si vita nostra rectè co
stituenda est, alteram quidem nostri partem, nempe carnem
sacrificium Domino mactare, alteram verò, nempe spiritum
bero volatu ad cælestia subleuare debemus. His enim præcip
hominis partibus hoc modo distributis, tota planè eius vita r
ctè constituta erit: nec quicquã aliud in homine desiderari p
terit. Sed tamen vtrumq. horum sigillatim qua ratione fieri
beat, ex huius sacrificij ritu inuestigare conemur.

Carnem igitur nostrã immolamus, cùm illud Apostoli pr
Rom. 12. ceptum implemus: Obsecro vos, fratres, vt exhibeatis corpo
vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabil
obsequium vestrum: quando videlicet carnem nostram propt
Deum conterimus: ne deliciis soluatur, ne, quæ carnis sunt, i
tienter appetat; ne luxu & fastu intumescat, ne vires contra sp
ritum arripiens, sessorem excutiat. Quod tamen ita temperan
dum est, vt caro quidem attenuetur, non penitus conteratur. I
enim est rationabile obsequiũ offerre, quod ipsa lex hoc sacrifi
cij ritu designauit: quãdo ita iubet auẽ immolare, vt retorto a
collum

collum capite auiculæ sanguis effundatur, non tamen caput à corpore amputetur, vt hac ratione apertè nobis illud eiusdem Apostoli innuat: Vt castigati & non mortificati: hoc est, vt carnem quidem maceremus, non tamen extinguamus. Nec caro solùm immolanda est, sed multò magis carnis cupiditates & turbulenti motus, qui ab ea proficiscuntur. Quod idem Apostolus facere præcipit, cùm ait: Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam. Vnde sicut vinitores vitium palmites vbi immodicè excreuerunt, amputare solent: ne nimium luxurient atque syluescant, si debito longiores fuerint: ita nos quoque vehemẽtiores & immoderatos affectus nostros, diuini timoris falce abscindere debemus: ne Gentilium hominum ritu, ad agrestes & barbaros mores degeneremus: qui (vt idem Apostolus ait) seipsos tradiderũt in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam. In cuius rei typum ipsas etiam arborum comas olim Dominus in lege circuncidi præcipiebat: alioqui omnes earum arborum fructus, quæ ad hunc modum circuncisæ non erant, immundi habebantur. Nunquid ergo de arboribus cura est Deo? An propter nos vtique hæc scripta sunt? quibus ante omnia necesse est, vt luxuriantes affectus & cupiditates nostras præscindamus: si maturos bonorum operum fructus proferre volumus.

2. Cor. 6.

Coloss. 3.

Simil.

Ephes. 4.

Hoc est ergo præcipuum Christiani hominis officium, hæc assidua cura, hæc externi hominis nostri spiritualis mors, hæc militia nostra super terram, in qua dies noctesque decertandum est. Adeò enim acriter & assiduè infestamur, vt semper in excubiis esse, semper armati incedere debeamus, quemadmodum illi de quibus scriptum est: Vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Nec enim aliter sacrificare possumus sacrificium iustitiæ, nisi hostes iustitiæ, hoc est, fedos cupiditatũ motus, qui nos assiduè infestant, excindamus. Quod planè munus Philosophi quoque agnouerunt. Nam & Plato sapientis vitam meditationem esse mortis definiuit. Præcipuum quippe eius munus est, omnes animi ægritudines & cupiditates ita compescere, vt ad hũc modum carnis libidine subacta, homo altera sui parte emortua, meliore atque diuiniore vitam agat. Intelligens enim has duas hominis partes adeò inter se dissimiles esse, vt altera terrestris, altera cęlestis sit: adeoq. rursum sibi inuicẽ aduersas, vt cũ altera dominatur, altera seruiat: imò verò cũ altera vigeat, altera mortua ac penè sepulta iaceat,

Cant. 3.

Plato.

diligentissimè curandum esse docuit, vt ignobiliori parte, quatenus licuerit extincta, homo velut carnem exuens, & in statum spiritualis naturæ quodammodo transiens, spiritu viueret, spirituque vitam suam regeret. Quod quidem ille mortis meditationem appellauit: nostri autem paulisper deflexo nomine mortificationis studium nuncuparunt: cuius est praua cordis nostri desideria extinguere & iugulare. In eos verò, qui id non præstant, maledictio illa prophetica cadit, Maledictus qui
Hier. 48. prohibet gladium suum à sanguine. Quoties igitur huic pravæ cupiditatibus tuis obsistis, toties hoc spirituali gladio ferris, toties spiritualiter pro Deo sanguinem fundis, toties alteram ex auibus secundum ritum legis in sacrificio offers, id est, toties teipsum in sacrificium Deo mactas. Quod tantum aliis sacrificiis præstat, quantum ipse homo rebus suis præstantior est.

Quòd si dicas, Intelligo planè gratissimum quidem esse hoc sacrificium Deo, esse tamen admodum difficile. Caro enim nostra charissima nobis est: cuius nobis cupiditates excindendæ sunt: quod sine magno doloris sensu fieri non potest. Fateor planè. Sed ipsa tamen lex viam nobis ad hoc aperit, & animum etiam addidisse videtur, cùm iubet hoc sacrificium fieri in vase fictili ad aquas viuas, hoc est, iugiter fluminum more manantes.
Leuit. 14. Quid sibi vult hæc tam insueta religio? Quis quæso adeò obtusi pectoris erit, qui hanc Dei legem esse credens, non aperte videat sub his verbis arcani aliquid latere? Quid autem hoc loco per vas fictile, nisi corporis nostri fragilitas? quid per aquas decurrentes, nisi fluxa vitæ nostræ breuitas designatur? Vas enim fictile ex terra lutoque formatum, non potest fragile non esse. Quæ duo corporis nostri fragilitatem satis indicant. Aquæ verò siue fontium siue fluminum, quæ nunquam quiescunt, sed in perpetuo quodam fluxu & motu sunt, an non satis exprimunt cursum vitæ nostræ, quæ semper decurrit, semper labitur, semper ad finem tendit: nec vel ad momentum quiescit. Quo fit vt nostrum viuere, non tam viuere, quàm quotidie deficere sit:
August. quandoquidem (vt D. Aug. ait) quot ætatis annos quisque habet, tot amisit. Itaque mors nunquam procul abest, sed hæret semper in tergo, & aliquid quotidie de vita decerpit. Stultū est enim arbitrari tum demum mortē imminere, cùm vitæ finem imponit: vim autem illius non sentire, cùm quotidie vitam carpat atque paulatim conficiat. Huius autem rei consideratio magnum ad carnis nostræ mortificationem incitamentum est.

Quo-

Quomodo enim carnis me mācipium, & ventrem mihi Deum faciam, quem certissimè scio crastina die in sterquilinium commutādum? Quomodo aduersum me hostem meum nutriam? & malorum omnium in eo nutrimenta foueam, qui in ipso iam itinere constitutus, dies noctesque ad vitæ meæ iudicem nulla interposita mora propero? Itaq. si quis in his duabus rebus, fragilitate videlicet ac breuitate vitæ nostræ mentis oculos defixerit, deprehendet planè vana esse, caduca, fugacia, fragilia, & fallacia, quæ in hoc mundo nitent, ideoque contemnenda: sola verò cælestia vt immortalia & æterna consectanda. Quisquis igitur harum rerum consideratione, carnem cum vitiis & concupiscentiis suis crucifixit, is vtiq. in vase fictili super aquas viuas alteram auem immolauit.

III.

Cæterùm auis altera non immolari iubetur, sed libera & soluta dimittitur ad volandum: sic tamen, vt prius alterius passeris immolati sanguine tingatur. Hanc autem auem, quæ ad volandum destinata est, spiritum nostrum esse paulo antea diximus; quem ab affectibus carnis liberum, pennis orationis & sanctæ meditationis ad sublimia eleuare iubemur. Sunt enim nō pauci, quibus Propheticum illud conuenit, Sordes eius in pedibus *Thren. 1.* eius, nec recordata est finis sui. Hoc est, sunt plurimi qui cælestis hæreditatis & patriæ, ad quam à Deo misericorditer conditi sunt, prorsus obliti, desideriorū & affectuū suorum pedes in terrenarum rerum sordibus defixerunt. Itaque vt de terra sunt, ita de terra loquuntur, de terra cogitant, & terrena semper animo versant. In quo mihi non modò serpentibus, quæ terram comedunt cunctis diebus, sed vilissimis etiam animantibus, quæ motu carent, & terræ affixa sunt (qualia conchylia & quædam alia esse dicunt) similes esse videntur. Sicut enim hæc ita terræ affi- *Simil.* xa sunt, vt nullo modo ab ea dimouere se valeāt, quia motu carent: ita multi, quodam amoris glutino sic terrenis rebus adhæserunt, vt nullis Ecclesiæ vocibus, nullis Dei terroribus atque promissis, nullis denique diuinis plagis aut beneficiis ab hoc amore auocentur. Qui ergo sic terrenis rebus hęrent, ij iam non solùm oculos suos in terram declinare statuerunt, sed omnes etiam sensus animæ in terra cōdiderunt. Vbi enim amor est, ibi nō solùm oculus, sed mens etiam & omnes eius vires, implicitæ & infixæ sunt. Ab hoc ergo terrenorum amore & studio hac Dei lege reuocamur, cùm alterā ex auibus ad volandum liberam dimittere iubemur. Hoc autem præstamus, cùm mētem nostram

à terre-

à terrenis rebus abductam, ad cęlestem patriam eleuamus, & in cælestium rerum amore conquiescimus: quando Dei beneficia atque promissa cogitamus: quando ore cordis in superna fluenta fontis vitæ inhiamus: quando ascensiones in corde nostro in hac lachrymarum valle disponimus, & cātamus Canticum graduum: quādo eleuamur vt aquilæ, & in arduis nidum nostrum collocamus: quādo incipimus cogitare à quo & in quem finem conditi & ficti simus, & quid tandem post hanc vitam futuri sumus, ac deniq. quando cum Propheta dicere possumus, Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi: vt hoc videlicet auxilio instructi, & hostes debellare, & cupiditates frenare, & carnem spiritui subiicere, ac deniq. sanctissimas Dei leges seruare possimus. Scriptum est enim, Qui conseruat legem, multiplicat orationem. Lex enim diuinæ gratiæ auxilio seruatur: gratia verò orationis studio impetratur. Hoc ergo iterum atque iterum à vobis requiro, fratres, vt statis quotidie temporibus, auem hanc, hoc est, spiritum atque mentem vestram, hac ratione ad volandum liberam permittatis. Quod facitis, quoties pio deuoti animi studio, sanctis precibus atque rerum diuinarum considerationi vacatis.

Psal. 120.

Eccl. 35.

Sed quid illud est, quòd hanc auem intingi iubet lex in sanguine passeris immolati? Quorsum hoc? Neque enim temerè aliquid in hac diuina lege positum esse çertū est. Quid ergo erit volaturam auem sanguine delinire? Ad hoc igitur sciēdum est duplicem esse mentis volatum: alterum Philosophorū, alterum Christianorum. Nam & Philosophi cælestia & diuina contemplabantur: vtpote qui felicitatem hominis in diuinarum rerum contemplatione sitam esse definiebant. Qui tamen hoc opere non carnis macerationem & crucem, sed spiritualem quandam animi voluptatem & oblectationem captabant. Atque ita non Dei, sed sui ipsorum amore in hoc opere ducebantur. Talis ergo erat volatus Philosophorum. Nos verò qui Christiani sumus, qui Christum in cruce positum adoramus, & per crucem ad regnum peruenire contendimus, longè aliud in hoc mentis nostræ volatu captare debemus. Nō enim nos ipsos quærimus, sed Christum; non voluptatem, sed crucem; non oblectationem mentis, sed castigationem carnis: ideoque volatus noster sanguine tingendus est, vtpote qui non tam ad voluptatē nostram, quàm ad crucem & sanguinem destinatur. Hoc est, vt omnem illam suauitatem & amorem quem contemplatione percipimus, ad ferenda diuinæ legis onera, & cupiditates interimendas confe-

conferamus. Itaque quotiescunque Dominus pios homines in hoc volatu reficit & consolatur, ad labores & certamina paratiores & instructiores reddit. Nam quo magis in Deo delectantur, hoc magis contra huius mũdi prospera & aduersa muniuntur. Quemadmodum enim medici salutaria pharmaca, quæ frequenter amara sunt, melle aut saccaro delibuta ægrotis porrigunt: ita cælestis medicus pios homines charitatis deliciis allicit, allectos verò variis laboribus & certaminibus exercet. Vnde colligimus, fratres, orationis studio studium quoq. mortificationis esse iungendum, vt has duas aues, qua ratione lex præcipit, Domino immolemus. Hoc enim modo cupiditatum nostrarum abdicatio facilior est, cũ orationis suauitate iuuatur. Quod cõtrà quidam nimium sui amantes, & spirituales quodam modo Epicuri faciunt, qui in hoc officio, philosophorum more, suauitatem magis quàm crucem Christi quærunt. Qua quidem re variis antiqui hostis fraudibus & insidiis patent: cùm ex illa quam percipiunt voluptate aliquid se esse putant, cùm re vera qui affectibus suis propriæque voluntati seruiunt, nihil sint. Simil.

IIII.

Hactenus de auium oblatione & sacrificio. Superest aliud in hac lege non minus reconditum, quod nobis indagandum est. Leprosus enim deinde passeris immolati sanguine septies aspergi iubetur: idque hyssopo ad lignum cedrinum filo ex cocco bis tincto, ligata. Nihil horum mysterio vacat. Et quidem hyssopus cedro ligata, hoc est, humilis herba proceræ & nobilissimæ arbori coniuncta, quid aliud quâm diuinæ & humanæ, hoc est, altissimæ & humillimæ naturæ in Christo coniunctionem significat? Quid verò coccus ille bis tinctus, quo cedrus hyssopo alligatur, nisi duplicem Christi Domini in Deum & homines charitatem designat? Hæc enim gemina charitas illum cum humana natura copulauit. Quid enim aliud nisi ardentissima eius charitas huius admirandæ coniunctionis causa esse potuit? Hæc ergo hyssopus, qua lepra olim infecti homines tingebantur, ille nimirum est, de quo Ioannes ait, Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Qua quidem hyssopo à peccatis suis mundari regius Propheta petebat, cùm diceret, Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor. Sciebat enim vir sanctus nequaquam hyssopum illam, sed Christum Dominum, qui in illa adumbrabatur, à peccati lepra homines mundare. Sed quid est, quòd hæc hyssopus passeris immolati sanguine tingenda primùm est, & ea dein- Apoc. 1. Psal. 50.

ea deinceps leprosus aspergẽdus? Hæc res, fratres, insignẽ quandam vereque Christianam continet philosophiam. Quam intelligatis, scitote fuisse hæreticos in Ecclesia, qui asserent homines solo operum suorum merito, sine vllo Christi meritis æternam salutem promereri: quales Pelagiani extitere, qui salutẽ nostrã nõ Christi meritis, sed humanis operibus tribuebant. Contra verò sunt alij, qui meritis nostris adeò nihil tribuunt, vt opera nostra omnia scelere alligata esse contendant. Vnde colligunt sola Christi merita sine vllis nostris meritis aut operibus, salutem & immortalitatis gloriam largiri. Hic enim hæreticorum mos est, vt nunquam media, hoc est, regia via gradiantur: sed ab ea declinantes, diuerticula semper quærant: quibus *Genes. 30.* vel in Scyllam incidant, vel in Charybdim. Quorum in tacito typum tenuit Laban cum genero agens: qui primum quidem ex gregibus ouium alba quæque aut nigra in suam sortem cedere voluit: cùm tamen sanctus Iacob varia & maculosa eligeret, quæ inter vtraque illa velut media erant. Vterque ergo nobis scopulus declinandus est, & media via incedendum. Non ergo solus nobis ad emundationem sufficit sacrificij sanguis: nec sola sufficit hyssopus: hoc est, non solùm sufficiunt nobis labores & opera nostra (vt Pelagiani falsò iactitant) nec solùm vllo studio nostro Christi Seruatoris merita (vt infelices nostræ hæretici blaterant) quæ alioqui ex se sufficientissima sunt, quod in Baptismo paruulorum liquet, sed vtrunque simul necessarium est. Hoc est, vt laboribus Christi labores nostros, operibus opera, lachrymis lachrymas, precibus preces, atque denique sanguinem sanguini, hoc est, dolores doloribus coniungamus. Id enim est, quòd hyssopus tingi præcipitur sanguine passeris immolati: vt quemadmodum ille pro nobis, ita nos propter illum laboremus: sicut ille pro nobis carnem suam crucifixit, ita nos propter illum nostram crucifigamus: non quòd nostri per se labores quicquam apud Deum valeant, sed quòd merito laborum eius æterna vita digni habeantur, vt salutis & redemptionis nostræ auctor ipse sit.

Quid autem est, quòd septies aspergi leprosus iubetur hyssopo? Nempe hoc septenario numero virtus sacramentorum significatur. Quid ergo est septies aspergi hyssopo, nisi apertè declarari in omnibus sacramentis operari atque applicari virtutem Christi, quem hyssopo diximus adumbrari? Septies igitur leprosus aspergendus est: quia septem sacramẽtorum vsu atque virtute salus homini, & puritas animæ cõtingit. Hoc ergo symbolo

bolo monemur, fratres, vt quicunque salutem & puritatem animæ nobis parare, & partam perpetuò retinere volumus, ad sacramentorum opem & virtutem suppliciter, frequenter, atq. deuotè confugiamus: quo meritorum passionis Christi participes efficiamur, in qua salus, vita, & resurrectio nostra est.

Sed quid est, quòd omnes pilos corporis radere etiam leprosi iubentur? Pili corporis ex humoris redūdantia generantur: qui si corrupti sint, pili quoque ex eis prodeuntes eandem retinent corruptionem. Quo quid aliud intelligimus, quàm veterem hominem cum actibus suis exuendum, & nouum induendum, qui secundum Deum creatus sit in iustitia & sanctitate veritatis? Ephes. 4. Dandi ergo opera est, vt quatenus fieri possit, quicquid in nobis pristinæ vetustatis fuerit, abscindamus: nec anteactæ vitæ moribus & affectibus, quos ex lepræ contagio ortos esse constiterit, confidamus. Quicquid enim prioris vitæ fuit, cùm peccati lepra animus erat infectus, licet non in vniuersum detestandum sit, suspectum tamen nobis esse debet: & ideò vel cauendum, vel diligenter examinandum est.

Quid verò illud, quòd vestis etiam lauari iubetur? Si rei naturam spectes, ratio in promptu est: ne videlicet corpus iterum ab infecta & sordida veste inficiatur. Sed nos tamen ea cura docemur, vt omnes præcedentium delictorum occasiones sollicitè fugiamus: ne in eadem rursus mala relabamur. Quisquis enim verus honestatis & puritatis cultor esse cupit, eodem propemodum studio & peccata ipsa & peccandi occasiones vitare debet. Hac enim ratione fiet, vt ab omni peccatorum contagio purgatus, cæleſtem illam ciuitatem ingredi mereatur, in Apoc. 21. quam nihil intrat coinquinatum & immundum, in qua perennis ille puritatis & sanctitatis fons, cum beatis illis Mentibus, quæ eiusdem puritatis & sanctitatis participes sunt, per infinita & sempiterna seculorum secula regnat, Amen.

DOMI-

DOMINICA XIIII. POST PENTECOSTEN CONCIO PRIMA: in qua lectio Euangelica explanatur.

THE. *Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Matth. 6.



Nter alia clarissima nomina quibus Esaias eximiam Saluatoris nostri dignitatem & gloriam explicare voluit, consiliarij nomen singulari quadam ratione celebratur; quòd is in aduētu suo saluberrima consilia esset hominibus daturus. In his autem quæ proposui verbis atque adeò in tota huius diei Euangelica lectione mirum quoddam nobis consilium præbetur: quod qui tota mente ac plena fide fuerit amplexatus, omnes regum opes atque diuitias, imò & maius aliquid se credat affectum. Neque enim terrenæ opes atque diuitiæ quamlibet magnę sint, animum à multis curis, angoribus, & perturbationibus liberant, aut vitam ab omni solicitudine & inani formidine immunem degere sinunt: ab his autem malis nos magni consilij Angelus in sacra huius diei lectione eripere conatur. Illud verò est felicem esse, & Deo quàm simillimum fieri, qui in summa pace & tranquillitate vitā agit beatissimam. Quocirca ad hanc cælestem philosophiam amplectendam adigit nos non solùm erga Deum amor, sed etiam nostri ipsorum amor: non modò gratia, sed etiam natura: non solùm futurorum bonorum expectatio, sed etiam præsentium fructus. Quia verò curarum & solicitudinū fons & origo auaritia est, ab hac etiam nos in præsenti lectione cælestis magister deterret, quo extincta matre, filia simul cū ea extinguatur. Quoniam autē omnia sacræ huius lectionis verba miram quandam ex se spirant suauitatem dum paternam Dei nostri curam & prouidentiam non erga magna tantùm, sed erga minima etiā nobis ob oculos ponunt, libet ea simplici oratione referre, latiùs eadē in tota concione explanaturus. Est autē hæc sacra lectio pars quædam diuinissimi illius sermonis quem Dominus ad discipulos in mōte habuit, in quo tota pænè Euangelicæ vitæ perfectio disertissimis ab eo verbis atque documentis traditur. Inter ea verò hoc etiam saluberrimum (vt dixi) consilium à Domino his verbis proponitur.

Nemo

Nemo potest duobus Dominis seruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget; aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. Et cætera quæ sequuntur vsque in finem.

AVE MARIA.

Quid Dominus ac Saluator noster in hodierna S. Euangelij lectione præcipuè intendat, verba quæ initiò proposui apertè declarant. Vult enim nos sine anxia terrenarum rerum solicitudine placidam & tranquillã vitam agere, solamq́. bonæ conscientiæ curam gerere. Quia verò auaritia est quæ vt aliorũ vitiorum, ita & curarum atq. solicitudinum omniũ seminariũ est, hanc præcipuè à mentibus nostris eliminare contendit, vt radice penitus auulsa, curarũ & vitiorum rami ab ea pullulãtes cum ea pariter euellantur. Hanc Græci appositissimo nomine vitiorum metropolim esse dicunt, quod ad eam omnia vitia confluant, vt illi suo quodque modo famulentur.

Cùm igitur cælestis magister auaritiam vitiorum atque solicitudinũ fontem esse intelligeret, omni ratione nos ab ea cùm in tota Euãgelica doctrina, tum præcipuè in hodierna S. Euangelij lectione dehortatur, quo vitam ab omni peccati labe & inani solicitudine immunẽ degere valeamus. Ait igitur: *Nemo potest duobus Dominis seruire. Aut enim vnum odio habebit &c.* Cùm domini aduersis inter se moribus dissident, quî fieri potest, vt vtrisque pari studio atque obedientia seruire quis valeat? Si aliter silere, aliter loqui; alter flere, alter ridere; alter strenuè laborare, alter ludere & otiari iubeat, quomodo quisquam hæc inter se pugnantia imperia exequi poterit? Quàm acriter autem duo isti Domini, Deus & Mammona hoc est, diuitiarum cupiditas inter se pugnent, varia vtriusque imperia declarant. Alter liberalis est, alter auarus; alter misericors, alter crudelis; alter benignè largiri, alter tenaciter seruare iubet; alter dandi, alter rapiendi magister; alter vult hominum omnibus viuere, alter vni sibi viuere cupit; alter terrena omnia contemnens, solam virtutis rationem habet, alter cætera parui pendens, vni pecuniæ studet: alter aquilæ instar superiora petens in cælo conuersatur, alter cælestia deserens, serpentis more terrã comedit cunctis diebus. Denique alter nos ad omnia bona extimulat, alter contrà ad mala omnia (quod eius nomen indicat) nos inducit. Hac enim de causa alio in loco Mammona iniquitatis à Domino appellatur. Rectè ergo Dominus hoc in loco subiungit: *Non potestis Deo seruire & Mammonæ.*

Seruire autem dixit, quia aliud est pecuniæ seruire, aliud pe-
cuniam possidere. Possidere enim dominorum est, seruire au-
tem mancipiorum. Quid igitur est quod hominem liberū ver-
tit in mancipium? Certè immoderatus pecuniæ amor. Nullum
enim maius vinculum cordis, quàm vehemens erga rem ali-
Matth.6. quam amoris affectus. Hinc enim Saluator: Vbi, inquit, est the-
saurus tuus, ibi est & cor tuum. Cùm ergo auari hominis the-
saurus pecunia sit, ibi etiam cor eius est, ibi curæ & cogitatio-
nes, ibi desideria, ibi summa eius felicitas est. Qua ergo ratione
hic in vno Deo acquiescet, quomodo illum toto corde diliget,
qui totum pecuniæ amore occupatum habet? Hoc est igitur
non pecuniam possidere, sed pecuniæ seruire; non diuitiarum
Dominum, sed seruum esse. Sic enim regius vates illum vocat,
cùm ait: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt om-
Psal.75. nes viri diuitiarum in manibus suis. Prudenter autem viros
diuitiarum, non diuitias virorum quasi earum Dominos, sed vi-
ros diuitiarum quasi seruos appellat; quorum omne studium in
paranda & cumulanda pecunia versatur; quam frequenter
attingere quidem audent. Vt enim pecuniæ parcant, sibi ip-
parcunt, maioremque interdum pecuniæ quàm salutis suæ ra-
tionem habent, erga seipsos crudeles & inhumani, vt pij quo-
Ad Ephes. cap.5. dammodo erga pecuniam sint. Quos Apostolus non modo pe-
cuniæ seruos, sed etiam idolorum cultores appellat, qui ea-
quidem vt pecuniam cumulent, Dei leges transgredi non ve-
rentur. Rectè ergo Dominus: *Non potestis Deo seruire &
Mammonæ.*

Verùm dicet aliquis: Quid ergo is faciet qui familiam ali-
debet qui vxoris & liberorum curam gerit, si tu illi solicitudi-
nem istam adimis, quæ velut calcar est, quo homo diligenter &
solicitè curet & inquirat ea quæ ad hoc ministerium necessaria
sunt? Non ab vno, fratres, singulare quoddam Dei munus &
beneficium esse inter hæc incommoda quæ nos exterius pun-
gunt, pacem & tranquillitatem animi seruare, neque hos cura-
rum aculeos in animo habere. Nihilominus tamen cælestis
medicus hanc cordis nostri plagam curare nititur, ad quod effi-
cacissima rationum medicamenta in sacra huius diei lectione
nobis exhibet, vt omni immodica solicitudine pulsa, pacem in
animo retineamus.

Verùm medicamenta hæc non ad omnes omnium ordinum
homines spectant; sed ad eos solū diriguntur, qui cælesti spiritu
hausto, Dei filij meritò nominantur. Hoc enim Saluator in hoc

Euan

Euangelio innuit cùm dicit: *Scit enim pater vester quia his omnibus indigetis.* Quicunq. igitur filij Dei sunt qui Dei regnum Matth. 6.
& iustitiam quæ nos ducit ad illud studiosè quærunt, hi planè omni solicitudine vacare iubentur, cùm Deum parentem agnoscant, qui plusquam paternam filiorum suorum curam gerit. Quam rem omnia diuinarum literarum volumina vbique decantant. Sic diuinus Psaltes: Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Et alio in loco, Diuites, inquit, siue (vt alij verterunt) Leones eguerunt & esurierunt; inquirentes autem Dominum nõ minuentur omni bono. Ad pios igitur & ad eos qui filiorum Dei nomina sortiuntur, hæc doctrina dirigitur. De improbis namque alibi Dominus ait, Non pascam vos: quod moritur, moriatur; & quod occiditur, occidatur; & reliqui deuorent vnusquisque carnem proximi sui. Sed iã quibus rationibus Dominus hoc persuadere conetur, inspiciamus.

Nónne, inquit, *anima plus est, quàm esca, & corpus plusquàm vestimentum?* Hoc est, Qui maiora præstitit, vtique minora præstabit. Hac ratione monemur, vt in maiora Dei beneficia oculos coniiciamus, & ex præteritis futura, & ex maioribus minora sperare discamus. Sic enim sancti olim Patriarchæ Abraham, Iacob, Dauid, cæterique patres, qui in calamitatibus suis paternam Domini prouidentiam & misericordiam experti erant, & ad eandem in periculis omnibus fidenti & alacri animo confugiebant. Hoc igitur exemplo, fratres, ad præterita Domini beneficia mentis oculos reuocate, vt ex maioribus minora sperare discatis. *Nónne, inquit, anima plus est quàm esca, & corpus plusquam vestimentum?* Hoc est, Deus tibi corpus istud tam variis membris & sensibus instructum contulit: ipse ossa tua in vtero grauidæ matris compinxit & coagmentauit: ipse animam imaginis diuinæ similitudine decoratam, totq. viribus ad functiones suas exercendas ornatam donauit. Sed hæc alioqui magna, aliorum tamen comparatione exigua sunt. Quanto enim maius est, quod salutis tuæ constituendæ gratia, immensa illa & infinita maiestas è sublimi diuinitatis suæ solio in terram descenderit, humanamq. naturã induerit, in qua famẽ, sitim, frigus, æstus, inopiã, calumnias, persecutiones, falsa testimonia, & mille labores pertulit, ac postremò vt vitã nobis immortalẽ conferret, acerbissimũ mortis suppliciũ pertulit, ipsumq. sacratissimũ corpus & sanguinẽ, quem pro nobis in cruce immolauit, quotidie nobis in viuificũ & salutarem animarũ nostrarũ cibũ & potum

præbet, ac postremò quod nobis in alimentum modò præbet, posteà in sempiternum daturus est præmium. Nũc quæro à vobis, fratres, an hæc esse diuina beneficia vobis impensa credatis, an non credatis? Si non creditis, non modò ingrati, sed etiam infideles estis, qui hæc beneficia esse diuina negatis. Si verò creditis, quî fieri potest, vt qui tam magna in vos beneficia contulit, vitæ subsidia quæ brutis non negantur, vobis negaturus sit? Qui vobis seipsum, qui carnem, qui sanguinem, qui vitam donauit, quomodo frustum panis in vsum vitæ non ministrabit?

Proptereà si vos ab illo excellentissima gratię & futuræ gloriæ dona speratis (quarum rerum spem nec totius quidem mundi imperio commutabitis) quomodo res adeò paruas, quæ infidelibus etiam barbarisque nationibus abundè suppeditantur, vobis est negaturus? Quî enim fieri potest, vt hæc tam magnifica à Deo dona sperare possitis, hæc autem minima desperetis? An non periculum est, ne vobis Dominus dicat quod olim filiis Israël simili diffidentia trepidantibus dixit: Quousque populus iste non credet mihi in cunctis mirabilibus meis? Iam enim per decem vices tentauerunt me. Vt enim isti adeò stupidi erant, nec tot perceptis Domini beneficiis futurorum spem colligerent; ita nos simili mẽtis stupore oppressi, cùm tam magni nominis beneficia perceperimus, minima hæc sperare dedisci. Hæc igitur est prima ratio, fratres, qua nos Dominus & ad spem in paterna eius misericordia & prouidentia collocãdam adhortatur, & diffidentiam atque hæsitantiam nostram accusat.

I.

Sequitur altera, quę non minus habet ponderis. *Respicite volatilia cæli, quæ non serunt, nęque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cælestis pascit illa. Nónne vos magis pluris estis illis?* Mira planè philosophia. Animaduertite, quæso, quàm multa brutorum animantium in terra, quàm multa piscium in mari, quàm multa volucrum & volatilium in aëre, vt omittam interim quàm multæ vermiculorum species in his tribus regionibus versentur. Vincitur certè numerus specierum & indiuiduorum multitudine. Omnia autem hæc animalia vitam habent, & cibum item vitæ atque naturæ suæ accommodatum. Et tamen cùm adeò multa sint, nulli suum alimentũ deest, nullum fame perit. Qua in re mirabiliter diuinæ prouidentiæ solertia elucet. Vt enim maximè varia sunt alimentorũ genera, ita maximè variæ sunt in iis animantibus artes, & vires, & instrumenta; quibus vnumquodq. suum sibi alimentum aut vi rapere, aut

anteparare, aut insidiis captare, aut etiam retibus illaqueare pos-
sit. Quid hîc formicarum prouidētiam, quid apum industriam,
quid bombicum fila, quid araneorum telas & retia & insidias
quibus muscas venentur, quarum sanguine alūtur commemo-
rem? Quò autem hæc animalia minora sūnt, eò maiorem diui-
næ prouidentiæ sapientiam, potentiamque declarant, quæ tan-
tum industriæ, tantum artis & intelligentiæ in tam exiguis cor-
pusculis collocauit. Nisi hæc enim omnia magnam nobis ad-
mirationis materiam, diuinæque prouidentię notitiam præbe-
rent, nequaquam Dominus inter cætera sapientiæ & prouiden-
tiæ suæ argumenta hoc etiam commemoraret, cùm ad Iob ait: Iob 38.
Quis præparat coruo escam suam quando pulli eius clamāt ad
Deum vagantes eò quòd non habeāt cibos? Et in Psal. Qui dat Psal. 146.
iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocātibus eum.
Cur autem hoc in loco pullorum corui præcipuè meminerit, in
causa est, quòd in his miro modo singularis prouidentiæ cura e-
lucet. Ait enim interpres quidam coruorum pullos cùm implu-
mes adhuc sunt candorem præ se ferre: ideoque à parentibus vt
nothos negligi, quòd eorum non referant colorem. Quo tem-
pore diuina prouidētia quę nusquam dormit, eos ad se claman-
tes alit. Vermiculos enim quosdam in nidulo nasci constituit,
quorū esu sustentantur donec nono tādem die nascentibus plu-
mis parentum colorem referant, atque ita demum ab illis nu-
triātur. Cùm igitur diuina prouidentia nulla in re neq. animal-
culis istis etiam si à patribus deserantur desit, quanta illa diffi-
dentia est, quę solis hominibus eam deesse profitetur? Si homo
inter omnes inferioris huius mundi creaturas nobilissimum &
pulcherrimum animal est, si solus ipse Dei imagine insignitus,
si ipse huius magnæ familię princeps ac Dominus est, si eius ob-
sequio cuncta militant, si omnia rerum conditor subiecit pedi-
bus eius oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi, &c.
quî fieri potest, vt cùm huius mundi moderator Dominus nul-
lum neque animalculum neque vermiculum à prouidentię suę
cura excludat, sed omnibus abundè omnia suppeditat, pium ho-
minem (cuius obsequio cuncta destinauit) fame & inedia con-
fici patiatur? Si pater aliquis filij sui familiam, seruos, ancillas, & Simil.
iumenta diligenter curaret, illisq. necessaria abundè prouide-
ret, quomodo filium fame perire sineret, cuius familiam tanta
cura fouet & alit? Quis enim hoc in animum inducere possit?
Hæc igitur altera ratio est, qua cęlestis magister diffidentiam no-
stram curare, & spem alere atque fulcire studet.

 Addit

Addit aliam. *Quis, inquit, vestrum cogitans potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum?* Si quis quā inter homines ab... ti iam corporis mensuram superare vellet, & magna huius cupiditate ac solicitudine angeretur, num posset is hac solici... dine staturæ suæ cubiti mensuram adiicere? Nullo modo. Cor... porum quippe quantitas atque mensura nequaquam ex hu... na solicitudine, sed ex diuina voluntate & prouidentia pe... quæ statas corporibus cunctis mensuras designauit, vt po... omnia in numero, pondere & mensura fecerit, quam pr... gredi nemo potest: qua etiam mensura humanæ vitæ sp...

Iob 14. finiuit; de qua S. Iob: Constituisti, ait, terminos eius qui ... iri nō poterūt. Quorsum hæc? Vt hac ratione intelligam... nam prouidentiā adeò latè patere, vt quemadmodū nulla ... tudo, aut industria statam corporis nostri mensuram & vitæ ... stræ spatia à Deo destinata prætergredi potest; ita diuitiar... terrenorumque bonorum vel copia vel inopia ab eadem pr... dentia sic pendet, vt solicitudo nostra, illo aduersante, ... Inde fit, vt alij minimo negotio diuites, alij verò magna ... bita cura & solicitudine paupertate premantur. Quam ... diuina prouidentia manare Ecclesiasticus docet his verb...

Eccl. 11. homo laborans & festinans, & tanto magis non abundat ... homo marcidus egens recuperatione, plus deficiens vir... abundans paupertate, & oculus Dei respexit illū in bono ... altauit caput eius, & mirati sunt in illo multi, & honorau... Deum. Quibus verbis Ecclesiasticus fortunas hominum ... uina prouidentia pendere innuit; quod apertius declara... protinus subdit, Bona & mala, vita & mors, paupertas & ... stas à Deo sunt. Hanc autem Philosophiam non assequ... tur diues ille qui horrea sua demoliri, & ampliora facere ... nabat, vbi opes suas ad longa tempora congereret; cui hoc ... deliranti in ipsa nocte dictum est, Stulte, hac nocte repetent ... animam tuam: ea quæ parasti, cuius erunt? Itaque non so... corporum mensura & vitæ diuturnitas à diuina prouide... pendet, sed opes etiam & inopia eidem prouidentiæ subiici... tur. Quod qui non credunt, illorum dementiam atque pe... diam sectari videntur; qui quoniam in montibus ab Israë...

3. Reg. 20. superati fuêre, dixerunt: Dij montium sunt dij eorum; ideo ... superauerunt nos. Sed melius est vt pugnemus contra eos ... campestribus, & obtinebimus eos. Non minus igitur quàm ... errant qui alia diuinæ prouidentiæ subiiciunt, alia adimūt, c... omnia ita sub illius ductu & imperio contineantur, vt ne pa... cu...

cuiusquidem sine cælestis patris prouidentia laqueo irretiatur. Quaquidem sentẽtia cælestis magister miro modo diuinæ prouidentiæ curam amplificauit, à qua ne passerculum quidem exemptum esse voluit.

Sed demus te tibi sine Deo ad rem parandam sufficere posse. Quid hîc solicitudo, quid angor, quid curarum æstus, quid vigiles noctes quæ pectus tuum lacerant, quæ acres cordi aculeos infigunt, quæ vitam acerbã & miseram efficiunt; quid inquam hæc omnia ad patrimonia locupletanda conferunt? Adiuuat quidem aspirante Deo labor, industria, atque solertia, curæ autem atque solicitudines pectus dilaniantes quid ad hoc iuuant? Itaque hoc in loco Dominus non laborẽ prohibet, sed anxiam solicitudinem. Nec omnis etiam solicitudo inhibetur, sed ea potissimùm quę ex diffidentia & incredulitate proficiscitur, qua homo sibi magis, suæq́ue industriæ, quàm diuinæ prouidentiæ fidit. Itaque nolo vt hinc inertes homines otiandi & laboris fugitandi ansam arripiant, cùm Propheta beatos eos pronunciet, qui labores manuum suarum manducant. Et Apostolus ad hoc ipsum nos adhortatur quo & inopiæ nostræ cõsulamus, & paupertate constrictis subuenire valeamus. Hoc est igitur quod hac ratione Dominus à nobis exigit, vt omnem solicitudinem quæ nos ab ipso auocat mentemq́. perturbat fugiamus, cùm ea non magis ad rem parandam, quàm ad corporis nostri mensurã superandam adiuuet. Quid igitur homo faciet cùm hanc à se solicitudinem præcordiis inhærentem excutere non potest? Audiat Apostolorum principem qui nos omnem solicitudinẽ in Deum proiicere monet: Quoniam ipsi, inquit, cura est de vobis. (Pet. 1. cap. 5.) Et regius vates: Iacta, inquit, cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet. (Psal. 54.) Hoc autem prolato versiculo B. Franciscus, fratres suos ad eleemosynam petendam mittebat securus de Dei misericordia nihil illis in hoc itinere defuturum. Cùm igitur hos duos (vt innumeros alios præteream) locupletissimos diuinæ prouidentiæ testes habeamus, qui nos bono animo esse iubent, qui omnem à nobis cassam solicitudinem depellunt, qui Deum nostra curare & pro nobis solicitum esse asserunt; quis inter pios (cum iis enim sermo nobis est) fidem his testibus habens angi & solicitus esse atq. de hac diuina cura & prouidentia dubitare audeat? Credis ineffabile diuinæ trinitatis mysterium? Credo, inquies. Cur credis? Quia hoc diuina eloquia testantur. At eadem eloquia Deum paternam piorum curã gerere & pro nobis solicitum esse, vbique prædicant. Cur ergo minorẽ his testibus,

quàm illis fidem adhibes cùm vtrunque eiſdem ſacris lit
conſignatum ſit.

Addit aliam adhuc rationem his verbis Dominus: *De ve*
mento quid ſoliciti eſtis? Conſiderate lilia agri quomodo creſ
non laborant neque nent. Dico autem vobis quoniam nec Salo
in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut vnum ex iſtis. Huic ra
nihil video quod addi orati one noſtra poſſit. Ipſe enim
minus quid ex hac ſententia conſequi poſſet, apertè intulit
ſubdit; *Si fœnum agri quod hodie eſt, & cras in clibanum*
tur, Deus ſic veſtit, quantò magis vos modicæ fidei! Con
tem hanc liliorum, cæterorumque florum pulchritudin
oblectandos hominum oculos ab auctore naturæ inditam
ſe. Si ergo tantam Dominus paſcendis hominum oculi
ram adhibuit, quomodo veſtiendorum corporum curam
gliget?

II.

Satis ea quæ hactenus inducta ſunt, fratres, ad ſpem noſtr
fulciendam eſſe videbantur. Cæleſtis tamen magiſter infir
tatis noſtræ conſcius, alia adhuc ſpei noſtræ firmamenta a
cit. *Nolite*, ait, *ſoliciti eſſe dicentes: Quid manducabimus au*
bibemus aut quo operiemur: Hæc enim omnia gentes inqu
Magna planè vis in extrema huius orationis particula in
Dominus aliam eſſe gentium, hoc eſt infidelium, aliam
lium conditionem docet. Infidelis enim aut Deum eſſe n
dit, aut illum mortalia curare resque noſtras adminiſtra
putat. Hæc enim erat illorum ſententia, qui Deum circa
nes cæli verſari & res humanas minimè curare dictitaba
ti autem eorũ ligna & lapides & ſigna muta colebant: de qu
Pſal. 113. Propheta, Simulacra, inquit, gẽtium, argentum & aurum
ra manuum hominum: os habent & non loquentur; oculos
bent & non videbunt, &c. Quam ergo fiduciam huiuſm
Deorum cultores in illis habere poterunt, quos neque ocu
neque aures neque manus, quibus cultores ſuos adiuuent, h
bere ſciunt. At fidelis homo quantò aliter de Dei ſui prouide
tia ſentit? ſentit planè ea quæ de ſummo mundi huius condit
re & moderatore Deo ſentiẽda ſunt. Sentit illud quod Proph
Oſeę 11. ta canit, & ego quaſi nutritius Ephraim portabam eos in bra
chiis meis, & ipſi non intellexerunt quòd curarem eos. Sen
Eſaiæ 62. illud quod alio in loco idẽ Dominus ait, Super muros tuos Hie
ruſalem conſtitui cuſtodes tota die & nocte non tacebunt. Sen
Pſal. 120. tit ea omnia quæ regius vates in Pſal. 120. de diuina prouide

tia dicit: Non det in commotionem pedem tuum, neque dor-
miet qui custodit te. Ecce non dormitabit neque dormiet, qui Psal 90.
custodit Israël. Per diem Sol non vret te, neq. Luna per noctem. Quid verò illud etiam eiusdem vatis, Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis: in manibus portabunt te ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum? Dies me atque adeò vita ipsa deficeret, si omnia scripturarum testimonia, quæ hanc paternam Dei prouidentiam astruunt, hoc in loco recensere vellem cùm vix quicquam frequentius diuina volumina vbique decantent.

Cùm ergo fidelis homo singularem hanc Dei sui curam, qua pios omnes tuendos & beneficiis omnibus cumulandos suscipit profiteatur, nonne æquum est, vt longè aliam de Deo suo fiduciam quàm homo ethnicus habeat? Quid quæso magis præposterum quàm talia de Deo suo in intellectu habere testimonia, cùm tamen in voluntate diffidentiam atque hæsitantiã habeat? Arbitror planè infidelibus ipsis hanc nostram hęsitantiam & solicitudinem admirationi futuram, quæ tantoperè à fidei nostræ confessione dissentit, cùm aliud mente cogitemus atque credamus, aliud rebus ipsis, hoc est inani formidine atq. solicitudine fateamur. Quantò aliter sanctus ille Esdras qui cùm populum à captiuitate Babylonica in patrias sedes transferret, multaque in tam longo itinere pericula sibi imminere sciret, ausus non est auxiliares milites à Persarum rege petere, apud quem paternam Dei erga seruos suos prouidentiam prædicarat, ne hac petitione
professionis suæ fidem abrogaret. Eius hæc verba sunt: Erubui 1 Esd 8.
petere auxilium à rege, quia dixeramus regi; Manus Dei nostri super omnes qui quærunt eum in bonitate, & imperium eius & furor super omnes qui derelinquunt eum. Si enim auxiliares à rege copias postulassem, proximum erat, vt is mihi insultaret & paternam Dei nostri curam & prouidentiam esse inanem diceret, cùm ego alia præter ipsum patrocinia quærerem. Hæc erat sanè plena atque perfecta fides quæ quod ore prædicabat rebus ipsis profitebatur. At nos longè aliter qui quod verbis profitemur, moribus impugnamus vocem quidem habentes Iacob, manus autem Esau, hoc est fidem Christianorũ & diffidentiam atque opera ethnicorum.

Addit postremò aliam rationem Dominus, quæ paucis verbis non minus fiduciam nostram, quàm quæ hactenus inducta sunt fulcit & alit. Subdit enim. *Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis.* Hoc sanè constat eos omnes qui cum Deo in

gratiam redierunt, Deum patrem habere, quod vbique tu-
teris tum noui etiam testaméti literæ testantur. Cùm ergo
omnes hoc paterno amore Dominus prosequatur, cur trepi-
& soliciti esse debeant, qui talem parentem habent?

TRACTATIO THEMATIS, VEL ALIA CONCIO, QVÆ POST BREuiorem Euangelicæ lectionis explanationem adornari poterit.

IIII.

TOta autem huius Euangelij doctrina, vt videre po-
fratres, auaritiam vitiorum radicem & curarum atq;
licitudinum matrem accusat, eáq; à mentibus nostris tan-
exitialem morbum profligare intendit. Aduersus quam r-
non modò à sanctis patribus, sed à Philosophis etiam rem-
excogitata sunt: inter quæ illud primum est, vt re vera eam
morbum animæ intelligamus. Quam rem grauissimis rat-
Plutarchus. bus appositissimisq; similitudinibus insignis ille inter m-
Philosophos Plutarchus confirmat his verbis: Si quis m-
ederit multumque biberit, nec vnquam expleatur, adi-
cos, percontatur quid sit morbi, quæ sit affectio, qua-
queat leuari. At, si quis habens quinque lectos, requirat d-
ac decem possidens mensas, alteras totidem coëmat; cu-
multũ adsit agrorum, multũ pecuniæ, non tamen expleat-
rùm in alia inhians vigilet, nullisque omnino rebus sati-
sit, an non hic existimabit sibi opus esse à quo curetur, q-
Simil. ostendat quibus ex causis morbus is sit ortus? Ac sanè qu-
nondũ biberit sitiat, futurum expectes, vt is simulatq; bib-
siti liberetur; cũ verò qui continenter bibat, nec vllum fac-
nem, huic non expletione, sed purgatione iudicamus opus
iubemusque vomere, quippe qui non perturbetur inopia,
ardore, caloreque quopiam qui præter naturam inest. Ergo
eget atque inopia laborat ex eorum numero qui parant fac-
tes, fortassè quiescet parata domo aut inuento thesauro. At
plura quàm sat est possidet, plura nihilominus cõcupiscens,
nec aurum, nec argentum sanare potest, nec equi, nec oues, n-
boues, sed vomitu ac purgatione opus habet. Nec enim hu-
morbi causa est penuria, sed insatiabilitas amorq; diuitiarum
prauo iudicio proficiscens. Id nisi quis reuellat ab animo,
malum transuersum inhærẽs, non desinet immodicis egere.

est desiderare ea, quibus non est opus. Quandoquidē pecuniarum inopiam (quemadmodum ait Menander) vel vnus amicus bene merens sustulerit. At illam animi penuriam ne vniuersi quidem expleant neque viuentes, nec vita functi. Quare illud eleganter in hoc dictum est à Solone:

Haud est finis opum fixus mortalibus vllus.

Hactenus Plutarchus: qui elegantissima hac similitudine eius, qui semper bibit & esurit, nec tamen sitim aut famē sedat, auaritiam esse animi morbum probat. Adiungit & aliā similitu- Simili.
dinem eius qui vehementi frigore cōstringitur: qui si nullis vestibus aut operimentis aliis super aliis adiectis calefieri possit, frigus quidem illud non à circūfuso aëre, aut nuditate, aut hyemis intemperie, sed à morbo proficisci diiudicamus. Simili ergo ratione morbo animi laborare eos cognoscimus, qui nullis opibus cupiditatis suæ intemperantiam curare possunt. Quę est igitur diuitiarū vtilitas, si eæ hanc animi sitim non sedant? Hoc igitur primum aduersus hunc morbum remedium est, vt videlicet verè morbū esse animi intelligamus. Aliud verò est vt homo Dauidis exemplo nō ambulet in magnis neque in mirabilibus super se: sed intra suam se mensuram modumque contineat, neque alias opes anxiè exquirat, quàm eas, de quibus Apostolus 1. Tim. 6.
ait: Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia, hoc est, animus sua sorte contentus, qui videlicet sibi sufficit, qui nihil aliud cupit, quàm quod habet, quique prudentissimam illā Senecæ vocem vsurpare potest: Si mihi res meæ non sufficiunt, ego sufficio rebus meis; hoc est, si illæ se votis meis non accōmodant, ego me illis accommodare noui. Qua in re egregiā illam Pauli vocem vsurpare visus est: Ego scio in his, in quibus sum, sufficiens esse. Hæ sunt igitur veræ opes atque diuitiæ, animus Philip. 4.
sua sorte contentus. Hinc Epictetus philosophus interrogatus quis esset inter homines diues, Cui, inquit, satis est quod habet. Socrates verò quærenti quisnam sibi videretur ditissimus, respondit: Qui paucissimis contentus est. Democritus verò rogatus quomodo quis diues fieri posset: Si, inquit, cupiditatum pauper fuerit. Vera enim inopia cupiditatum copia est. Quamobrem, idem pronunciabat eos qui naturalibus, hoc est, simplicitatis diuitiis contenti essent, ditiores iis esse qui multa possiderent, plura cuperent: illis enim nihil deesse, his multò plura quàm possiderent. Videtis ergo, fratres, spiritualem hanc cupiditatum abdicationem Philosophis quoque non incognitam fuisse: eamque non ad futuræ vitæ felicitatem modò,

sed

sed ad præsentem quoque animi pacem & tranquillitatem, rasque diuitias cum primis vtilem esse.

Adde his Aristotelis sententiã, qui cum hac Philosophia maximè cõsentit. Is namque mediocrem fortunam tutiorẽ & ampliorem esse dixit, cui nihil supersit, nihil desit. Quam illa etiam Salomonis verba cum Deo loquentis indicant, (inquit) rogaui te, ne deneges mihi antequàm moriar. Di & paupertatem ne dederis mihi, tribue tantum victui necessaria. Intellexit vir sapiens quod quemadmodum corporis nostri mediis qualitatibus fouetur, extremis tur: ita animus mediocri rerum successu facilè in officio netur, magnis verò opibus circunfluens, à statu rectitudi pè deducitur. Raræ enim virtutis & excelsi animi est, in fortuna non sublime sapere.

Prou. 30.

III.

His rationibus, fratres, aduersus auaritiæ malum certare terimus, aduersus quã sacra huius diei lectio acriter pugnat. perest modò extrema lectionis huius sententia, quæ singula Philosophiam continet; quam Dominus velut totius huius ctrinæ conclusionem his memorabilibus verbis intulit. *te ergo primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc om iicientur vobis.* Quæ quidem sententia tantum ponderis losophiæ habet, vt si quis à me requireret quæ nam esset rum omniũ quæ in hoc mundo grassantur causa, incun vtiq. respondere huius Dominicæ sententiæ obliuionẽ ac glectũ; à qua seculi homines sic abhorrent, vt veluti ex di aduersus eã pugnare videantur. Deus præcipit vt primùm ipsius regnum & iustitiam quæramus pollicens fore, vt quæ ad vitæ vsum pertinent vel non quæsita nobis adiicia homines autem adeò diuersa ratione vitam suam instituunt Dei regno atq. iustitia eius neglecta, sola ea, quæ negligend rant, omni studio & auiditate consectentur. Quo quid esse surdius, quid indignius potest? Meritò ergo S. ille Iob cum D loquens, Quare (inquit) posuisti me contrariũ tibi? Hoc est, Domine peccatis meis ita exigentibus, sic inuersus sum, vt o nia quæ tu mihi præcipis exhorreã, & quæ tu detestaris amp ctar, & quæ maximè à me curanda esse iubes negligam, & q maximè negligenda essent, tota auiditate complectar; quæ omnia primo loco quærenda sunt in postremis habeam, quæ rò in postremis, ea solùm te neglecto quæram?

Iob 7.

Ex hac igitur mentis humanæ peruersitate malorũ omni

(vt dixi) examina oriuntur. Homines namq. solàm huius vitæ rationē habentes, omnē penè futuræ curam abiecerunt. Totum enim eorum studium in terrenis bonis congerendis atque omni ratione cumulandis positum est. De his perpetuò cogitant, hæc student, hæc omni ratione siue iure, siue iniuria congerere student. Hæc vigilantes loquuntur, hæc dormientes somniant, in his spem, amorem & felicitatem suam summo illo et incomprehensibili bono neglecto repositā habent. Hos autē appositissima Dñs imagine Ezechieli Prophetæ in visione ostendit, in qua inter cætera populi sui nefanda facinora, hoc etiam ostendit, nempe quinque & viginti viros qui directa ad solis splendorem facie terga aduersus templum Domini versa habebant. Per hos autem homines illi maximè designantur, qui à Deo diuinisq. rebus auersi, oculos suos in mundanæ felicitatis splendore defixos semper habent; quibus nunquam Dominus venit in mentē nisi cùm ab eo aut corporis incolumitatem aut terrena bona requirunt. Quos Dominus per Oseam perstringit his verbis: Et non clamauerunt ad me in corde suo, sed vlulabāt in cubilibus suis, super triticum & vinum ruminabant. Hæc eos tantum cura solicitat, ad hoc Dei opem implorant; honoris autem, cultusque diuini cura nulla, nulla solicitudo est. Ezech. 8. Osee 7.

Hoc igitur, fratres (vt modò dixi) malorum omnium quæ in mundo versantur origo & seminarium est. Quocirca orandus assiduè nobis Deus est, vt colyrio suo mētis nostræ oculos inungat, quo cælesti claritate irradiati, huius tanti mali deformitatē videant. Deinde secedere paulisper à curis & tumultu terrenarum rerum oportet, vt in silentio cordis hanc Domini sententiam cum animo nostro cogitemus, Quærite primùm regnum Dei & iustitiam eius & hæc omnia adiicientur vobis. Quibus verbis Dominus huius negotij, quo Dei regnum & iustitia eius quæritur, dignitatem & necessitatem significare voluit. Quæ autem vis orationis, quæ dicendi copia hoc pro dignitate explicare queat? Quid enim hactenus fecit Dominus, imò quid non fecit, vt homines ad hoc regnum & iustitiam eius quęrendā excitaret? Ad hoc enim vastissimam hanc & mirabilē mundi machinam condidit quæ humanæ vitæ vsibus deseruiret, vt homo ipse hoc tanto beneficio affectus, se totum conditoris sui obsequio traderet. Iā verò aliud leges à Deo traditæ, & res gestę sanctorum omnium, atque adeò omnia diuina volumina ab initio ad finem vsque nisi hoc ipsum agunt, vt videlicet ante omnia Dei regnum & iustitiam eius quæramus. Quid prętereà omnia

diuina

diuina beneficia,quid sanctorum exempla,quid magnificen-
tissima promissa,quid terrores illati, opes ostensæ, nisi hoc ipsu
nobis suadent? Quòd si cælestia corpora mouentur, si stellæ
luminant, si Sol calore suo fouet & nutrit omnia, si nubes
mittunt imbres, si venti spirant, si aqua irrigat & fœcundat,
terra germinat, nonne hæc omnia eodem spectant? Ad
ipsum Deus Patriarchas, ad hoc Prophetas, ad hoc Apost
& Euangelistas, doctores cæterosque verbi Dei ministros
stinauit,sicut ipse per Prophetam dicit: Ego quoque suscitaui
Amos 2. filiis vestris Prophetas & de iuuenibus vestris Nazaræos,
doctrina,alij exemplo vitæ nos ad iustitiam regni huius
rent. Quid, quòd non solùm homines, sed ipsos etiam A
ad hoc ipsum misit,nec inferioris ordinis modò,sed etiam
Hebr. 1. rioris, quandoquidem (vt Apostolus ait) omnes sunt admi-
stratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hære-
tatem capiunt salutis? Quid verò illud? quàm stupēdum
non solùm beatissimos spiritus,sed ipsum etiam Spiritum
ctum cælestis pater in mundum misit,vt afflatu suo homi
hanc iustitiam excitaret,linguasque igneas illis donaret,
nes mundi nationes ad hoc regnum & iustitiam eius
dam conuocarent?

Supra hæc omnia nihil addi posse videbatur, quod
negotij magnitudinem declararet: longissimo tamen inter
hæc omnia superat ineffabile atque stupendū Dominicæ
nationis mysterium. Nihil enim neque maius neque mir
cogitari potest, quàm quod sempiternum Dei verbum
ad terram descenderit, humanam carnem induerit, & in
mines tribus ac triginta annis versatus fuerit, ac postrem
bissimo crucis supplicio vitam & sanguinē huius rei gratia
fuderit. Quid enim aliud eius vita, mors, doctrina, exem
miracula, promissa & beneficia nobis prædicant, nisi vt quæ
mus primū regnū Dei & iustitiam eius? Quale igitur illud
gotium est,quod ipsi rerum omnium conditori tanti cons
Quod si expensarum ratio, negotij pondus & magnitudin
declarat,quale quæso negotium illud est, quod post mundi
bricā tantaq. rerum molimina filij Dei morte & sanguine
ficiendum fuit? Cùm enim amator hominum Deus quos
didit homines ad regnum suum promerendum destinasset,
lisque ex altera parte sempiternam vitam & felicitatem si iu
tiam quærerent,ex altera verò sempiternam mortē & mise
si eam desererent propositam esse scirent, & vtriusque rei

dus & magnitudinem in æterna illa ſapientia ſua præſentē ha-
beret, nihil mirum ſi qui tanta homines ad imaginem ſuā con-
ditos charitate proſequebatur, his omnibus modis quos ex-
plicauimus ab iniuſtitia ad iuſtitiam & à ſempiterna morte ad
ſempiternam vitam reuocare voluerit. Quis igitur adeò ſtupi-
dus, adeoq. ſine mente erit qui etiam ſi vtranque hanc adeò diſ-
ſimilem ſortem ſibi paratam oculis minimè vſurparit, nō aper-
tè videat quale illud negotium ſit, ad quod nobis Dominus tot
adeò ſtupendis rationibus excitare curauerit? Quanta verò illa
hominum inſania eſt, quantus furor, quàm denſa mentis cali-
go, quæ tanta negligentia curat, quod immēſa illa bonitas & ſa-
pientia, quæ bonorū noſtrorum non eget, tanto propter nos ſtu-
dio ac diligentia curare voluerit. Quid enim minus homines a-
gunt, quàm vnum hoc quod ſolum agere debuerunt? Quid eſt
proh nefas, quod minoris quàm Dei regnum & iuſtitiā eius fa-
ciant quàm propter leuiſſima mundi lucra, inanis honoris, &
pecudum voluptates deſerunt atque contemnunt? Quis nō hîc
denſiſſimas mentium tenebras, quis carnis & peccati tyranni-
dem, quis ſerpentis antiqui fraudes, potētiam & præſtigias non
agnoſcat, qui ſic oculis noſtris illudit, vt hanc tantam rem, quam
cælum, terra, maria & ſupera atque infera omnia commendant
atq. mirantur pro nihilo ducant? Verè factus eſt Ephraim quaſi Oſeę 7.
columba ſeducta non habens cor. Quomodo enim cor, quo-
modo mentem & iudicium, ac poſtremò ſenſum habere credē-
dus eſt, qui adeò acres ad iuſtitiam ſtimulos neque ſentit neque
curat, neque penitus aduertit? An non cum illo iure ſuo Domi-
nus agere poterit ac dicere: Serue nequam & rebellis, quid am-
plius agere debui quàm quod ab origine mundi ad hæc vſque
tempora feci, vt te ad Dei regnū & iuſtitiā eius quærendā exci-
tarē? Tu tamen pro inſita tibi obduratione cordis atque malitia
ad omnia te rebellē, ad omnia te ſurdum, ad omnia indocilem
atq. inſenſibilem præbuiſti. Qui ergo monitis meis atque cla-
moribus cū tempus fuit diſciplinā accipere noluiſti, modò ma-
gno tuo malo intelliges quid feceris, quid amiſeris cū Deū vl-
torem experiaris in pœnis, cuius obtēperare monitis noluiſti.
Quiſquis igitur, fratres, inter vos, ab hoc tāto fulmine liberari
cupit, prudenter ſecum ita philoſophari incipiat, & ex his, quæ
hactenus diximus, hæc vel duo ſaltem ſibi ante oculos propo-
nat & dicat: Si hæc tanta mundi moles in hoc vnū à Deo cōdita
eſt, vt ego Dei regnum & iuſtitiam eius quærerē, ſi vnigenitus
Dei fili' paternę gloriæ ſplēdor & imago huius rei gratia aſſum-
pta ho-

pra hominis forma è cælis ad terram descendere, inter homi[nes] versari, ac postremò in crucē stupentibus Angelis agi sustin[uit] (vt cætera omittam, quæ huius rei gratia à Deo designata fu[erunt]) quid ego aliud curare, quid agere, quid sequi, quid amplect[i], quid cogitare, quid dies noctesque nisi hanc vnam rem, [cæ]teris omnibus valere iussis, meditari debeam, cuius pond[us &] amplitudinem tanta rerum molimina mihi commendant? [Hoc] quisquis cum animo suo assiduè cogitabit, verè prudens, [verè] Christi discipulus, & Christianus philosophus erit; isque [hanc] Domini sententiam imis visceribus infiget: Quærite pr[imum] regnum Dei iustitiam eius & hæc omnia adiicientur vo[bis]: quod nos regnum clementer perducere dignetur qui hoc [nobis] ad cęlestem gloriam iter misericorditer patefacere dignat[us est]: cui est gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

IN EADEM DOMINICA XIII[I] POST PENTECOSTEN CONCIO in qua lectio Euangelica explanatur.

THE. *Quærite primùm regnum Dei & iustitia[m eius], & hæc omnia adiicientur vobis.* Matth. 6.



Oc diuinis atque humanis legibus propo[situm est] fratres, vt homines ad bene beateque viu[endum] inducant. Hoc enim felicitatis humanæ ve[stigium &] fastigium & summa est. Bene autem viuere e[st, ab]que peccati contagio innocentem vitam a[gere]. Beatè autem viuere est omni solicitudine & angore, inan[i] formidine & cupiditate vacare. Vtrunque autem cælestis m[agi]ster in sacra huius diei lectione apud nos efficere conte[n]dum ab auaritia (quæ vitiorum omnium radix est) & ab o[mni] solicitudine & inani formidine (quæ ab eadem auaritia pr[o]ciscitur) grauissimis nos rationibus auocare conatur. Ita fie[t vt] si hanc eius doctrinam sectari velimus, ad hanc, quam dix[i], humanam felicitatem perueniamus, quæ peccatum omne, [om]nemque vanam solicitudinem ab humana mente depellit. [Pro]feram autem primū simplicibus verbis Euangelicā lectio[nem], eandem posteà in reliqua concione paulò fusius explica[turus].

Ait igitur Dominus: *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Aut enim vnũ odio habebit, & alterum diliget, aut vnum ſuſtinebit & alterum contemnet.* Et cætera, quæ ſequuntur vſque in finem.

AVE MARIA.

Celebris D. Hieronymi ſententia eſt, nihil eſſe Chriſtiano felicius cui promittitur regnum cælorum; nihil autem infelicius, qui de vita quotidie periclitetur. Vtraque ſententia quamuis in ſpecie minus appareat veriſſima eſt. Quid enim regni cæleſtis ſpe atque promiſſione felicius? At quàm multa nobis ſeſe paſſim offerunt impedimenta quæ nos ab hac tanta felicitate deiiciant? Taceo atrociſſimorum hoſtium noſtrorum carnis, mundi, atque dæmonis inſidias, qui communibus armis nos omni tempore & omni loco adoriuntur: taceo multiplicem periculorum & laqueorum paſſim occurrentium multitudinem, cùm omnis creatura (vt Sapiens ille ait) in tentationem & muſcipulam facta ſit pedibus inſipientium, ſolum commemoro neceſſitatis humanæ vinculum, quo ad vitæ ſubſidia quærenda, victumque parandum omnes aſtricti ſumus, à qua nemo quádiu ſuperſtes in vita manet, immunis eſſe poteſt. Sub huius autẽ neceſſitatis velamine quàm multa pericula latent, quàm multæ nobis inſidiæ intenduntur! Vt enim alia prætereamus, ſub hoc prætextu virus frequenter auaritiæ latet, quod nos non neceſſaria ſolùm, ſed ſuperuacanea etiam & quæ vanitati & voluptati magis, quàm vſui ſeruiunt, malis artibus quærere compellit. Qua de re ſic Leo Papa, Amori pecuniæ vilis eſt omnis affectus, & anima lucri cupida pro exiguo perire non metuit: nullumque eſt in illo corde iuſtitiæ veſtigium, in quo ſibi auaritia fecit habitaculum. Vnde non immeritò inſignis ille poëta dixit, Quid non mortalia pectora cogis Auri ſacra fames? Sapiẽ. 14. Leo Papa. Virgil.

Iam verò ex hoc auaritiæ morbo quàm multa curarum & ſolicitudinum examina oriuntur, quæ nos variè infeſtant & à cæleſtis vitæ propoſito deducunt? Hæ namque vbi mentem occuparunt, eius tranquillitatem & pacem adimunt, quæ cæleſti ſponſo gratum præſtat habitaculum; de quo ſcriptum eſt: In pace factus eſt locus eius. Eædem etiam mentem in diuerſa rapiunt, & inſtar pilæ modò huc modò illuc verſant, voluunt & in varias ſententias diſtrahunt. Non enim temerè Eccleſiaſticus cor fatui rotæ carri, & axi verſatili comparauit. Hæc autem mentis inquietudo quò vehementior eſt, eò magis nos à virtutum & bonorum operum ſtudio auocat. Vt enim D. Gregor. ait, Impar homo efficitur ad ſingula cùm confuſa mente diuiditur Eccl. 33. Gregor.

ditur ad multa. Iidem etiam curarum aculei maximum orãdi-
bus impedimentum præbent cùm mentem acriter pungũt
nec ſinunt aliud cogitare quàm quod nos angit atque ſolicit.
Inter Aegypti plagas non minima illa fuit, qua tot ciniph
examina oborta ſunt quæ & hominibus & iumentis infeſſi-
ma erant dum eos morſibus impeterent grauiterque ſau-
rent. Verùm illos ciniphes, nos autem curarum & ſolicitu-
num aculei acrius pungunt, quando non quidem corpu
animam diſcerpunt atque lacerant, neque illam quieſcere
vllo in loco conſiſtere ſinunt. Deniq. ſolicitudines & cur
Luc. 8. ſpinæ illæ, quæ Euangelicum illud verbi Dei ſemen cùm
leſcere cœpiſſet ſuffocauerunt. Non enim ſatis eſt verba
tiæ cæleſtemque doctrinã in ſilentio diſcere, ſed oportet
eam in ſilentio cogitare. Quomodo autem hoc præſtare p
rit irrequietus animus ſeculi curis & auaritiæ ſtudiis diſte
Humana ſiquidem virtus adeò anguſtis finibus circumſcr
eſt, vt quò porrigitur ad plura, eò ad ſingula minor fiat. E
Simil. nim inſtar aquæ fluminis, quæ ſi per plures canales diſtrah
tantùm detrahit alueo, quantum per meatus alios effundi
enim de cauſa agricolæ terram quæ ſeminanda eſt, non
ſpinis & ſentibus, ſed quibuſcumque etiam aliis virgul
cuam eſſe cupiunt, ne ſit quicquam aliud quod ad ſe hu
terræ atque ſuccum attrahens, tantum frugibus detraha
Seneca. tum ſtirpibus aliis contulerit. Hinc prudenter Seneca
ſuadet omnia relinquere, & vacare bonæ menti, cuius il
moranda ſententia commendatur, Nemo vnquam
nam mentem peruenit occupatus. Præcipua verò oc
eſt, quæ non corpus modò, ſed animum magis curis &
tatibus occupat. Quam ſententiam Chriſtiana Philoſop
hementer probat, quæ maximam profectus noſtri part
orationis atque ſanctæ meditationis ſtudio collocat,
homines negotiorum multitudine & curarum aculeis
cantur. Negotiorum quippe multitudo tempus, cur
autem aculei cor homini adimunt: ita fit, vt vtroque mod
peditus homo, neque ſpatium temporis, nec quietum
orandum habeat.

I.

Cùm ergò cæleſtis medicus nos duobus his grauiſſimis
bis auaritia & anxia ſolicitudine laborare animaduerta
tarem opem & medicinam in ſacra huius diei lectione p
in qua & auaritiam grauiter accuſat & ſolicitudinem à

tibus nostris excutere nititur. Sic igitur ait: *Nemo potest duobus Dominis seruire: aut enim vnum odio habebit & alterum diliget, aut vnum sustinebit, & alterum contemnet.* Qui sint autem isti Domini exponit protinus cùm subdit, *Non potestis Deo seruire & Mammonæ.* Itaque si Deo seruire cupis, necesse est, vt Mammonam odio habeas. Contrà verò si huic seruire voles, necesse est, vt Christum contemnas. Quid autem maius in auaritiæ detestatione dici potuit? Quis enim non videt quàm sit impium ac detestabile derelicto atque contempto Christo, Mammonæ, hoc est, Satanæ mancipium fieri? Nemo hoc non videt, nemo aliter iudicare potest: sed interim tamen maior hominum pars re ipsa præstat quod verbis detestatur: atque ita fit, vt rem quidem ipsam amplexemur, eius verò nomen exhorreamus. Nemo patitur se superbum, auarum, raptorem, ac fœneratorem, aut Satanæ seruum dici, atqui tamen grauiter multi superbiæ, auaritiæ, rapinæ, reliquisque sceleribus, quæ Christus prohibet, suadet autem Satanas, operam dant. Quo quid esse absurdius, quid monstrosius potest? Rectè itaque D. Anselmus, O (inquit) cur non Diaboli detestor imitationem cuius sic horreo nomen! Anselmus.

Nemo (inquit) *potest duobus Dominis seruire.* Qui duobus non potest, quomodo multis simul cum Deo seruire poterit? Atqui multi seruiunt non solùm auaritiæ, sed ambitioni, & libidini, & maleuolentiæ, & vindictæ studio, variisque cupiditatibus. Quot sunt enim hominis cupiditates, tot sunt Domini quibus idem seruit. Aduersus quem illa Prophetæ verba fulminantur. Esai. 49. Hæc dicit Dominus ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad seruum Dominorum. Verè enim (vt Saluator ait) quicumque facit peccatum, seruus est peccati. Tot ergo improbi Dominos habent, quot peccata commiserunt, à quorum turpissimo & crudeli dominatu eximi nolunt.

[*Nemo potest duobus Dominis seruire.*] Hoc aduersus eos dicitur, qui ita Deo seruire volunt, vt pecuniæ studium relinquere nolint, sed vtrumque simul amplecti velint. Hi similes sunt Samaritis illis, qui post decem tribuum captiuitatem in eorum regione habitare cœperunt, quos scriptura refert simul cũ Deo idôla gentium coluisse. Similes item filiis Israel, qui simili impietate cum vero Deo Baalim quoq. seruiebant. Ad quos Elias 3. Reg. 18.
Propheta: Vsquequo (inquit) claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini eum.
Similes item Philisthæis qui captam Dei arcam iuxta Dago- 1. Reg. 5.

nem deum suum collocarunt, eundem Deo vero & falso ho-
noris locum exhibentes. Sic igitur isti Deum suum, hoc est ar-
gentum & aurum iuxta Deū verum collocant, quando vtrum-
que pari studio se posse colere putant. A quo errore eos Domi-
2. Cor. 6. nus his verbis reuocat cùm ait, Non potestis Deo seruire &
Mammonæ. Quæ enim conuentio luci ad tenebras? Quæ con-
Esai. 28. uentio Christi ad Belial? studio deuotionis & cupiditati diui-
tiarum? amori Dei & amori mundi? Rectè enim per Esaiam
Dominus: Coangustatum est (inquit) stratū ita vt alter decidat,
& pallium breue vtrumque operire non potest. Non potestis
Deo seruire & Mammonæ. Quo in loco seruiendi verbum ob-
seruandum est. Ille enim diuitiis seruili animo famulatur, qui
non eas dispensat vt dominus, sed vt seruus illis cumulandis
inuigilat. Atque vt serui frigus, & æstus, & imbres, variosque la-
bores non sui, sed dominorum gratia perferunt; ita isti quo di-
uitias suas augere, & marsupia auro & argento suffocare pos-
sint, nulla neque terræ, neque maris pericula reformidant; non
vt diuitiis suis fruantur (quas attingere non audent) sed vt
iure vel iniuria cumulent. Ex hoc autem immodico diuitiarum
amore multæ curæ & solicitudines oriuntur. Verè enim à in-
genioso poëta dictum est,

Res est soliciti plena timoris Amor.

Quæ solicitudo cùm in omne genus amoris cadat, tum
in amore studioque diuitiarum præcipuè reperitur, dum homo
varias augendi peculij rationes solicitè excogitat, & si quid ex
eo pereat discruciatur; fieri quod sæpe necesse est; cùm nihil
diu videas, incommoda cùm sint ad manum semper. Nec mi-
nus de euentu lucri solicitus est. Amor enim facit, vt tot sint in
corde nostro motus atque perturbationes, quot sunt commoda
vel incommoda quæ rebus, quibus per amorem inhæremus, e-
ueniunt. Hanc igitur solicitudinem auaritiæ filiam Dominus
cum ipsa matre à nobis eliminare cupit: ideoque vbi matrem
iugularat dicens neminem Deo ac Mammonæ seruire posse, fi-
liam simili gladio perimere volens, subdit: *Ideò dico vobis, ne*
soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis; neque corpori ve-
stro, quid induamini.

Verùm dicet aliquis, Cùm vita hæc sine rebus ad eam
necessariis transigi non possit, quæ humano studio atque indu-
stria parantur; solicitudo autem rerum gerendarū velut stimu-
lus & calcar sit, quomodo hanc à me solicitudinem excutere
potero, qua sublata segnis & iners ad hæc paranda efficiar?

hanc quæstionem diluendam sola præcipientis Domini aucto- Leui.25.
ritas satis esse deberet. Quemadmodum enim is qui Iudæis olim præceperat, vt septimo quoque anno terra sabbatum ageret, copiosam illis annonam sexto anno ad futuri temporis victum tribuebat; ita qui omnem à nobis solicitudinem & inanem formidinem excutere monet, is planè pro nobis solicitus erit, vigilemq. nostri curam geret. Verùm nequaquam sola hac auctoritate contentus, grauissimas ad hoc rationes inducit, quibus omnem à cordibus nostris solicitudinem pellat.

Sed antequàm eas explicare incipiam, illud vos omnes admonitos velim, aliud prouidentiæ genus esse quo Dominus bruta animantia, aliud quo homines dirigit ac moderatur. Brutis enim eodem semper modo consulit, cùm in illis nulla meriti ac demeriti ratio sit cur illis plus aliquid, aut minus prouideri debeat. At, cùm vtrumque hoc in homines cadat, ideò pro varia meritorum ratione maximè variam illorum prouidentiam gerit, quod in omnibus ferè paginis sacra volumina testantur. Sic regius vates, Oculi (inquit) Domini super iustos & aures eius Psal.33.
in preces eorum: vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Et initio statim libri Psal- Psal.1.
morum hæc eadem prouidentiæ dissimilitudo exprimitur, cùm vir iustus ligno plantato secus decursus aquarum cui neque folia neque fructus decident, impius autem pulueri quem proiicit ventus à facie terræ comparatur. Mitto alia testimonia quæ sunt innumera. Cùm hæc igitur ita sint, rationes quas hoc in loco Dominus affert, quibus edaces à nobis curas & solicitudines eximat, ad pios homines præcipuè diriguntur, maximamque vim ad eos confirmandos, & consolandos, & omnem ab eis inanem solicitudinem excutiendam habent. Ad hos enim præcipuè Dominus sermonem se dirigere ostendit, cùm pauló post ait, *Scit enim pater vester quia his omnibus indigetis.* Verè enim qui Deum habet patrem, non habet cur aliqua in re angi, & formidare debeat. Ad hos igitur Dominus ait: *Ideò dico vobis ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini.* Quas ad hoc, Domine, rationes affers? Primùm quidem ait, *Nónne anima plus est quàm esca, & corpus plusquam vestimentum?* Hoc est, qui corpus vestrum atque animam condidit, qua ratione hæc ipsa subsistant prouidebit. Quidquid enim Deus condidit, voluitque in rerum natura esse, & viuere, necessaria quoque illi ad vitæ vsum prouidit: alioqui frustrà condidisset si quod condidit non aleret ne-

que conseruaret. Hic etiam locus admonet vt cum corpore simul atque anima cæteraquoque diuina beneficia ad mentem reuocemus, atque ex iis colligamus eum qui tam multa in nos beneficia contulit, nullo modo quæ minima sunt negaturum. Quomodo enim fidelibus suis negabit alimentum qui corpus suum dedit in cibum? Quomodo negabit potum qui nos pretioso lateris sui sanguine & vnda potauit? Quomodo negabit vestem qui mortalitatis nostræ veste indutus fuit? Quomodo negabit quæ ad hanc vitam degendam necessaria sunt qui cælestem nobis gloriam in altera vita præparauit? Quomodo negabit frumentum quo aluntur formicæ qui nobis paratum se Angelorum panẽ? Itaque ait: *Nónne anima plus est quàm, &c.* Quod perinde est ac si diceret, Qui maiora præstitit, is que minora præstabit. Qui me hactenus aluit, mihique semper adfuit, nequaquam sui dissimilis erit, neque fortunæ ludibrio me relinquet.

Confirmat autem hanc rationem Dominus auium exemplo cùm subdit, *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cælestis pascit illa. Non ne vos magis pluris estis illis?* Hoc in loco latissimus nobis campus aperiebat per omnia animantium genera gandi; in quibus diuinæ prouidentiæ solertia mirabiliter cet, quæ tam varias ac multiplices parandi cibi artes illis contulit. Alia namque viribus, alia astu, alia insidiis, alia celeritate, venando, quædam illaqueando, multa rapiendo sibi alimentum comparant: neque vllum adeò exiguum animalculum est cui suus cibus & ratio eius parandi desit. Id adeò verum est, maxima quidem diuinæ sapientiæ irrogaretur iniuria si quis assereret Deum aliquod animal condidisse, cui vitæ subsidia denegasset. Hoc enim in summum opificis dedecus redundaret.

Obseruandum autem est quod ait, *Pater vester cælestis pascit illa.* Non enim dicit, Deus pascit illa, &c. Hoc enim verbũ suam habet emphasim. Perinde enim est ac si diceret, Si cùm Deus auicularum Dominus sit non pater, nec tamen illarum curã negligit, multò magis vos quorũ pater est pascet, cùm patris sit filiis alimenta ministrare. Quam rem earundem auicularum exemplo discimus, quæ cibum multo labore quæsitum atque intra viscera conditum sibi subtrahunt, vt filios alant, & fame sua pullorum famem depellant. Si igitur omnis creaturarum perfectio cum infinita accessione in rerum omnium conditore inuenitur; consequens est, vt hæc paterna erga filios

cura

cura multo perfectius in cælesti patre reperiatur.

Addit aliam adhuc rationem cùm subdit, *Quis vestrum cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum?* Inanis & cassa est in hac parte omnis humana solicitudo. Siue enim curã abiicias, nihilo breuius habebis corpus; siue cura distorquearis, nihilo habebis procerius. Si ergo (vt subdit post hæc verba Lucas) neq. quod minimum est potestis, quid de cæteris soliciti estis? Hac ratione Dominus ostendit omnia quæ in mũdo eueniunt tam maiora quàm minora intra diuinæ prouidentiæ fines contineri, nec magis Deo repugnante humana solicitudine quemquam diuitẽ fieri, quàm eadẽ solicitudine corporis mẽsuram augeri. Quo argumento apparet quãto studio hæc solicitudo fugienda sit, quandoquidẽ ea nihil opis confert, & animum distorquet, & quod est grauius, diffidentia sua Deum offendit. Luc. 12.

Non contentus autem Dominus his rationibus alimentorum curam & solicitudinem à nobis depulisse, vestimentorum etiam depellit his verbis: *Et de vestimento quid soliciti estis: considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant, neq. nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis.* Quo in loco D. Hieronymus: Reuera (inquit) nec sericum Regumq. purpura picturæ, textura potest floribus comparari. Quid ita rubet vt rosa? quid ita candet vt lilium? Violæ verò nullo superari possunt murice; nihil gramine viridius, delectabiliusque. Vnde est illud Ecclesiastici, Gratiam & speciem desiderauit oculus & super hoc virides sationes. Apposité ergò Dominus infert; *Si fœnũ agri, quod hodie est & cras in clibanum mittitur Deus sic vestit, quantò magis vos modicæ fidei?* Argumentum est à minori quò florum vilitas hominum comparatione ostenditur. Perinde enim est ac si diceret, Si hæc vilia, quæ hodie quidem sunt & cras in clibanum vel sterquilinium coniiciuntur, Deus sic vestit, quantò magis vos vestiet & ornabit, qui pretiosa eius possessio estis, quos non ideò creauit, vt liliorum more breui tempore subsisteretis, sed vt in æternum cum ipso regnaretis. Hieroni. Eccl. 40.

I I.

Nolim autem vt ex his Domini verbis, *Non laborant, neque nent*, occasionem quisquam otiandi accipiat, cùm homini à Deo dictum sit, In sudore vultus tui vesceris pane tuo: Solicitudinẽ quippe Dominus non laborem adimit. Vt enim D. Hieronymus ait, Labor exercendus est, solicitudo tollenda. Fuerũt autem olim (vt D. August. in libello De hæresibus ait) hæretici quidam August.

quidam plus debito religiosi ab orationis instantia Euchitæ ap-
pellati, quos sua etiam ætate fuisse ait: qui tantum orationi tri-
buebant, vt monachis omni corporis labore ob parandi victu
1. Cor. 4. necessitatem interdicerent. A quo nos errore Apostolus libera
Ephes. 4. qui & ipse manibus suis laborabat; & fideles ad similem hor-
Iob 5. tur laborem. Sanctus quoque Iob, Homo, inquit, nascitur a
laborem & auis ad volandum. Cùm autem res omnes perfi-
ciantur cùm iuxta naturæ suæ leges agunt, contrà verò cùm a
eis discedunt corrumpantur, efficitur sanè vt homo vtili labo-
Baptista & exercitatione perficiatur, otio verò & inertia corrumpa-
Mátuan. Hinc illa Baptistæ Mantuani carmina:

—— Ferrum si transit in vsus,
Assiduo splendore micat, vultuq; nitenti
Audet ad argenti decus aspirare superbum.
At si longa quies ierit, fuscatur, & atram
Vertitur in speciem, celeriq; absumitur æuo.

Hæc de ferro. Quid verò de iumentis? An non equi si diu-
tius in stabulo otiosi maneant, claudi ac torpidi efficiuntur?
Quid palustris aqua, quæ otiosa motu caret, an non vitium ca-
pit, & fœda animantia gignit? Quid terra inculta? An non spi-
Psal. 72. nas & tribulos germinat? Multo ergò magis homines inerti
otio corrumpuntur. Hinc Regius vates: In labore, inquit, ho-
minum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur: id
tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua. Hi
sunt ergo tribuli & spinæ, quas terra humani cordis germinare
in otio solet. Nec superbia modò, sed leuitates etiam amatoriæ
hinc fomenta sumunt. Rectè enim à quibusdam dictum est,
impudicos amores esse otiosorum hominum negotia. Denique
Sapiens, Multam (inquit) malitiam otiositas docuit, quæ non
immeritò vitiorum sentina appellari potest. Quocircà sapien-
tissimus ille rerum opifex tanta cura cauit, ne quicquam in hac
rerum vniuersitate vacuũ aut segne esset, vt hac de causa (quod
est maximè mirabile) grauem aquam quæ pondere suo ad ima
fertur, sursum ascendere velit, ne vllus in mundo locus vacuus
& otiosus sit. Hoc igitur exemplo, fratres, apparet quantoperè
inertia & segnities fugienda, & quanto studio vtilis labor & ex-
ercitatio amplectenda sit.

Sed ad institutum redeuntes, aliam quoque Domini ratio-
nem audiamus. Vbi enim solicitudinem & terrenarum rerum
curam inhibuisset, subiecit protinus, *Hæc enim Gentes inqui-
runt.* Quod perinde est ac si diceret. Mirum non est Genti-
quæ

quæ alia bona præter hæc quæ oculis vſurpant non agnoſcunt, tota illis auiditate inhiare;at vos qui ſempiterna & cæleſtia bona ſperatis, quorum comparatione hæc quæ in manibus habentur vix puluis & vmbra ſunt, quique velut peregrini in hoc mundo degentes, ad cæleſtem patriam contenditis,cur his congerendis toto ſtudio incumbitis quæ mox relicturi eſtis?

Cæterùm ne tot quidem perſuaſionibus contentus Dominus (vtpote qui humanæ mentis infirmitatem ac diffidentiam probè nouerat) extremam addit, quæ vel ſola efficaciſſimũ diffidentiæ noſtræ medicamentum & remedium eſt. Subdit enim: *Scit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis.* Quæ vis autem orationis hanc tantam piorum hominum dignitatẽ (quòd videlicet Deum patrem habeant) pro meritis valeat amplificare? Satis erat ad ſingularem hominis dignitatem habere eum in regem, Dominum, magiſtrum, ductorem atque tutorem, & vitæ noſtræ cuſtodem: ſed quanto maius & mirabilius eſt habere in patrem? Quæ enim affinitas coniunctior? Quanta ergo illa felicitas rerum omnium Domino hoc tam arcto neceſſitudinis vinculo coniungi?

Verùm dicet aliquis: Eſt quidem Deus communis omnium pater (ſic enim illum non modò ſacræ literæ, ſed etiam Platonici Philoſophi appellant) non eſt tamen eo modo pater quo genitores noſtri patres appellantur. Eſt ita ſanè: Sed quod ad felicitatem meam attinet, eſt quidem ille beneuolentia, prouidentia, indulgentia, paterna cura & beneficiis pater. Sic enim Hiere. 31. ipſe ait, Si filius honorabilis mihi Ephraim, ſi puer delicatus: quia ex quo loquutus ſum de eo, adhuc recordabor eius: idcircò conturbata ſunt viſcera mea ſuper eum, miſerans miſerebor eius. Pro quo interpres alius vertit, An nõ filius mihi pretioſus Ephraim? an nõ puer ſolatiorũ, ſiue delitiarum? Quanta quæſo his verbis dilectionis teneritudo, quanta indulgentia ſignificatur! Addit deinde; Conturbata ſunt viſcera mea ſuper eũ. His verbis Dominus humano more loquens, patris amantiſſimi affectum oſtendit, qui ſic filij rebus afficitur, vt viſcera ſua propter illum commoueantur. Curam autem & officium huius paternæ prouidentiæ paulo antè per eundem Prophetam expoſuit his verbis: Adducam eos per torrentes aquarum in via recta, & Hiere. 31. non impingent in ea: quia factus ſum Iſraeli pater, & Ephraim primogenitus meus. Hoc eſt igitur paternæ prouidentiæ officium per amœnos fontes, & itinera plana filios ducere, ne impingant in eis. Cur hoc Domine? Quia (inquit) factus ſum

Israeli pater & Ephraim primogenitus meus. Loquitur de spi
rituali Israële & Ephraim: qui populi fidelis typū gerit, quem
tanquam filium & quidē primogenitum diligere ait, qui sol
Psal.26. cæteris filiis in amore præferri. Sed quid ego patrem Deum
cio, cùm regius vates plus illi quàm carnis parentibus tribu
Esa.63. Pater, inquit, meus & mater mea reliquerunt me, Dominus a
tem assumpsit me. Esaias quoque & nunc, ait: Domine, pa
noster es tu, & Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit n
An non igitur apertè liquet Deum non modò patrē, sed
etiam quàm patrem esse? Quæ cùm ita sint, cur, modicæ
homo, qui Deum agnoscis patrem, angeris, cur de eius p
dentia dubitas, cur variis curis animum discerpis solicitè
tans, quid manducabo, quid bibam, quo operiar? Qua, qu
de re dubitas? Num de eius potentia? Deus est. Num de vol
tate? Pater est. Num de rerum nostrarum scientia? Hanc pl
filius eius declarat cùm dicit; Scit enim pater vester quia his o
nibus indigetis. Si ergo is neque potentia, neq. voluntate, n
rerum nostrarum scientia destituitur, quid habet pius homo c
hisce de rebus, quæ ad vitæ vsum spectant solicitus esse deb

III.

Quæ hactenus à me inducta sunt fratres, vehementer n
fiduciæ virtutem commendant: quàm vt commendatio
vobis faciam, quàm sit diffidentiæ vitium Deo inuisum a
testabile proposito ex diuinis voluminibus insigni exem
demonstrabo. Inciderunt in hoc crimen filij Israel explora
rum verbis inducti, qui lustrata Cananæorum terra, hanc
populum orationem habuerunt: Terra quam vidimus va
Num.13. bona est: sed cultores habet fortissimos, & vrbes grandes at
muratas. Populus quem aspeximus proceræ staturæ est. Ibi
dimus monstra quædam filiorum Enach de genere gigant
quibus comparati quasi locustæ videbamur. His igitur nun
deterritus vehementer populus, seque terram illam expugn
re posse diffisus, de reditu in Aegyptum tractare cœpit. Qu
vis autem orationis explicare queat quantus Domini fur
ob huius diffidentiæ crimen aduersus populum fuerit co
citatus? Vsquequo (ait Dominus ad Mosem) detrahet mi
populus iste? Quovsque non credent mihi in cunctis m
Num.14. rabilibus quæ feci coram eis? Feriam ergo eos pestilentia a
que consumam: te autem faciam principem super gente
magnam atque fortiorem, quàm hæc est. Cumque Mo
multis precibus longaque oratione iram Domini lenire con

retu

reru,atque inter alia diceret: Dimitte obsecro peccatum po- pulihuius, secundum magnitudinem misericordiæ tuæ, si- cut propitius fuisti egredientibus de Aegypto vsque ad locum istum, respondit Dominus, Dimisi iuxta verbum tuum: At- tamen omnes homines qui viderunt maiestatem meam, & signa quæ feci in Aegypto, & in solitudine, & tentauerunt meiam per decem vices, non videbunt terram, pro qua iura- ui patribus eorum. Viuo ego, ait Dominus, sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis. Vestra cadauera iacebunt in so- litudine, filij vestri vagi erunt in deserto annis quadraginta, & portabunt fornicationem vestram, & quadraginta annis reci- pietis iniquitates vestras: & scietis vltionem meam. Hactenus de historia: ex qua vos ego, fratres, ad duarum virtutum studium atque amorem quæ in specie pugnare videntur, nem- pe timorem & spem adhortari cùm primis volo. Ex hac enim historia si rectè Philosophari sciamus, vtrumque ita colligitur, vt non adeò multa exempla in literis sanctis re- periantur, quæ ad vtramque hanc virtutem nos tantoperè excitare possint.

Et quidem hac ratione fiduciam maximè commendari ex supplicij magnitudine, qua hanc populi diffidentiam Dominus puniuit, apertè colligimus. Si enim magnum malum diffiden- tia est, quod eius pœnæ magnitudo declarat, necesse est, vt ma- gnum bonum fiducia sit, quæ nos à tanto malo liberat. Sic enim in similibus rebus argumentamur; Si magnum malum super- bia, ergo magnum bonum humilitas; Si magnum malum aua- ritia, magnum ergo bonum liberalitas atque benignitas. Ex hac igitur historia, fratres, non solùm quantum sit malum diffi- dentia, sed etiam quantum sit bonum fiducia in Deum de- monstratur.

Nunc ex huius supplicij seueritate diuinæ iustitiæ magnitu- dinem, & timoris nostri causam expendamus. Populi huius pec- catum nec idololatria fuit, quale adorati vituli crimen extitit, Exod. 32. non stuprum aut adulterium idololatriæ coniunctum, quale Num. 25. cum Madianitis fœminis commissum fuit; diffidentia (vt mo- dò diximus) præcipuè fuit, quæ infirmas hominum mentes auditis horrendis illis nunciis oppressit. At, viderant & in Aegypto, & in solitudine multa Domini mirabilia? Non ab- nuo: sed multo plura discipuli Domini ipsum sequentes vide- rant; cumque ingentem hominum turbam exiguo commeatu satiare conspexerant, nec tamen simili oblata esurientis turbæ occasio-

occasione, ex præteritis præsentia colligere ob mentis tardi-
tem potuerunt. At isti non minus tardi ac rudes erant, qui
uili animo colligendis paleis, conficiendisque lateribus ope-
in Aegypto dederant. Hanc tamen humanæ infirmitatis t-
dationem, ac diffidentiam quàm seuera quamque long-
minus pœnitentia puniuit posteà etiam quàm Mosis ora-
exoratus, vt peccatum illud populi sui dimitteret, Dimi-
iuxta verbum tuum? Quis enim non stupeat hoc vnum
dentiæ crimen quod breuissimo tempore commissum e-
vnius anni, aut duorum, sed quadraginta annorum, imò
vitæ exilio punitum fuisse, idque vagante populo in te-
serta, inuia, & inaquosa, in terra inquam (vt est apud I-
Hiere. 6. miam) in qua non ambulauit vir, neque habitauit homo,
ra sitis & quæ præ se ferebat imaginem mortis: in qua p-
arenam, & squalentis eremi faciem nihil amœnum, nihil
tum oculis obiici poterat. Quid hîc solis ardores, quid fri-
& aëris intemperiem, quid ferarum lustra, & ignitos serpe-
& dipsadem flatu adurentem commemorem? quid rerum o-
nium quæ ad vitæ vsum pertinent indigentiam? quid tam l-
Num. 21. gæ peregrinationis & itineris per tot viarum anfractus tæ-
atque fastidium, de quo scriptum est, Cœpit populum ta-
itineris ac laboris? Quid, quod non in viuos solùm, sed in
tuos etiam diuina censura deseuit? Magnum enim viuoru-
latium est, in patrio solo inter suos sepeliri: quod sanctorum
triarcharũ exemplo discimus, qui tantã huius rei curam hab-
runt. Hoc autem solatio Dominus incredulum populum p-
uauit, cùm sepulturæ locum illi inter arenas ferasque desi-
uit. Vestra (inquit) cadauera iacebunt in solitudine. Et qu-
Num. 25 in peccato Phogor Phinees sacerdos iram sæuientis Do-
placauit; quemadmodum idem Dominus testatus est. Phin-
(inquit) filius Eleazari auertit iram meam à filiis Israel: q-
zelo meo cõmotus est contra eos, vt non ipse delerẽ filios Isr-
in zelo meo. At in huius tam diuturni exilij pœna leuanda n-
sacerdotũ preces & quotidiana sacrificia, nec arctissima illa M-
sis cum Deo familiaritas & amicitia, nec populi iam resipisce-
tis & lugentis pœnitentia, nec tanta illa & tam diuturna itine-
ris & laboris defatigatio misericordiam Domini flectere potu-
runt, vt eam pœnam aut remitteret, aut aliqua ratione leniret.
Quis igitur dum hæc audit, non stupeat; non totus corde & co-
pore contremiscat, cùm animaduertit quanta sit diuini iudi-
seueritas, quàm stupenda ac formidanda iustitia! O quàm v-

ab Apostolo dictum est, Horrendum est incidere in manus Dei Heb. 10. viuentis! Meritò igitur sanctus Hieremias, Quis (inquit) non Hier. 10. timebit te ô rex gentium? Atque ipse per eundem Prophetam Dominus, Me ergò (inquit) non timebitis, & à facie mea non Hier. 5. dolebitis; qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit? Hæc ideò à me, fratres, paulo fusius dicta sunt, vt quoddam Diaboli inuentum, quo innumeras secum animas in perditionis baratrum præcipitat, hoc exemplo si quidem fieri posset, à vestris mentibus euellerem. Quicumq. enim obstinato animo in sceleribus suis tota penè vita perdurant, hoc diuinæ misericordiæ clypeo prauitatem suam tuentur, & hac inani fiducia sine vllo pungentis conscientiæ aculeo molliter in scelerum suorum stratu requiescunt: nec aduertunt eiusdem bonitatis esse & sontes punire, & innocentes seruare, & misericordiæ lenitate erga istos, iustitiæ verò seueritate erga illos vti.

Horum autem cæcitatem, præsumptuosamque fiduciam Eccl. 5. Ecclesiasticus castigat his verbis. Ne dixeris, Misericordia Domini magna est: multitudinis peccatorum meorum non recordabitur: misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius. Quisquis autem iudicij huius districtionem, quod hactenus commemorauimus, paulò attentius expenderit, non poterit non mirari, non obstupescere, non etiam perhorrescere si se multis criminibus constrictum viderit, cùm isti ob vnius delicti noxam irreuocabili quadraginta annorum sententia & exilio in vasta illa atque horrenda solitudine mulctati fuerint. Porro autem si innocentissimus ille Iob, qui nihil admiserat, cur timere debuisset (vt pote quem Iob 27. non reprehenderat cor suum in omni vita sua) tanto Domini timore corripiebatur, vt diceret, Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non poteram: quis non videt hanc sceleratorum hominum securitatem, qui sine vllo timore vitam agunt, Dæmonis inuentum esse, cùm vir sanctissimus & innocentissimus tanto semper timore quateretur? His igitur exemplis fratres, demus operam vt (quemadmodum Petrus Apostolus monet) in timore incola- 1. Pet. 1. tus nostri tempore conuersantes, & salutarem fiduciam huic timori copulantes, his duobus veluti pedibus per viam mandatorum Dei incedamus, spem metu & metum spe temperantes, vt neque præsumptuosos spes sine timore efficiat, nec diffidentes metus sine spei solatio reddat. Hoc enim

modo

modo fiet, vt his duobus fidei comitibus sociati, per iter salutis inoffenso pede gradientes, ad sempiternæ felicitatis portum diuina aspirante aura peruenire mereamur. Amen.

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN CONCIO PRIMA, IN QVA post Euangelicæ lectionis explanationem, occasione mortui adolescentis, de præparatione ad mortem agitur.

THE. *Ecce defunctus efferebatur, filius vnicus matris suæ.* Luc. 7.



Voniam adolescentis funus in ipso ætatis flore medio sublati, nobis hodie proponitur, fratres, alienum puto, vt qui ad mortales sermonem habemus, de mortalitatis & vitæ nostræ conditione pauca dicamus. Huius enim argumenti tractatio non parum nos & ad timorem Domini, & ad peccati odium, mundique contemptum iuuare poterit. Quod enim argumenti genus mortalibus quàm de mortis commentatione conuenientius erit? Est enim mortis conditio vsque adeò naturæ nostræ propria, vt Philosophi in hominis definitione mortalitatis conditionem adiecerint, hominem esse animal rationale atque mortale diffinientes: vt hac vltima differentia illum à beatis illis mentibus distinguerent. Hæc autem conditio non natura, si in eo statu perseuerasset, in quo condita fuit, sed peccati iure humano generi obuenit.

Eccl. 41. Non ignoro autem mortis memoriam non omnibus gratam esse. Diuitibus enim, (vt Ecclesiasticus ait) & iis qui libenter huius seculi bonis fruuntur, molesta & acerba est: vtpote quæ illos hac sua felicitate spoliat. Cæterùm pauperibus & calamitosis omnibus eadem non iniucunda est, quoniam ea malis quibus miserè conflictantur, finem imponit. Vtrisq. autem siue acerba siue grata sit, maximè salutaris est: vtpote quæ hominum dormitantiam falsamque securitatem arguit, quæ ad salutarem tristitiam, ad pœnitentiam, ad grauitatem hortatur, quæque ante omnia timorem Domini incutit, & desides & cessantes ad iudicium mortis opportunè præparare compellit.

Cù

Cùm autem ex hac tempestiua ad hoc iudicium præparatione sempiternæ salutis & felicitatis nostræ ratio pendeat, nullum ferè argumenti genus apud hominem Christianum tractari, neque commodius neque magis necessarium potest. Quocirca nos hodie de hac ipsa præparatione verba faciemus, si prius tamen Euangelicæ lectionis historiam explanauerimus. Vt vtrumque autem vtiliter & religiosè præstare valeamus, cælestem opem sacratissimæ Virginis interuentu suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

In hodierna sancti Euangelij lectione adolescens quidam filius vnicus matris suæ suscitatus à Domino perhibetur. Cuius rei historiam S. Lucas Euangelista describit his verbis: *Ibat Iesus in ciuitatem quæ vocatur Naim, & ibant cum eo discipuli eius, & turba copiosa.* Numquam Dominus, quamdiu inter homines versatus est, promouendæ salutis humanæ officium intermisit. Interdiu enim docebat in tẽplo, noctu pro nobis pernoctabat in oratione Dei. Circuibat etiam ciuitates, vicos, & castella, vbique regnum Dei euangelizans, vbique dæmones ab obsessis corporibus pellens, & salutis beneficia omnibus impertiens. Hanc autem adeò solicitam salutis humanæ & paternæ gloriæ curam declarauit, cùm discipulis cibum ipsi offerentibus respondit: Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiam opus eius. Nec hoc solùm in matura iam ętate, sed in pueritia quoque idem curabat; duodennis namque sciscitantibus parentibus, cur ipsos in itinere deseruisset, respondit: Quid est quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Quæ autem patris opera, nisi salutis humanæ procuratio erat? Luc. 6. Ioan. 6. Luc. 2.

Hoc autem exemplum secuti sancti omnes tantam temporis rationem habebant, vt ne momento quidem à diuinis operibus & mandatis Dei exequendis vacarent: Quis autem hoc in loco cæcitatem & socordiam hominum satis deplorare valeat, qui tempus, præclarissimum Dei munus, in rebus nihili consumunt, in quo sempiternæ felicitatis opes comparari possent? Quid illos memorem, qui tempus omne in chartarum, & alearum, similiumq. rerum ludo consumunt? Quid isti quæso cùm ante superni iudicij tribunal sistantur, pro salute sua offerre poterunt? quid iudici tẽporis à se impẽsi (in quo salutis suæ negotium agere potuissent) rationẽ exigenti respondebunt, quando (si verum dicere velint) se vitam omnem in somno, ludo, otio,

& ludicris rebus consumpsisse fatebuntur? Cùm igitur fi nostræ summa in hoc sita sit, vt qui bona egerint, recipiant tam æternam; qui verò mala, ignem æternum; quæ nam isti na opera proferent, propter quæ illis felicitatis æternæ p mium tribuendum sit? O miserandam hominum cõditio qui cùm ad sempiternam beatitudinem à Deo conditi sin se abiecerunt, sic ab insitæ nobilitatis suæ dignitate dege runt; sic denique vitam suam instituerunt, vt pecudum m ventri solum, & voluptatibus nati esse videantur. Sed ad riam redeamus.

Cùm ergo *Dominus appropinquaret portæ ciuitatis N ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ.* Inter o pereuntium errores, qui salutaris pœnitentiæ remedium i turum tempus differunt, hic vel præcipuus est, quòd long sibi vitæ spatia pollicentur, in qua vitæ mutationem & pœ tentiæ propositum se arrepturos proponunt. Quorum fal securitatem adolescens hic immatura morte sublatus arg Nec enim (vt ait Seneca) fata ordinem seruant, vt prius qui iuniores, posteà verò seniores è medio tollant. Huius autē periculosi erroris immodicus amor sui, magnus errorum gister, causa esse solet. Hoc enim amore decepti homines quaquam illorũ funera intuentur, qui in ipso adolescentiæ occubuerunt: sed illorum ætate suam metiuntur, quibus giora vitæ spatia data sunt. Quid agis ô homo? qua ra istam tibi ætatem promittis? Quàm multos putas hac spe deceptos! Quàm multis longè ante hoc ipsum tempus e vita fuit? Cùm ergo tu sis mortalis, eiusdemque qua cæteri ditionis & naturæ, ex eisdem compactus elementis, eisden cæli, & stellarum, ac temporum iniuriis obnoxius; cur vni non eueniet, quod tam multis quotidie euenisse cernis? Sed in re vehemens vitæ amor hominibus imponit, & tam long illis vitam promittit, quam appetunt: ideoque ex illorum mero se futuros sperant, qui quàm diutissimè vixerunt, no illorum qui ante diem rapti sunt. Simile quiddam euenit qui mare transmittunt, vt in eam Indiæ prouinciam, qua genti & auri diues est, proficiscantur. Qui cùm animaduer nonnullos inde auro argentoque onustos in patrias sedes re se, eò se magna auiditate proripiunt. Nec eos ab hac inten ne reuocat, quòd innumerabiles alios videant in hoc ipso it re, vel naufragio, vel aëris intemperie, vel in præliis occubu Plus enim illos vnius, aut alterius felicis exemplum, quàm

Simil.

num

numera alia infelicium mouent. Vnde igitur in hominibus ratione præditis hæc tanta cæcitas & amentia? Certè ex nimia cupiditatis intemperantia. Quia enim pecuniam vehementer amant, vnum aut alterum pecuniosi & bene fortunati hominis exemplum magis eos ad maris ac terræ pericula tentanda inducit, quàm multorum in hoc itinere pereuntium exempla deterreant. Similis igitur eorum fallacia est, quos ad longioris vitæ spem viuacium quorundam exempla magis mouent, quàm innumerabilium quotidie decedentium immatura funera. In quorum sortem hic adolescens viduæ filius computatur, qui præter communem spem immatura morte ante diem sublatus est.

Quibus autem oculis, qua mente suam quisque vitam spectare debeat, proposito hoc exemplo declarabo. Sunt inter hominum commercia, hoc est emptiones & venditiones, census quidam perpetui, qui redimi non possunt, sunt etiam qui possunt, quos aliis nominibus emphiteosim, & pactum retro vendendi appellare solemus. At vita, quam accepimus, fratres, non priori illi emphitheosi, sed pacto retro vendendi quàm simillima est. Qui autem hac lege agrum vel domum possidet, nihil certi sibi pollicetur, cùm in arbitrio alterius partis sit, pecunia data pristinam hæreditatem recuperare: quam tamen alij citius, alij verò diutius, pro vt facultas tulerit, redimunt. Quid autem, obsecro, vita nostra est, quàm hæreditas cùm hoc pacto possessa: quam is qui vitæ & mortis claues habet, cùm ei placitum fuerit, aliquando quidem celerius, quandoque verò serius repetit? His igitur oculis fratres, hac conditione vitam nostram inspiciamus, vt ex Deo semper pendeamus, vt de ancipiti exitu nostro soliciti semper simus, vt nullam nobis vitæ diuturnitatem, nullam securitatem polliceamur. Non enim vita nostra instar perpetui census, aut emphyteosis lege nobis donata est (quod multi re ipsa testari videntur) sed quam, quoties vitę auctor & Dominus voluerit, repetere potest. Sic enim fiet, vt æquis & prudentibus oculis & vitam nostram & eorum quos charos habemus inspiciamus, videlicet non vt rem ad multa secula mansuram, sed vt dubiam, & incertam diligamus, vt nequaquam in re tam fragili & vitrea spem & felicitatē nostram, sed in solo Deo, qui manet in æternum, reponamus. Quo etiam fiet, vt quando ij, quos diligimus, naturæ concesserint, & debitum mortalitatis exoluerint, nihil aut mirum, aut nouum, aut insperatum nobis accidisse credamus. Sed ad historiam redeamus.

I.

Cùm ergo Dominus appropinquaret portæ ciuitatis Naim,
defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ, & hæc vidua
Paucis verbis S. Euangelista huius viduæ calamitatem am
cauit. Mulier enim vas est fragile, hoc est, naturæ pusill
& infirma. Iam si viduitatis malum accesserit, fit duplex ca
tas, quæ etiam acerbior existit, si post virum filium etiam a
rit. Hæc omnia in hanc viduam cadunt. Primùm enim a
filium, qui naturæ iure matrem reuereri, honorare, cons
in rebus afflictis subuenire debebat. Deinde amisit iam
qui videlicet ad eam peruenerat ætatē, in qua matri in
tui patris loco subuenire poterat. Postremò amisit vnic
quo totam vitæ spem collocarat; quo amisso, nihil aliud
terna domo, nisi tristis & acerba solitudo remanserat.

Hanc igitur *cùm vidisset Dominus, misericordia motus*
illam, dixit: Noli flere. Commouit fontem pietatis matris
calamitas & solitudo, & ad misericordiam flexit. Qualis a
hæc misericordia in Christo Domino fuerit, expendendu
Scire igitur oportet, esse misericordiam virtutem quæ a
na charitate procedit, & esse etiam naturalem cordis affe
magno diuinæ prouidentiæ beneficio humanis animis i
ratum. Multis namque modis conditor & amator ho
Deus, hominum quos condidit, necessitatibus & salut
luit. Primùm enim fœcundissimam maris ac terræ m
tam multis variisque rebus instructam in vsum eorum
creauit. Deinde rationem & ingenium contulit, qu
nia sibi subiicere, & in vsus suos conuertere posset: V
illud Poëtæ,

Rex ille omnipotens, vasto qui præsidet orbi
Aurea qui solo moderatur sydera nutu,
Tot voluit latas habitare animalia terras,
Tot pontum & liquidis vitam seruare sub vndis.
Ex his tantùm homini quid sit cognoscere verum,
Quidque decens, & posse loqui, concessit: at ore
Cætera sunt muto, & tellurem cernua lambunt.
Hic ratione potens, validissima quæque subegit,
Alipides tygres, iracundosque leones.

Cernitis, fratres, hominem rationis vi ac beneficio o
etiam potentissima sibi subiecisse?

Deinde hoc beneficio minimè contentus, flagrantiss
erga filios charitatem parentū animis ingenerauit, vt quo

porſiue liberi, ſiue pulli conſulere ſibi per ætatẽ non poſſent, ſolicita parentũ prouidentia & cura nutrirentur. Quid his amplius adiici poterat, cùm tantæ opes homini, tantaque vis rationis & ingenij, tantaq. parentũ cura illis eſſet prouiſa? Verùm nec his tantis muneribus cæleſtis pater contentus, aliud etiã maximè neceſſarium contulit. Sunt enim in hominũ vita variç & inſperatæ calamitates, quæ his opibus quas cõmemorauimus, leuari non poſſunt. Ne quã igitur in re diuina prouidentia hominibus deeſſet, hunc miſericordiæ affectũ eorũ præcordiis infixit, quo tantùm fere de aliena calamitate quantũ de ſua dolorẽ concipiunt, atq. ita periclitantibus omni ratione ſubuenire contẽdunt. Quod apertè videmus in Samaritano illo, quẽ hic miſericordiæ affectus impulit, vt vulneratũ à latronibus infuſo oleo & vino curaret, & iumẽto ſuo imponeret, atq. in hoſpitium delatũ, tradita pecunia, ſtabulario curandum cõmitteret. Idem etiam miſericordiæ affectus in filia Pharaonis apparuit, quæ ſic infantẽ Moſen miſerata eſt, vt ipſum etiã adoptaret in filium. Luc. 10. Exod. 2.

Sunt tamen, fateor, inter homines nonnulli, qui ſic ab hac præclara naturæ indole degenerarunt, vt omnem prorſus humanitatem exuiſſe, & ferinos mores induiſſe videantur: quos Apoſtolus ſine fœdere, & ſine affectione eſſe ait. Talis Hannibal fuiſſe perhibetur: qui cùm foſſam humano ſanguine plenam vidiſſet, O, inquit, pulchrum ſpectaculum! Talis etiam Romanorum tempore Valeſius Aſiæ Proconſul: qui cùm vno die quadringentos homines ſecuri ferire iuſſiſſet; O, inquit, rem regiã! Hos igitur non homines, ſed truculentiſſimas feras, & portenta quędam generis humani appellare licet: qui humano ſanguine fundendo ſic efferati erant, vt hunc nobilem humani cordis affectum prorſus amiſerint. Qua in re illud etiam obſeruandum eſt, hunc affectum nequaquã brutis animantibus, ſed ſolis hominibus inditum fuiſſe ab auctore naturæ Deo: neque enim bruta pereuntium brutorum compaſſione tanguntur. Rom. 1.

Ex qua quidem doctrina, quæ veriſſima eſt, duos Philoſophorum errores confutare poſſumus: vnum Stoicorum, qui affectus omnes damnant, fruſtraque nobis datos eſſe contendunt, cùm apertè liqueat hunc miſericordiæ affectum magno diuinæ prouidentiæ beneficio ad leuandas calamitoſorum hominum miſerias nobis datum fuiſſe. Alterum verò eorum Philoſophorum, qui Deum brutorum animantium, non autem hominum prouidentiam habere dixerunt, quòd viderẽt animantia ad ſuos fines recta tendere; in hominũ autem vita nihil ferè

ordine geri, sed casum atque fortunam in ea plerumque do-
nari, Quam eorum amentiam (vt alia prætermittamus) vel
vnum coarguit; quòd hunc misericordiæ affectum natura
ditor brutis animantibus, qui nullo misericordiæ affectu
guntur sed hominibus indidit, vt ipsi sibi mutuò in calam
bus subuenirent. Quo indicio liquet maiorem ipsum
num, quàm brutorum curam gerere.

Sed ad Dominum Saluatorem veniamus. Is vtique cu
rus esset homo, hoc affectu, cæterisque similibus non
quamuis affectus qui in nobis passiones appellantur, in
passiones, sed propassiones appellentur, quòd erant pl
obedientia rationis imperio sine vlla tergiuersatione s
Cùm ergo Dominus hoc in loco misericordia erga
commotus fuisse dicatur, vtrumque intelligere debemus,
sericordiæ affectum, & eam etiam misericordiam, quam
tem à charitate manantem esse diximus.

Psal.67. Hæc autem misericordia cùm erga alias tam præcipuè
viduas, pupillos, pauperes, & peregrinos vti solet. Vnde in
sanctis singulari quadam ratione pater orphanorum &
viduarum appellatur. Quæ quidem appellatio diuinæ ma
tis amplitudini conuenientissima est. Est enim falsa, Est
animi magnitudo. Falsa est quæ in homines inopes & in
imperium exercet, & crudeliter in illos desæuit. At contr
animi magnitudo hominum abiectissimorum atque de
patrocinium suscipit, quod in primis diuinæ magnific
proprium est. Hinc toties in literis sanctis viduarum & pu
Esa.1. rum cura & procuratio ab eo commendatur. Quærite, am
cium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite vid
Zach.7. & venite & arguite me. Apud Zachariam verò: Misericor
inquit, & miserationem facite vnusquisque cum fratre s
viduam, & pupillum, & aduenam, & pauperem nolite
mere. Quid verò illud? quantoperè extimescendum?
Exod.21. Exod. 22. ait idem Dominus? Viduæ & pupillo non noce
Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clam
eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gl
& erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli. Quis
verbis non magna religione & reuerentia erga pupillos &
duas commoueatur, quæ talem in cælis protectorem, p
Pro.23. num, ac defensorem habent? Hinc etiam Salomon, Ne att
ait, paruulorum terminos, & agrum pupillorum ne int
Propinquus enim illorum fortis est, & iudicabit contra te

fam ipsorum. Denique hac de causa olim Dominus in lege prę- Leu. 25. ceperat, vt septimo quoque anno terra Sabbathum ageret, vt aduenæ, pupilli, pauperes, & viduæ his quæ spontè nascerentur, inopiæ suæ consulerent. Quocirca rectè Apostolus viduas con- 1. Tim. 5. solatur, cùm earum præsidium in diuinæ misericordiæ fiducia & orationis instantia ponit, cùm ait: Vidua, quæ verè vidua est, & desolata, speret in Deo, & instet obsecrationibus & orationibus nocte & die. Hoc est in demortui viri loco (cuius fiducia & patrocinio vitam suam tuebatur) Deum in animæ suæ virum accipiat, atque in eius miseratione & paterna prouidentia acquiescat, Et quæ anteà se totam viri obsequio tradebat, nunc se obsecrationibus & orationibus dedat, vt Domini misericordiam sibi conciliet.

Quam ergo Dominus viduarum curam aliis commendat, ipse ante omnia suscipit, quod in huius Euangelicæ viduæ consolatione cernere licet, quam misericordiæ suæ affectu permotus, mirificè consolatus est. Non enim expectauit preces, non merita requisiuit, non intercessores, aut deprecatores vllos adhiberi voluit; sed sola misericordia sua ad opem viduæ ferendam inductus est. Primùm enim misericordia erga illum commotus fuisse dicitur. Deinde ad illam accedens, verbis dolorem lenire voluit, cùm dixit: *Noli flere.* Postremò ad loculum deueniens, adolescentem à morte ad vitam reuocatum, viduæ matri lætanti atque miranti restituit. Corde igitur, & verbo, & opere viduæ subuenit. Sunt autem hi gradus quidam, quos perfecta viri iusti misericordia complectitur. Primùm enim erga alienam miseriam miserationis affectu commoueri debemus. Nisi enim & verba & facta nostra ex pio cordis affectu prodierint, inania sunt. Deinde blanda & amica oratione laborantem fratrem alloqui & consolari debemus, ac postremò, si facultas suppetit, benignitatis officiis eius miseriam subleuandam curemus. Quod si hoc præstare non possumus, priora tamen illa, quæ cuique in promptu sunt, non sunt omittenda, per quæ alienæ miseriæ participes efficimur. Sic sanctus Iob, Flebam quon- Iob 30. dam, ait, super eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.

Vt autem vos alacriores & promptiores ad misericordiæ officia reddam, duo exempla quæ vobis non ingrata futura puto, ex beatæ Catherinæ Senen. vita hoc in loco attexenda curabo. Quadam igitur die sacra virgine ex templo domum redeunte, Christus ipse in forma iuuenis pauperis ac peregrini, triginta

plus minus annorum apparuit, petiuitque ab ea vestem,
rediens ad sacellum, vnde descenderat, tunicam non ma
tam, quam sub extima veste propter frigus induerat, sib
detraxit, pauperique tribuit, nesciens esse Christũ. At ille
lineum vestimentum petiit. Tunc illa jubet eum se se
ædes suas, vbi ei subuculam & subligacula dedit. Verum
destitit ille plura mendicare, vt probaret eius animum. (
inquit, faciam hac tunica, quæ manicis caret? Quæso eti
nicas mihi largiaris. Illa perlustrat domum, & ecce vide
tica suspensam nouam ancillæ tunicam: ab eaque ma
ferens, dat pauperi. Rursus ille etiam in domo hospita
bere socium dixit, vestibus valde indigentem. Tunc vero
virgo, nihil prorsus sibi superesse videns, quod daret, præ
nicam, qua erat induta, quam virgineus pudor detrahi no
nebat, dixit pauperi, Reuera charissime, si possem vllo p
libenter aliquid præstarem socio tuo. Ille verò subriden
deo, inquit, promptum animum tuũ, bene vale. Quis no
hanc importuni mendici molestiam æquo animo ferret? (
illum, vt impudentem atque importunum acerbis etiam
bis à se non ablegaret? Sed sancta virgo tanta illum man
dine & lenitate sustinuit, vt extimã illam tunicã libente
propter Sponsi sui amorẽ petenti datura fuisset, nisi vir
pudor obstitisset. Hæc enim tanta lenitas & charitas ex fl
tissimo sponsi sui amore proficiscebatur. Sed videamus, q
præmio cælestis sponsus, qui sub pauperis imagine latebat
tam piũ lenitatis & misericordiæ opus affecerit. Nocte seq
ri oranti virgini se illi manifestè visendum præbuit, in
ferens tunicã, quam ipsi virgo dederat, margaritis iam & c
cantibus gemmis conspicuam, atq. illi daturũ se vestem i
bilem pollicetur, quæ ab ea arceret omne noxium vtriusq
minis frigus. Quod certè etiam re ipsa præstitit, adeò vt c
tempore iisdem hyeme, quibus æstate, cõtenta fuerit vest
imò nec hyemis intemperiem vnquam senserit. Videtis hoc
emplo, fratres, quàm latè Domini magnificẽtia pateat, qu
vili, simpliciq́ue vestitu mirabilem illã vestem, quæ non co
ris modò, sed, quod multò maius est, animæ etiam frigus arc
(quod sola nuptialis vestis facit) adeò liberaliter cõtulit? Q
igitur hoc exemplo ad misericordiæ opera non accendatur
cuiusuis importuni mendici voces non libenter audiat? Ma
sanè hoc misericordiæ opus extitit, sed longè tamen maius,
mirabilius est quod modò subiiciam, quodq. singularem h

virt

virtutis laudem continet. Alexia vidua adeò feruenter amabat sanctam virginem, vt propemodum absque illa nolet viuere. Accidit autem anno quodam, vt magna esset tritici apud Senenses inopia. Vendebatur autẽ vile & malè olens triticum, & eius partem quandam etiam Alexia emit ne pane omnino careret. Antequàm autem illud putridum triticũ absumeretur, nouum idque purum prostabat in foro. Itaque volebat Alexia abiicere id quod reliquum erat corrupti tritici, & emere recens: prius tamẽ mentem suam sanctæ virgini aperuit. Illa verò respondit: Itane tu abiicere vis quod Dominus voluit esse hominum alimentum? Quod si tibi non libet illo vesci, da pauperibus, qui non habent quod edant. Alexia rursus dicente, non posse se tranquilla conscientia vel pauperibus tam putentẽ offerre panem, virgo sancta ait: Para aquam, & affer illam corruptam farinam: ego ipsa panes inde conficiam in vsus pauperum. Alexia facit vt erat iussa, & sancta virgo ex modica farina celerrimè tam multos effecit panes, vt multis hebdomadibus præter omnium expectationem nouo miraculo sufficerent, nec in his vllus sentiebatur putor: imò qui illis vescebantur, dicebant se nunquam tam grati saporis panes degustasse. Posteà autem sancta virgo secretè dixit Raymundo confessario rem certè admiratione dignissimam, & quæ apud eos solùm fidem habere poterit, qui beatissimæ virginis matris miserationes fuerint experti. Dixit igitur illi se cùm magno charitatis & misericordiæ affectu accessisse ad illam farinam, mox verò beatissimam Mariam Virginem ipsi apparuisse sanctis Angelis sociatam, suisque sacratissimis manibus cum ipsa panes composuisse, atque inde sic auctos fuisse. Quid hoc in loco dicam, fratres? quid prius mirer? quid prius commendem? An singulare Virginis Catharinæ meritum, quæ talem operis sui sociam habere meruit? An sacratissimæ Virginis piissimam dignationem, quæ propter pauperum inopiam subleuandam ad hoc seruile opus maiestatẽ suam demisit? An singularem misericordiæ virtutem, quam tali honore sacratissima virgo decorauit? Sed quid mirum si misericordiæ mater in cælo etiam residens, misericordiæ officia non deserat? Quid mirum si mater manibus suis panes ad alendos pauperes subegerit, cuius filius manibus suis piscatorum pedes lauit? Quod si Catherinam sacra virgo filio suo in sponsam tradidit, quid mirum si sancta socrus dilectissimam nurum in hoc benignitatis opere adiuuare voluerit? Quis igitur hoc exemplo ad misericordiæ opera non excitetur, cùm cælorum

Reginam Angelorum choris sociatam adeò studiosè hu-
ri incubuisse videat? Hæc de misericordiæ virtute, ac de
Euangelica lectione, quæ vehementer nobis Domini m
cordiam commendat, dicta sint. Nunc ad defunctum a
scentem, cuius in proposito themate mentio facta est, t
mus.

TRACTATIO THEMATIS.

Ecce defunctus efferebatur, &c. Adolescens hic imm
morte è medio sublatus, mortalitatis nostræ condition
bis ob oculos ponit. Stat enim sua cuique dies; omnesq
aut citius sedem properamus ad vnam. Cùm autem m
mortis nostræ conditione dici possint, quàm sit eius hom
mescenda magnoperè & intelligere & considerare no
Quò enim iudicium eius magis metuimus, hôc diligen
illud præparabimur. Timor enim periculi solicitum hom
ad euadendum periculum reddit: quod contrà nimia se
facit, quæ negligentiæ atque socordiæ mater est. Hac ig
re pauca modò dicere institui.

Aristoteles inter omnia terribilia vltimum atque extr
esse mortem ait. Hoc enim mors à cæteris corporis inco
dis distat, quòd ea non vno aliquo bono, vt cæteræ calami
sed omnibus simul vitæ bonis hominem spoliat, nihilque
sus ei relinquit, non diuitias, non opes, non patrimonium,
lucis huius vsuram, non dulces amicos, non fratres, non
rem, non liberos, non quauis alia necessitudine coniun
Horum enim omnium societatem & coniunctionem vna
dirimit. Hinc D. Hieron. O mors, inquit, quæ fratres
dis, & amore sociatos crudelis ac dura dissocias. Hinc Re
1. Reg. 15. Madianites cùm iamiam esset moriturus, Siccine, inquit,
rat amara mors?

Acerba quidem est huius seculi amatoribus hæc sepa
longè tamen istis acerbior est (vbi ad mortis aditum ventū
rit) rationis reddendæ cogitatio. Vident enim verum esse q
Rom. 14. Apostolus ait: Omnes nos manifestari oportet ante trib
Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gess
Hebr. 9. ue bonum siue malum. Idemque alibi: Statutum est hom
bus semel mori; & post hoc, iudicium. Quæ sit autem iud
huius forma atq. sententia, breuiter regius vates expressit, c
dixit: Semel loquutus est Deus duo hæc audiui, quia pote
Psal. 61. Dei est, & tibi Domine misericordia; quia tu reddes vnicu
iuxta opera sua. Quam quidem sententiam omnes diui non

volumin

voluminum paginæ vbiq. decantant. Qui ergo vix quidquam in vita officiosè & piè gessit, qui multorum sibi criminum conscius est, qui vitam ferè omnem in somno, ludo, atque otio consumpsit, qui non Dei voluntatem, sed suam semper est exequutus, qui non Dei, sed seculi obsequio se totũ tradidit, quos, quæso, æstus, quos angores, quam trepidationem hoc tempore sustinebit, cùm adeò vehementer ipsum malè acta vita & scelerum conscientia premat? Quomodo igitur qui hoc firma fide tenent, opportunè se ad hoc periculum præparare renuunt? Quomodo iudicium hoc (in quo de sempiterna vita, aut sempiterna morte sententia ferenda est) non perhorrescunt? non se ad illud opportunè præparant? non de illo dies noctesque cogitant? quod velint, nolint, effugere non poterunt? cuique non per famulos aut vicarios, sed ipsi per se paucis post hac diebus interesse debent?

Vt hanc autem hominum cæcitatẽ vobis ob oculos ponam, Sedeciæ Regis Iuda historiam ad memoriam reuocabo. Huic ergo à Rege Babylonis obsesso Hieremias propheta in sermone Domini apertissima oratione significauit, illum in atrocissimi hostis potestatem esse venturum, & regnum quo potiebatur, amissurum. Cuius vaticinij veritatẽ rei euentus facilè confirmauit. Ciuitate enim expugnata, à militibus comprehensus, ad Regem Babylonis adductus est. Et quid tandem is fecit? Primùm quidem omnes eius filios ante patris ora iugulauit. Deinde omnes Principes Iuda occidit in Reblatha, & quod omnium miserrimum fuit, oculos infelici Regi effodi iussit, ac postremò ad malorum omnium cumulum, vinxit eum compedibus, & ferro vinctum adduxit in Babylonem, & posuit in carcere vsq. ad diem mortis suæ. Quid, quæso, hac infelici tragædia funestius? quid miserabilius? Fingamus igitur Deum per aliũ Hieremiæ similem alicui Regi opulentissimo eandem fortunam & cladem propter grauia eius scelera denunciare: hoc est, ipsum regno & libertate spoliandum, & in potestatem Principis Turcarum tradendum, qui crudeliter hac victoria vtens, eum ferro vinciat, & in stabulo iumentis seruire præcipiat, & furfuraceo pane aliorum captiuorum more victitare iubeat, neque aliqua ab aliorum captiuorum miseranda sorte leuari velit. Si is igitur plenissimam huic diuinæ prædictioni fidem adhiberet, quos, quæso, æstus, quos angores in animo suo pateretur, cùm se ex tã ampla fortuna, qua semper potitus fuerat, in tam diram captiuitatem & seruitutẽ abducendum cogitaret? Ego ne (intra se

Hier. 39.

dictitaret) opulentissimum hoc regnum amissurus, & immanissimo Turcarum regi seruiturus? ego ab vxoris, & filiorũ, principumque meorum complexu diuellendus? ego cõpedibus & ferro vinciendus? ego cuius mensæ omnes terræ marisque diuitiæ seruiebant, furfuraceo pane alendus? Quæ me vis ad hanc tantam miseriam & calamitatem adigit? Non dubium quin has intra se cogitationes dies noctesq́. miser iste Rex volueret, has in animo suo curas comedens, bibens, vigilans, atque dormiens versaret. Cui nec cibus gratus, nec somnus quietus; nec aliquid in vita sic affecto & perturbato iucundum esse poss. Iam verò si illi fortè Niniuitarum pœnitentia in mentem veniret, intelligeretque iram Domini indignantis, per eam auerti posse, quanta, quæso animi pœnitudine Deum placare contenderet? quas ad illum preces funderet, quę vota nuncuparet? quibus se ieiuniis lacrymisque conficeret? quibus eleemosynis & benignitatis operibus Danielis Prophetæ consilio vsus, iniquitates suas redimendas curaret?

Nunc ad nos ipsos veniamus, fratres: quid, quæso, hæc tanta calamitas est, si cum ea comparetur, quæ improbum quemque sub mortem manet, nisi tenuis quædã vmbra & imago? Quarum enim inter tempus & æternitatem, tantum inter vtrasque discrimen est? Tempus enim breui spatio definitur, æternitas autem nullo fine circunscribitur. Quantò autem maius est cœlesti ac sempiterno regno, quàm temporario & terreno priuari? Quantò acerbior captiuitas sub principe Diabolo, atrocissimo generis humani hoste, quàm sub immani Turcarum principe? Quantò grauius claustris gehennæ ferreis, quàm compedibus vinciri? Quantò miserabilius inter dæmones, quàm inter infimæ sortis captiuos diuersari? Quantò luctuosius est, in gehenna quàm in stabulo iumentorum commorari? Quantò acerbius inter igneos gehennæ globos perpetuò volutari, quàm humi cum cæteris captiuis cubitare? Quantò igitur hæc calamitas, quàm illa funestior? Si ergo eius prædictio & cogitatio miserum hunc Regem adeò anxium & attonitum perpetuò redderet: quonammodo qui sine vllo Dei metu vitam agunt, quique secundum præsentis vitæ statum ad hanc pœnarum æternitatem damnati sunt, adeò securè agunt? quomodo hæc infelicissima sors, (quam non Angelus aut Propheta, sed ipse Angelorum & Prophetarum Dominus eis futuram prædicit) nihil eos solicitat? nihil pungit? nihil angit? Quomodo qui terrenarum rerum iactura aut imminentis alicuius periculi metu

sic tor-

torquentur & cruciantur, huius tantæ rei metu ne tantillum quidem commouentur? Si enim hæc dubia fide crederent, minus vtique mirum esset eos sic stertere ac dormitare. Sed cùm omnia ista firma & inconcussa fide teneant, & eorum male acta vita eos vehementer accuset, quomodo vitam omnem in somno, ludo, otio sine vlla salutis suæ cura, aut impendentis periculi metu traducere possunt? O ferreas hominum mentes! ô pectora cæca! ô dementiam sanguineis etiam lachrymis deplorandam. Vbi quæso sensus? vbi ratio? vbi iudicium? vbi consilium? vbi saltem naturalis periculorum timor, qui tantò acrior est, quantò periculum imminens, & grauius & certius est? Quid autem certius, quàm quod catholica fides prædicat? Quid grauius, quàm id, in quo aut de cælestis regni gaudiis (quæ omnem mentis humanæ desiderium superant) aut de sempiternis gehennæ suppliciis (quæ omnia huius vitæ supplicia vincunt) sententia ferenda est? Quis igitur nos ita de mente deduxit? quis ita sensus nostros obstupefecit? vt cùm omnia siue aduersa, siue secunda, quæ momentaneam hanc vitam attingunt, sic nos exagitent, sempiternæ vitæ bona (quæ infinitis partibus maiora sunt) prorsus negligamus?

Vnde quæso, fratres, hic tantus mentium stupor? hæc tam densa animorum caligo? in his præcipuè qui firma fide tenent, nemini ad salutem aditum sine pœnitentia aut innocentia patere? Multa sunt quæ homines in hoc errore detinent: sed illud in primis, quòd longiora sibi vitæ spatia multi pollicentur: ad quæ pœnitentiam, quam certò ad salutem necessariam esse sciunt, reseruant. Quam quidem opinionem callidissimus ille serpens astu, atque præstigiis suis confirmare nititur, cùm facit, vt homines mortem, quæ sæpe in foribus adest, longissimo à se interuallo abesse putent. Qua in re pictorum artem atque solertiam imitatur: Simil. qui corpora quædam in tabulis ita depingunt, vt longissimè distare videantur, quæ tamen in eadem tabula sunt. Cuius fallaciæ dolum illi quotidie experiuntur, qui cùm diuturnam sibi vitam pollicerentur, multaque in futurum tempus disponerent, hac falsa spe delusi, insperata morte è medio sublati sunt.

Hæc est igitur, fratres, vt alias prætereamus, præcipua causa, quæ seculi amatores in hoc tanto salutis æternæ periculo adeò securè vitam ducere facit. Quid autem dementius, quàm hoc tantum negotium tam dubiæ spei committere: quæ si votis nostris minimè respondeat, imparatum hominem ante rectissimi

iudicis

Matt. 25. iudicis tribunal sistit; qui nos tot propositis in Euangelio p[...] bolis ad vigilãdum adhortatus est? Vigilemus ergo, fratre[...] fidelibus & prudentibus seruis, & lampades cum oleo pr[...] mus cum prudentibus virginibus, vt cùm Dominus vene[...] pulsauerit ianuam, nos vigilantes inueniat: atque ita tan[...] felicitatis & beatitudinis participes efficiat, quam fideli[...] prudentibus seruis in regno Patris sui paratam habet: cui[...] riã nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis [...]

Esa. 64. dit, quam promisit Deus diligentibus se. Cui est gloria [...] perium in secula seculorum. Amen.

IN EADEM DOMINICA D[...] MA QVINTA POST PENTECOSTEN [...] cio secunda: in qua post Euangelicæ lection[...] planationem, de peccati morte dissleritur, [...] omnia quæ de morte dicuntur, illi etiam i[...] genere conueniant.

THE. *Ecce defunctus efferebatur, filius vnicus m[...] suæ.* Luc. 7.



Vicunq. fideles sumus, dilectissimi, nihil p[...] puè in votis habere debemus, quàm vt semp[...] na vita in cælesti gloria perfruamur. Hoc [...] omnium desideriorum nostrorum & summ[...] & maximum vel est, vel certè esse debet, [...] cunque enim in hoc mundi pelago nauigamus, ad hunc [...] æternæ portum peruenire contendimus. Qua autem via c[...] pellere possimus, cælestis magister cuidam pio adolescenti[...] uiter significauit. Cùm enim ille dixisset, Magister bone, [...]

Matth. 19. faciendo vitam æternam possidebo? Dominus respondit: S[...] mandata. Hæc enim sola est regia & certa ad cælum via. P[...] autem hæc mandata seruat quisquis firmissimo animi pro[...] to apud se statuit, vt nulla vnquam ratione, hoc est nullo [...] emolumento, vel damno inductus, lethali peccati succumb[...] Quisquis enim verè hoc apud se definiuit, is vtique Dei m[...] data seruat, cùm ea nemo nisi per lethale peccatum transgre[...] tur. Ex qua quidem supputatione illud apertè colligitur, vt [...] salutis nostræ summa in vera pœnitentia, in huius proposit[...]

mitate consistat. Ad hoc ipsum autem multa quidem alia, sed illud in primis conducit, vt peccati deformitatem & malitiam perspectam, & cognitam habeamus; quam cùm alia multa, tum præcipuè mortis deformitas, quæ à peccato orta est, magnoperè declarat. Cùm enim effectus sit participata quædam causæ suæ similitudo, cùm peccatum mortis fons & origo extiterit (per vnum quippe hominem peccatum introiuit in mundum, & per peccatum mors) ex effectu causam, & ex riuulo fontem agnoscimus. simil. Vt enim filij parentum imaginem & mores referre solent; ita mors, quæ peccati filia est, qualis peccati facies & figura sit, non obscurè declarat. Quocirca qui peccati deformitatem in se non agnoscimus, in morte, quæ eius soboles est, deprehendere poterimus. Ad hoc autem argumenti genus tractandum opportunè nobis adolescens hic defunctus in sacra huius diei lectione proponitur. De hac igitur peccati morte pauca in præsenti concione disseremus, si prius tamen Euangelicam lectionem, quæ huius argumenti caput est, explanauerimus. Quod vt piè & vtiliter præstare possimus, cælestem opem sacratissimæ Virginis interuentu suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Ibat (inquit Euangelista) *Iesus in ciuitatem quæ vocatur Naim: & ibant cum eo discipuli eius, & turba copiosa.* Naim autem ciuitas est in Galilæa non longè sita à Capharnaum, duobus autem milliaribus distans à monte Thabor. Capharnaum autem ciuitas Domini dicebatur, non quòd in ea natus fuisset, sed quòd in ea diutius habitaret. Ex qua quidem egrediebatur per vicos, & castella, ciuitatesque, vt vbique cælestem doctrinam spargeret, morbosque omnis generis pelleret, & clarissimis operum suorum miraculis ad fidem homines excitaret. Prudenter autem S. Lucas Euangelista miraculum hoc post alia duo quæ præcesserunt subiungit. Primum enim fuit leprosi mundatio; quem Dominus post diuinum illum sermonem quem ad discipulos in monte habuit, sacratissimæ manus suæ contactu à lepra mundauit. Deinde verò absentem Paralyti- Luc. 5. cum centurionis seruum iamiam moriturum solo verbo sanitati restituit. Post hæc verò sequitur aliud longè maius, hoc est defuncti hominis suscitatio. In hoc igitur ordine miraculorum à rebus mirabilibus ad mirabiliora processum fuit. Magnum quippe extitit præsentem leprosum salutifero manus suæ tactu mundare, maius autem paralyticum absentem solo

verbo

verbo ſanare, omnium verò maximum, adoleſcentem mo-
tuum ſolo verbi ſui imperio ad vitam reuocare.

Cùm igitur Dominus huic ciuitati Naim appropinqua-
huius adoleſcentis funus, & vidua mater illi occurrit. Vbi-
autem Domini occurſus & obtutus felix & ſalutaris eſt. Occ-
rit enim dæmoniacis in regione Geraſenorum, & curauit e-
Vidit Petrum, & Andream piſcantes, & fecit piſcatores ho-
Matt. 9. num. Vidit Publicanum nomine Leui, & ex Publicano f-
Ioan. 5. Apoſtolum. Vidit in probatica Paralyticum, & mox illi ſa-
Ioan. 9. tem contulit. Vidit cæcum à natiuitate, & videndi facul-
præbuit. Reſpexit in atrio Petrum, & ad pœnitentiam e-
uit. Sic modò viduæ occurrens, eamque flentem videns,
illi conſolatorem exhibuit, dum extinctum filium vitæ r-
didit, eiusque lachrymas in gaudium commutauit. Si er-
tam ſalutaris vbique Domini aſpectus & obtutus eſt, orare ſ-
per Dominum debemus, vt placidis nos atque benignis ocu-
intueri dignetur, ſupplicique voce cum Propheta clam-
Pſal. 24. Reſpice in me Domine & miſerere mei, quia vnicus & pa-
ſum ego.

Ecce (inquit) *defunctus efferebatur, filius vnicus matri*
Et hic quidem adoleſcens erat: cui ætas & ſibi & matri long-
vitæ eam ſpem præbebat, vt illa quidem tanquam ſenior,
è vita decederet; hic verò maternæ hæreditatis hæres, in-
ſoſpes relinqueretur. Hæc tamen ſpes multos ſæpe fallit. Q-
ties enim patres filiorum magis quàm filij parentum hæ-
ſunt? Hinc diuus Hieronymus ad Heliodorum de Nepotia-
matura morte: Quod, inquit, iuuenis exhibere ſenibus d-
buit, hoc iuueni exhibemus ſenes. Itaque adoleſcentis hu-
multorumque ſimilium exemplo, omnis ætas trepida eſſe d-
bet, fratres, & de morte, & de genere mortis, & hora morti-
licita. Alij enim naufragio, alij ferro, alij caſu aliquo & fort-
intereunt, alij longa ægritudine, alij celeri atque adeò inop-
morte rapiuntur: aliis neque teſtamenti condendi neque ſa-
menta percipiendi (quod eſt maximè formidandum) facul-
ſuppetit. Quiſque autem noſtrum (quod ad ſe attinet) hor-
omnium prorſus ignarus, neque aut quo tempore, aut quo l-
co, aut quo mortis genere, & qua animi præparatione
hac vita decedendum ſit, prorſus agnoſcit. Quocirca ſa-
tare conſilium eſt, vt ſemper parati, ſemper in procinct-
ſimus. Ad quod ipſe qui iudex noſter futurus eſt, nos ho-
Luc. 12. tatur, cùm ait: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ
den-

dores in manibus vestris ; & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptiis, vt cum venerit & pulsauerit, confestim aperiant ei. Et si venerit (inquit) in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi. Per varias autem noctis vigilias, varias vitæ nostræ ætates intelligit ; hoc est adolescentiam, iuuentutem, & senectutem : in quibus omnibus nos esse paratos vult : quia nescimus horam, in qua Dominus noster venturus est.

Cùm ergo Dominus appropinquaret portæ ciuitatis, Ecce, inquit, *defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ, & hæc vidua erat.* Paucis verbis S. Euangelista viduæ huius calamitatem amplificauit, quòd videlicet vnicum amisisset filium, qui sanè luctus acerbissimus est. Luctus enim atque dolor mensuram sequitur amoris. Amor autem maternus & vnici filij, tantus est, vt eius comparatione voluerit Dauid Rex dilectionis suæ magnitudinem erga Ionathan exprimere, cùm dixit, Sicut mater vnicum amat filium, ita ego te diligebam. Quantus ergo hic amor extitit, tantum vtique dolorem atque luctum fuisse necesse est. 2. Reg. 1.

Misericors ergo Dominus hanc tantam viduæ matris orbitatem pio cordis affectu miseratus, lachrymisque viduæ velut quibusdam spiculis saucius, illam primum alloquitur, eiusque dolorem & lachrymas abstergere cupiens: *Noli,* inquit, *flere*; hoc est, Omnem à te, ô mulier, dolorem atque lachrymas excute. Ego enim tibi quem mortuum luges filium, vitæ restituam. Felices lachrymæ, quæ talem habere meruerunt consolatorem; felix miseria, quæ talem habuit depulsorem! En, fratres, calamitatum fructus. Nullibi absentior Dominus, quàm in calamitate esse videtur, & nullibi tamen, si ad illum confugias, præsentior est. Fidelis enim est qui dixit, Cum ipso sum in tribulatione. Et apud Esaiam pium hominem bono animo esse in calamitate iubet his verbis, Cùm transieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te, in igne non combureris. Psal. 90. Esa. 43.

Vbi igitur his verbis Dominus viduam consolatus est, *Accessit, & tetigit loculum : ij autem qui portabant steterunt, & ait: Adolescens tibi dico, surge: & resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui & dedit illum matri suæ.* Accipe, inquiens, filium tuum, & conuerte luctum tuũ in gaudium, & auctori vitæ, atq. solitudinis & orbitatis tuæ protectori immortales semper gratias age.

Hoc

Hoc in loco, fratres, diuinæ atque humanæ naturæ prop
tem apertè cernimus. Cum enim Dominus misericordiæ
ctu commotus, viduam benignè alloquitur & consolatu
rum se hominem esse, & misericordiæ affectu se tangi d
uit. Cum verò solo verbi imperio nullísque adhibitis pr
adolescentem excitauit, se verum Deum, & mortis ac vitæ
minum apertissimè comprobauit. Quamuis enim sanct
mortuos sæpè ad vitam reuocauerint, non tamen hoc
Domini imperantes, sed suppliciter Deum orantes effic
Solius autem Dei est & vitæ, & morti imperare: qui v
quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt.

Sed videamus quid ex hoc adeò insigni miraculo con
sit. *Accepit*, inquit, *omnes timor*. Cur quæso timor? Qu
fectu causam, hoc est, in hoc diuinitatis opere, diuinitati
potentiam & gloriam præsentem adesse senserunt. Hu
Ioan. 11. minus cùm Lazari tumulum requireret, & Martha resp
ret, Domine, iam fœtet quatriduanus in monumento, ill
trà: Nonne, inquit, dixi tibi quia si crederis videb
riam Dei? Quonammodo? Quia in illo videlicet m
centissimo opere apertissimè diuinæ maiestatis omnip
& gloria declarabatur. Constat enim ex Philosophorum
tentia, rem eandem numero vbi corrupta fuerit, nullo
redire. Est igitur hoc solius diuinæ potentiæ opus, quam
lo opere qui præsentes aderant, non solùm admirati, sed
ad eius præsentiam tremefacti sunt. Ea enim est diuinæ m
statis amplitudo, vt cùm ea aliquo signo manifestè prod
non possit humana infirmitas non præ eius admiratione co
Dan. 2. pescere atque trepidare. Quòd apertè Nabuchdonosoris ex
plo discimus: qui vbi Danielē audiuit arcana cordis, quæ ip
se in somnis viderat explicantem, tanta admiratione & t
perculsus fuit, vt summus ille orbis Monarcha ante captiu
suum in faciem prostratus, eum adorauerit, & hostias & in
sum offerri præceperit. Sed quid miramur ante diuinæ m
statis præsentiam hominum fragilitatem trepidare, cùm i
ipsum Angelorum præsentia faciat? Cùm enim Angelus
in monte Sinai in persona Domini filiis Israel leges fer
adeò magno metu atque pauore perterriti fuerunt, vt M
Exod. 20. si dicerent: Loquere tu nobis, & audiemus; non loq
tur nobis Dominus, ne fortè moriamur. His exemplis in
ligere licet, fratres, quale erit ipsum maiestatis Domini
in extremo illo iudicio choris Angelicis stipatum, è c
adt

ad terram non ad leges hominibus ferendas, sed ad legum violatores æterna morte puniendos venientem cernere? Quale tunc erit irati iudicis vultum spectare? Quis pauor? quis mœror? quis horror? quæ trepidatio? cùm reprobi homines scissuras petrarum, & saxorum cauernas requirant, ne iratum iudicis vultum cernāt? Si modò accepit homines timor, cùm Dei omnipotentis gloriam in mortui huius excitatione viderunt, quid facient, cùm eundem non mortuos ad vitam reuocantem, sed viuētes sempiterna morte mulctantem viderint? Nunc autem, fratres, in potestate nostra est, vt in illo die non iratum, sed placidum iudicem ad cæleste regnum inuitantem cernere valeamus. Felix qui hoc semper animo agitat; felix & verè prudens qui sic vitam instituit, vt se semper ad illum diem præparet, qui de tota æternitate sententiam laturus est: in quo non anima solum, sed corpus simul cum anima eandem sortem, locumque recipiet. Cuius rei imaginem adolescentis huius resurrectio declarat. Qui enim solo verbi imperio hunc mortuum ad vitam reuocare potuit, poterit vtique mortuos omnes pari potestate pristinæ vitæ reddere. Iustum enim est, vt piorum corpora, quę fideliter animæ seruierunt, & magnam laboris & pœnitentiæ partem susceperunt, eiusdem cum ea gloriæ participes fiant. Contrà verò improborum corpora, quæ vitam omnem in stupris, & libidinibus, variisque voluptatibus consumpserunt, & animas suas ad consensum praui operis illexerunt, simul cum illis acerbissimas præteritarum voluptatum in æternum pœnas pendant.

Accepit, inquit, *omnes timor, & magnificabant Deum dicentes: Quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebem suam.* Plebis autem nomine non vnam aliquam vrbem, sed totum populum Israëliticum visitasse Dominum, hoc est, magno beneficio & munere affecisse prædicant. Vnius ergo Prophetæ sanctitatem totius regni beneficiū esse docent. In illo enim habent per quem in rebus dubiis Dominum consulere, per quem iratum placare, & à seueritate ad clementiam flectere possint. Sic enim olim Dominum Moyses in deserto præuaricatori populo placauit. Quo argumento animaduertere licet, quanta sit sanctorum dignitas, quantaque ex eorum præsentia ad populos manet vtilitas. Propter decem iustos, quinq. impurissimis atque teterrimis ciuitatibus parciturum se Dominus Abrahæ pollicitus est. In Pauli gratiam Dominus omnes qui cum illo nauigabant, ab imminenti naufragio se liberatu- rum

Exod. 32. Gen. 18. Act. 27.

4 Reg. 2. rum promiſit. Quid verò illud quod Rex Iſraël ad Eliſ[æ] ait? Pater mi, Pater mi, currus Iſraël & auriga eius, hoc eſt Iſraëlitico populo currus & auriga, tu murus es, tu defenſ[io] arx munitiſſima. Plus enim ſanctus ille vir ad Regni m[u]mentum, quàm omnes currus & equites, omnesq́. armat[orum] hominum phalanges conferebat. Nec minus mirum eſt modo ſubiungam. Sancti quippe viri non ſolum cùm in[ter] agunt, ſed etiam cùm è viuis exceſſerunt, vrbium, in quib[us] rum corpora adſeruantur, ſtabilimentum ſunt. Sacrum beati Simeonis Stilitæ corpus, Antiochiam delatum, atq[ue] conditum fuit. Quod tamen Leo Imperator poſteà ab A[n]chenis petiuit. At illi Imperatori reſponderũt, eius furor[e] nia ciuitatis diruta fuiſſe, poſtulare autem ab eo ſanctiſ[ſimi] Simeonis corpus vt ſibi & murorum & munimenti lo[co] Hoc exemplo intelligere licebit, fratres, quod antè di[xi] quo in pretio viri ſancti habendi à nobis ſint, à quibus tam ra vtilitas ad communem ſalutem manat. Quo argumen[to] telligetis quàm grauiter & in Deum, & in ſeipſos, & pu[blicam] ſalutem delinquant, qui pios homines inſectãtur, qui co[n]miniosis verbis nominibusq́ue dehoneſtant; qui hypocri[sis no]men illis impingunt, qui pia illorum opera ſiniſtra inten[] tione traducunt, qui eos popularem auram & vanos ru[mus]los aucupari dictitant. Qui quam grauiter hac in re non t[] los, quàm illorum Dominum offendant, idem ipſe Do[minus]

Zachar. 2. per Zachariam de ipſis loquens, ait: Qui vos tangit, tang[it pu]pillam oculi mei. Quid enim maius in ſeruorum ſuorum f[auo]rem immenſa illa bonitas dicere debuit? Satis enim ad e[] gloriam erat dixiſſe, Qui vos offendit, me offendit. Quant[o au]tem maius eſt dixiſſe, Qui vos tangit, tãgit pupillam oculi Hæc vna Domini ſententia (vt nihil aliud addamus) ſatis e[] qui piis hominibus detrahunt, intelligant qua iniuria eo[s] Dominum afficiant, cùm ſeruorum eius vitam & famam l[ace]rant. Hactenus de Euangelica lectione, fratres, nunc id q[uod] initio propoſuimus tractare incipiamus.

TRACTATIO THEMATIS.

II.

Diximus initio, ſi meminiſtis, fratres, Chriſtianæ vitæ ſ[um]mam, diuinorumque mandatorum obedientiam in peccati[s fu]ga atque deteſtatione ſitam eſſe. Ad hanc porrò deteſtation[em] res omnes à Deo conditæ nos hortantur, ad hanc omnia, diui[]

diuinis voluminibus continentur, ad hanc incarnationis Dominicæ sacramentum, hoc est, Christi Domini Natiuitas, vita, mors, resurrectio, & ascensus in cælum, & paracleti spiritus aduentus, & omnia deniq. Christianæ religionis mysteria nos inducunt. Sed his omnibus prætermissis, hac vna ratione hodie vos ad lethalis peccati detestationem excitare tentabo; quod videlicet huiusmodi peccatum verè sit mors ideoque non minori odio, sed multò adhuc maiori quàm mors corporis fugiendum atque detestandum sit.

Quod autem mortis nomen in peccatũ cadat, saluator ostendit, cùm de prodigo filio ad frugi filium dixit: Frater tuus hic mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est. Idemque adolescenti cuidam facultatem ab ipso ad sepeliendum patrem postulāti, Dimitte, inquit, mortuos sepelire mortuos suos. Sapiens quoque ait: Homo per malitiam occidit animam suam. Iam verò religiosa illa Susanna cùm à flagitiosis senibus ad stuprum sub mortis interminatione solicitaretur, Angustiæ, inquit, mihi sunt vndique, & quid eligam ignoro, si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras. Animaduertite, quæso, verborum proprietatem; stupri peccatum appellauit mortem, at mortem, quam illi minabantur, alio nomine designauit, vt appareat mortis nomẽ verius in peccatum, quàm in ipsam corporis mortem cadere. Lucæ 15. Matth. 8. Sap. 16. Dan. 13.

Vt autẽ mortis huius naturam intelligatis, meminisse oportet ex Apostoli doctrina, in vnoquoque nostrum duplicem esse hominem, externum videlicet, & internum: hoc est, corpus & animam; ac proinde duplicem in nobis esse vitam, & duplicem mortem. Est enim vita corporis, quam habemus communem cum brutis. Est & animę vita, quam habemus Angelis similem, hoc est, vitam spiritualem, vitam puram, vitã sanctam & à turpitudinis contagio liberam, qualem Angeli viuunt. 2 Cor. 4.

Iam vtriusque vitæ principium & causam inspiciamus. Corporeæ vitæ principium anima est, quæ dat vitam corpori: quã sublata, moritur corpus. At spiritualis vitæ principium, Deus est in anima nostra residens; & hanc illi spiritualem atque religiosam vitam inspirans. Ex vtriusque autem vitæ principio, vtriusque vitæ & mortis distantiam intelligere licebit. Sicut enim Deus animæ, ita anima vitam corpori præstat. Rursusque quãtò acerbius & luctuosius est Deũ ab anima, quàm animam à corpore separari, tãtò mors animæ, quàm corporis luctuosior est. Hinc D. August. Non sunt, ait, in te viscera pietatis, si luges

corpus à quo recessit anima,& non luges animam à qua recessit
Deus. Quid enim calamitosius? quid magis miserãdum, quàm
Oseæ 9. Deum amittere? Hinc per Oseam Dominus, Væ, inquit, eis
cùm recessero ab eis. Qualis enim misera anima Deo ab illa re-
cedente relinquetur? Hoc est, enim summum illud supplicium
quod per Ieremiam Dominus populo suo minatur, cùm ait:
Ierem. 6. Erudire Ierusalem, ne fortè recedat anima mea à te, & ponam
te terram desertam, inuiam, & inhabitabilem. Talis enim a-
ma relinquitur, cùm Deus ab illa separatur, qualis terra de-
ta, inuia, & inhabitabilis; quæ ad nullum humanæ vitæ v-
Oseæ 9. idonea est. Quocirca meritò Propheta talem animã ad luct-
excitat, cùm ait: Noli lætari Israël, noli exultare sicut popu-
quia fornicatus es à Deo tuo; hoc est, quia summum illud
vniuersale bonum, in quo sunt omnia bona, propter ludicra &
inania mundi bona amisisti.

Adde his etiam omnium bonorum operum, quę anteà fece-
rat iacturam: quibus amissis, homo spoliatus nudusque relin-
Esaiæ 1. quitur. Hoc est enim quod per Esaiam Dominus de improbis
hominibus ait: Et eritis velut quercus defluentibus foliis, &
velut hortus absque aqua. Vt enim talis quercus omni hon-
frondium atque fructuum spoliata est, sic per peccatum a-
omnium bonorum operum meritis, quæ magno fortasse la-
congesserat, nuda relinquitur: Et quæ anteà erat velut hor-
irriguus, variorumque florum amœnitate gratum Angelis sp-
ctaculum exhibebat, nunc per peccatum velut hortus absq-
aqua remanet; qua deficiente, omnes stirpes & plantæ arescun-
vel certè degenerant in ligna syluarum.

Hæc igitur prima causa, fratres, quæ nos ad capitale pecc-
odium excitare debet, quòd per illud primum quidem Dei, ho-
est, summi boni deinde meritorum omnium, quæ nobis in vi-
comparauimus, iacturam faciamus. Qua in re peccatum mo-
tis conditionem imitatur, quæ cunctis opibus atque terren-
bonis hominem priuat. Sis licet Cyrus alter, aut Alexander, a-
mundi dominus, vbi ad mortem veneris, Iro atque Lazar-
mendico pauperior eris. Verè enim dictum est:

Mors sceptra ligonibus æquat.

Altera verò causa, quæ nos ad hoc salutare odium inducit, pec-
cati deformitas est. Prius tamen quàm hanc eius deformitatem
oculis vestris subiiciam, intelligere oportet præcipuam serpen-
tis antiqui fallaciã, qua incautos homines decipit, & illaquea-
in hoc sitam esse, quòd hanc peccati deformitatem astu suo t-

git,

git, & pro ea blandissimam & iucundissimam faciem subiicit. Cuius rei exemplũ in iis, qui leuitatibus amatoriis dediti sunt, cernere licet. His namque iucundissimum est, amatorias literas variis sententiis & verborum acumine refertas scribere, corpus elegantissimis vestibus ornare, faciem variis pigmentis excolere, aures, digitos, & colla auro & margaritis nitidiora facere. Adde his spectacula, cantilationes nocturnas, saltationes meretricias, & impudica colloquia. His enim rebus, quæ imprudẽtium oculis, externamque solùm rerum faciem intuentibus gratissima sunt, antiquus hostis veram peccati faciem atque deformitatem abscondit. Vt enim venena melle lita propinantur; ita Simil. peccati deformitas hac fallaci imagine à dæmone proposita cælatur. Quis autem hanc dæmonis fallaciam intelligere queat? Quis (ait Dominus de dæmone sub imagine leuiathan loquẽs) Iob 41. reuelabit faciem indumenti eius? hoc est, quis externam pellem huic monstro detrahet, vt quid sub eo pellis tegumento lateat, intueri valeat?

Hanc porrò latentem deformitatem mortui hominis cadauer apertissimè declarat. Scitis enim mortem peccati sobolem atque propaginem esse. Per vnum quippe hominem peccatum Rom. 5. introiuit in mundum, & per peccatum mors. Hic est igitur, fratres, peccati fructus, hic fœtus, hæc infaustissima atque horrenda propago. Ex fructu ergo arborem, atque ex effectu causam agnoscimus. In hoc igitur velut speculo peccati deformitatem pij atque sapientes homines animaduertunt, teterrimam atque funestissimam rem esse iudicantes, ex qua hæc tam tetra cadaueris insepulti facies exorta est. Hinc fit, vt vel dilectissimi filij mater, vel amantissimi viri vxor, vbi vel filium vel virum animam exhalasse viderit, quanta possit celeritate amantissimum anteà corpus humandum curet, ne horrifica illa specie terreatur, maiorique ex eius aspectu doloris aculeo saucietur. Iam verò si paucis aliquot diebus corpus inhumatum iaceat, bone Deus, quæ species deformior? quæ imago tristior? quis odor pestilentior? Quid in eo nisi vermium ibidem ebullientium, & corpus lacerantium atque exedentium examina cernes? Deniq. ea in illo species manet, vt cùm neq. nares, neque oculi eam ferre valeant, homo quanta possit celeritate funestissimum illud spectaculum fugiat. Quo factum est, vt gentiles olim tot rationes excogitauerint, quibus tantã hanc ab hominum conspectu deformitatem auerterent. Alij enim defunctorum corpora in mare, alij canibus laceranda proiiciebant, alij (quod est horribi-

lius) ea comedebant, alij in cineres atq. fauillam ſubiectisig
bus redigebant. Chriſtiani autem ea ſub terra condunt, ne
ſtiſſima illa effigies, ac teter odor ſpectãtium oculos pertem
ciat, & ipſum etiã communẽ aërem inficiat, & peſtilentẽ red

Hic eſt igitur, fratres, (vt diximus) peccati fructus, hic fa
in quo velut ſpeculo peccati deformitatem ſapientes hom
animaduertunt. Non enim emẽtitam illam faciem, quam p
ma fronte dæmon oſtentat, ſed hanc, quæ natiuam eius de
mitatem repræſentat, aſpiciunt.

Quiquis igitur ex vobis, fratres, rectè ſapere, quiſquis pe
ti faciem, non quam fallax dæmon ſpectandam proponit
quam veritas ipſa docet, intueri cupit, vt ſciat quid in ſe adm
tat, quoties peccato ſuccumbit, quatriduanũ aliquem Lazar
tumulo conditum ſibi ante oculos ponat, ibiq. in filia matre
in fructu arborem, & in effectu ac ſobole peccati vtcumque
noſcet deformitatem. Vtcumque autem dixi, quoniam nec
ſa mortis ſpecies, quamlibet horrenda ſit, totam peccati def
mitatem repræſentat. Plus enim adhuc deformitatis & m
in cauſa, quàm in effectu eſt. Sed quid ego ſolùm mortis
ctum commemoro? Non enim hæc ſola mors, quæ mom
temporis vitam abripit, ſed ſempiterna gehennæ mors pec
fructus & effectus eſt. Itaque ſi per mortis imaginem adeò h
rendam peccati faciem vidiſtis, modò per æternos gehennæ c
ciatus, per ignem, & vermem, & tenebras, & tortorum malle
& horrendas dæmonum laruas eius faciem contemplam
Quantò enim tetriorem eius faciem ſempiterna mors, qu
hæc quotidiana declarabit?

Nunc quæſo, fratres, extremam multorum hominum
mentiam atq. ſtuporem contemplamini; quorum oculos hu
mundi princeps ſic excæcauit, vt cùm tantoperè mortem & o
nes corporis cruciatus exhorreant, tam facilè tot mortifera c
mina committant. Quid enim non faceret maleficus homo
capitis ſententiam damnatus, vt hoc ſuppliciũ euaderet? Qu
mundi oras non peragraret? quæ latibula non quæreret? qu
maria & ignota littora non adiret? Quam facilè & patriam,
domũ, & opes, & liberos, & vxorẽ, & omnia demum, quæ in v
ta chara ſunt deſereret, vt mortis ſuppliciũ, quod vix vnius ho
pœnam continet, euaderet? At nos cæci atq. dementes ne ſem
piternæ quidem mortis metu laborem vllum ſuſcipimus: q
tamen momentaneæ mortis metu omnes mundi oras luſtrare
mus, omniaq. maris & terræ pericula adiremus. O verè lamen

tandam

tandam hominum cæcitatem! ô stuporem sanguineis etiam la-
chrymis deplorandum, quo multi hominum, qui hæc ipsa in-
concussa fide tenent, diabolo adnitente dementati sunt!

Est prætereà aliud non vulgare malum quod secum pecca-
tum affert, in quo maximè ei cum morte conuenit, hoc est, in-
sensibilitas quædã, quæ mortuorum propria est. Nullum enim
animal viuit, quod sensu careat. Sunt namque animantia quæ-
dam, quæ cùm aliis sensibus priuata sint (qualia sunt ea, quę ru-
pibus in mari affixa sunt) nullũ tamen horum est, cui sentiendi
vis desit. Est igitur insensibilitas mortui corporis propria: quæ
res in mortuam per peccatum animam maximè cadit; quòd vi-
ta sua, quæ Deus est, quæque illi vitam inspirabat, destituta sit.
Quæ tamen non vno modo, sed multis insensibilis est. Primùm
enim peccatorum vulnera quæ passim accipit, neq. sentit, neq.
luget, cùm ea tamen grauissimum animæ vulnus imponant.
Horum enim est illa vox, Vulnerauerunt me, & non dolui: tra- Insensibilis ad peccatorum vulnera.
xerunt me, & non sensi. Hi sunt igitur qui bibunt quasi aquam
iniquitatem, qui sine vllo pungentis consciẽtiæ aculeo peccant,
qui interdum eo vsque stuporis deueniunt, vt etiam lætentur
cùm malefecerint, & exultent in rebus pessimis. Equidem vide- Prou. 23.
mus viua corpora vel leuem etiam aciculæ puncturam sentire:
quæ tamen si vita careant, nec iaculis quidẽ confossa quidquam
sentiũt. Idem etiam in animabus cernere licet. Quæ enim ani-
ma in Deo, & per Deum viuit, leuissima etiam peccata, quę ve-
nialia appellamus, luget ac sentit: quæ autem mortua est, etiam
si mortifera crimina admittat, vix quidquã sentit. Quæ autem
vulneris huius dolorem non sentit, nec vulnus quidem se acce-
pisse putat, nec eius remedium per pœnitentiam quærit. Hinc
apud Ieremiam Dominus: Confusi, inquit, sunt, quia abomi- Ierem. 6.
nationem fecerunt, quinimo confusione non sunt confusi, &
erubescere nescierunt. Et iterum: Frons mulieris meretricis fa- Ibidem 3
cta est tibi, noluisti erubescere. Et alibi quoq. in eãdem senten- Ibid. 8.
tiam: Nullus, inquit, est qui agat pœnitentiã super peccato suo,
dicẽs, Quid feci? Deniq. eo stuporis anima mortua peruenit, vt
apud eundem Prophetam dicat: Absq. peccato & innocens ego Ibid. 2.
sum, propterea auertatur furor tuus à me. Cui tamen debitum
huic procacitati responsum Dominus præbet his verbis: Ecce
ego iudicio contendam tecum, eò quòd dixeris, Non peccaui.

Est igitur mortua anima insensibilis ad sua vulnera, nec mi- Insensibilis ad diuina flagella.
nus insensibilis ad diuina, hoc est, ad plagas & verbera, quibus
eam Dominus ad pœnitẽtiam excitare conatur. Qua de re non
semel

semel idem Dominus per Prophetas conqueritur. Percussisti
(ait Propheta) eos, & non doluerunt; attriuisti eos, & noluerunt
Ierem. 5. accipere disciplinam. Et iterum: Magno, inquit, labore sudatum
est, & non exiuit de ea nimia rubigo eius, neque per ignẽ. Quid
enim aliud tot hæresum monstra, quæ nostro infelici secu
inundauerunt, & operuerunt faciem terræ? Quid tot bella,
fames, tot morbi, tot pestes, tot publicæ & priuatæ calamitates
nisi flagella sunt, quibus nos Dominus ab hoc lethifero somno
excitare, & ad se redire compellit? Si enim ne passerculus qui-
dem in laqueum sine diuina prouidentia cadit, quis credat
tantas mundi procellas, quibus quotidie infestamur, sine
numine & consilio excitari? Hoc igitur consilio tot nobis
minus clades tum publicas omniũ, tum singulares personarum
immittit, vt nos ad pœnitentiam & meliorem mentem vel pl
gis attritos reuocet. Cuius tamen vocibus adeò non responde
mus, vt de nobis quoq. verè dici possit, Dissipati sunt, nec com
puncti. Eandemq́. hodie Dominus querelam quam olim pro
ponere possit: Super quo percutiam vos vltrà addentes præuari
Esaiæ 1. cationem? Omne caput languidũ, & omne cor mærens. A plan
ta pedis vsq. ad verticem capitis nõ est in eo sanitas. Quam
gna quæso populi Christiani pars sub Lutheri, quanta sub
manissimi regis Turcarũ imperio captiua manet? Quid
stiano populo nisi angustus angulus relictus est? vt vere
quoq. hodie lamentari possimus, Quia, Domine, imminuti
mus super omnes gentes, sumusq́ue humiles hodie in vniuer
terra propter peccata nostra. Quis igitur nostrum hoc luge
quis sentit? quis ad Dominum quotidie clamat, vt salutarẽ
bis opem cõtra tot hæreses, tot hostes impartiri dignetur? Qui
Insensibilis ad diuina beneficia. verò hîc diuina beneficia cõmemorem, per quę etiam homin
Dominus ad se trahere intendit? Generosus quippe est anim
hominis, & potius ducitur, quàm trahatur. Sed horum quoque
sensum anima in peccatis mortua amisit: quæ ne tot quidem
beneficiis præuenta & cumulata, oculos in tantorum bonoru
largitorem attollit. Mitto alia beneficia, quæ sunt innumer
Hæc sola quotidiana, quæ bonis & malis communia sunt, refe
ram. Pius enim Dominus Solem suum oriri facit super bono
Simil. & malos, & pluit super iustos & iniustos. Si quis spõte sua agr
tuos nullo pretio, sed sola charitate inductus, deriuatis aliunde
aquis irrigaret, non dubium quin illum vicissim amares, & pro
hoc beneficio gratias ageres. At Deus nullo pretio, sed sola hu
mani generis cura & amore adductus, statis temporibus pluui

demi

demittit, quibus irrigat fruges tuas, & vineas tuas, olineta, fice-
ta, & pabula gregum tuorum; quibus tibi frumentum, vinum,
oleum suppeditet: tu autem neque illi meritas pro hoc benefi-
cio gratias agis; & fortasse illo ipso tempore, quo Deus pluuiis
suis irrigat agros tuos, tu illum nouis sceleribus violas & offen-
dis. Hoc autem quid aliud esse dicam, quàm quod filij Israël in
deserto fecerunt. Domino enim in monte leges dictante, qui- Exod. 32.
bus illos ad sempiternæ felicitatis gloriam dirigeret, illi in val-
le positi vitulum fabricabant, quo eum ad iracundiam impiissi-
mè prouocarent. Quis igitur eos qui hoc tantum scelus imi-
tantur spiritali animæ sensu præditos esse dicat?

Quid verò illos referam, qui ad omnes Ecclesiæ voces peni- Insensibilis ad Ecclesiæ voces.
tus obsurduerũt? Num hos quoque, etiam si fidem & spem ha-
beant, rerum diuinarum sensum aliquem & motum habere
dicemus: qui multis annis Ecclesiarum limina frequentantes,
& quotidianas concionatorum voces audientes, ne vnum qui-
dem verbum aure cordis audierunt, quando ne vnum quidem
vitium à moribus, & vita sua tot perceptis vocibus expulerunt?
Itaque cùm isti concionatorem de morte, de extremo iudicio,
de cælesti gloria, de pœnis reproborum, de igne, de verme, de
tetris illis tenebris & suppliciorum æternitate disserentem au-
diunt (mira profectò res) sic ista audiunt, quasi non ad ipsos,
sed ad alios pertinerent, quando nihil magis his audiẽdis com-
mouentur, quàm si eos hæc ipsa nihil attingerent. Itaque opor-
tet sæpe cõcionatorem ipsum ad huiusmodi mortuos cum Do-
mino inclamare: *Adolescens, tibi dico surge,* Hoc est, Quisquis
aliquo mortifero crimine alligatus, & mortuus es, tibi dico, te
alloquor, tecum mihi res est, ad te hi terrores & minæ pertinẽt,
te denique alloquor, qui fraterno odio laboras, qui vindictam
animo cogitas; te etiam alloquor, qui alienum Domino inuito
detines, qui virulenta lingua aliorum vitam & famam laceras,
qui manus habes rapaces; qui pedes veloces ad currendum in
malum; qui cor habes machinans cogitationes pessimas: te in-
quam alloquor, qui oculos habes plenos adulterij, & incessabilis
delicti, dum nihil gratum oculis vides, quod non concupiscas:
qui nulla denique neque incertæ mortis, neque futuri iudicij,
neque conditoris & redemptoris tui memoria tangeris, tecum,
inquam loquor, ad te ista omnia pertinent, tibi dico, Surge qui
dormis, & excitare à mortuis, & illuminabit te Christus.

Vltimo loco inquiramus, fratres, vnde hæc tanta insensibili-
tas in Christianis hominibus oriatur. Ad hoc autem adolescẽtis

huius defuncti funus mysticè respondere videtur. Quemadmodum enim quatuor hunc portitores deferebant; ita quatuor præcipuè sunt, quæ animas in peccato mortuas ad tumulum deferunt, quæ sunt spes longioris vitæ, fiducia diuinæ misericordiæ, amor mundi, & virtutis labor. Inter quos mundi amor plurimos velut ferreis vinculis constrictos tenet: qui videlicet tanto terrenarum rerum, atque voluptatum suarum amore flagrant, vt nullo vel Dei, vel gehennæ metu ab earum complexu deduci velint, nec vlla animæ suæ vulnera reformident, dummodo his rebus, quas ardenter cupiunt, potiantur. In quos illa

Ierem. 2. Ieremiæ similitudo appositissimè quadrat: Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui: nullus auertet eam; in menstruis suis inuenient eam. Hoc est: Quemadmodum hoc animal, quo anni tempore fœminæ desiderio æstuat, vbi eius odorem perceperit, tanto in illam impetu fertur, vt nec insequentium venabula, nec insidias attendat; ideoque facilè ab ipsis capitur. Ita mundi huius amatores tanto erga voluptates & lucra sua amoris impetu rapiuntur, vt nullum animæ suę periculum, nullum lethiferum crimen, dummodo illis potiantur, pertimescant. Itaque si ad hoc ipsum oporteat peierare, peierant: si iniquam litem intendere, intendunt: si testem falsum inducere, inducunt: si propter lucrum Dei legem violare, violant.

Quæres autem quonam quatuor isti portitores mortuam animam deferant? Responsio in promptu est; ad tumulum deferunt. Hic autem tumulus, terra illa obliuionis est: de qua in

Psal. 87. Psalm. legimus; Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & iustitia tua in terra obliuionis? Vbi igitur miser homo in hoc tumulo, hoc est, in terra obliuionis conditus fuerit, omnem prorsus Dei & salutis suæ memoriam deponit, atque ita viuit, quasi nullum prorsus iudicium, nullum supplicium, nullum denique numen esse crederet, quamuis neque fidem neq. spem licet informem amiserit; atque ita viuit vt illi, de quibus Apo-

Ephes. 2. stolus ait: Quod sine Deo erant in hoc mundo. Horum igitur miserrima maximeque deploranda sors est, quæ difficulter ad sanitatem perducitur. A quo nos malo liberet Christus Iesus Dominus noster; qui vt nos à peccati morte liberaret, pro nobis mortem subire non erubuit, qui est benedictus in secula seculorum, Amen.

DOMI-

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN CONCIO PRIMA: IN QVA post Euangelicæ lectionis enarrationem, mystica explicatio de Sabbathi religione continetur.

THEM. *Si licet Sabbatho curare?* Lucæ 14.

INITIO sacræ huius lectionis, dilectissimi, de Sabbathi obseruatione mentio fit: quod tanta olim religione Dominus obseruari præceperat, vt non solùm omne seruile opus sub capitis pœna prohiberet, sed ne ignem quidem in domibus accendere, nec manna in deserto ad vescendum colligere permitteret; ideoq. duplices populo cibos sexta feria ante Sabbathum ministrabat. Exod 16. Hoc autem Sabbathi otium ideò tanta religione obseruandum sanxerat, vt eo die homines curis & negotiis secularibus vacui, rebus diuinis atque animarum suarum saluti operam darent. Aequum enim erat, vt qui sex diebus corporis obsequio inseruiebant, vnum saltem diem animarum saluti impenderent, imo verò qui sex diebus sibi suisque commodis vacauerát, hoc saltem die vni Deo omnium temporum atq. commodorum largitori vacarent: Id autem fiebat cùm pij homines eo die precationi, gratiarum actioni, diuinarumque rerum meditationi incumbebant. Hoc enim verè erat Sabbathum sanctificare. Otium namque pietate & ratione vacuum adeò nihil confert, vt etiam de eo scriptum sit: Multam malitiam docuit ociositas. Eccl. 33. His autem officiis verè Sabbathum sanctificabatur. Quia verò eisdem nos officiis in lege noua dies festos sanctificare debemus; de ipsis hodie disserere visum est; vt sciamus quonam modo hos dies colere & sanctificare debeamus. Prius tamen Euangelica lectio explananda est. Vt hoc autem vtiliter & religiosè præstare possimus, cęlestem opem sacratissimę Virginis interuentu suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

In hodierna sancti Euãgelij lectione, dilectissimi, insignem quandam Pharisæorum calumniam, qua Dominum illaqueare tentabant, animaduertere licet. Quo argumẽto intelligimus, non modò ob indignissimum crucis supplicium, sed propter multos alios in vita perpessos labores, nos esse seruatori nostro debitores.

debitores. Non solus enim passiones eius dies, sed tota eius
crux quædam acerbissima fuit. Habuit enim (vt D. Bernar.
in factis obseruatores, in verbis contradictores, & in tormen
Cant. 1. illusores. Vnde meritò sponsa in Cant. fasciculū myrrhæ ip
appellat, quòd tota eius vita variis fuerit doloribus & acerb
tibus propter hostium suorum odium inuidiamque respe

Quòd si quis huius feralis odij (quod nec ipsa quidem m
te exatiatum fuit) causam quærat; ea sanè fuit, quòd Ph
ægerrimè ferebant scelera sua, à Domino obiurgari. N
enim cælestis magister, ad verum populi doctorem illa D
ni verba pertinere. Clama, ne cesses: quasi tuba exalta
tuam, & annuntia populo meo scelera eorum. Hoc autem
ceptum Pseudopropheteæ ne in odium populi incurrerent
Esaiæ 58. sus negligebant. Vnde de illis Dominus ait: Speculatores
cæci omnes, canes muti non valentes latrare. Rursumque
Esaiæ 56. Ieremiam: Prophetæ, inquit, tui viderunt tibi falsa, & stu
Thren. 2. & non aperiebant tibi iniquitatem tuam: vt te ad pœniten
prouocarent. A quo crimine longissimè Saluator abfuit, q
Psal. 38. seipso in Psalmo ait: Annuntiaui iustitiam tuam in ecl
magna; Ecce labia mea non prohibebo. Domine, tu scisti
est, quamuis mortem mihi intentari scirem, non tamen
tiam tuam prædicare, & improborum hominum vitia o
re destiti, & eorum præcipuè, qui plus exemplo, quàm p
nocebant, quales Scribæ & Pharisæi erant. Hac igitur de
tot insidias, tot calumnias, tot aduersus illum tendiculas e
tabant. Sit, Domine, nomen tuum in secula benedictum
tot probra salutis nostræ gratia perpeti dignatus es. Semel
dem manibus impiorum crucifixus es, millies autem li
eorum. Filij enim hominum dentes eorum arma & sagitt
lingua eorum gladius acutus. Hæc igitur præcipua Phar
odij causa extitit.

In præsenti igitur Euangelio nouas Domino Pharisæi
dias struunt. Inuitant illum ad prandium in domo cuiusd
Principis Pharisæorum, idque Sabbatho: quo die nefas era
pud Iudæos non quidem ex diuina religione, sed ex eorum
perstitiosa obseruatione ægrotos curare. Subiiciunt ergo o
Domini hydropicum, certi de eius misericordia, quòd illum
ne salutis beneficio non dimitteret. Tanta enim erat Dom
misericordia, vt ipsi etiam aduersarij hoc sibi de ea pollicere
Cùm ergo Saluator consilia eorum intelligeret, quærit ab
Si licet Sabbatho curare? At illi tacuerunt, ne videlicet resp

tione sua aditum insidiis suis præcluderent. Si enim dixerimus, Licet, non poterimus illum nostro testimonio damnare, nisi & nos ipsos damnemus, qui factum antè probauimus. Si verò dixerimus, Non licet, fortasse nostri metu à curando ægro desistet: atque ita consilia nostra, quibus eum illaqueare conamur, irrita erunt. At Dominus praua malignantium consilia & odia despiciens, apprehensum manu sua hydropicum subita sanitate donauit. Qua in re immensa Christi Domini misericordia apparet, qui sæpè etiam non rogatus, misericordiam miseris impendebat. Sic enim hydropicum hunc nihil rogantem, nihilque petentem, sanauit.

Vbi ergo Dominus hydropicum sanasset, Pharisæos etiã, qui grauiori superstitionis & cæcitatis morbo laborabant, his verbis sanare aggressus est: *Cuius*, inquit, *vestrum asinus aut bos in puteum cadit, & non extrahet illum cõtinuò in die Sabbathi? Et non poterant ad hæc respondere.* Quid enim respõdere possent, si boui quidẽ periclitanti succurrendũ esse in Sabbatho dicerent, homini verò ægrotãti negarent, cùm non homo propter bouẽ, sed boues & oues & pecora campi hominis gratia condita sint? En, fratres, quomodo sapientia vincit malitiã, & serpẽs Moysi Magorum deuorat serpentes. Ipsi credebant se dolis suis atq. consiliis Dominũ illaqueandũ, qui tamen dolis suis irretiti, de ignorantiæ, inhumanitatis, & superstitionis crimine conuicti sunt. Exod. 7.

Sed quid, quæso, homines in lege, atque Propheris eruditos in tantum errorem impulit, vt boui periclitanti in Sabbatho subueniendum esse crederent, homini verò ægrotanti non crederent? Nõ aliud certè, quàm quòd bouem suum magis quàm proximum amarent: ideoque pluris apud eos bouis, quàm hominis periculũ erat; cùm tamen vera charitas non quæ sua sunt, sed quæ aliorum sunt quærat. Quisquis autem seipsum nimis amat, & huic errrori, & pluribus aliis obnoxius erit. Quò enim vehemens aliquis affectus propendet, eò secum trahit intellectum, qui facilè rationes inuenit, quibus affectui suo morem gerat. Magnus enim errorum magister est affectus corruptus. Ex hoc namq. fonte omnes pænè mortalium errores oriuntur. Sic frequenter iniquũ iudicem vel immodicus amor, vel etiam odium erga litigantes à recto deducit, iniustamque innocentis damnationem, iustam esse sibi persuadet. Sic lucri cupiditas facit, vt aduocatus rationes inueniat, quibus vel dubiam, vel iniustam causam litigantis iustam esse decernat. Similique affectu litigantes ipsi decipiuntur, dum iustam esse litem credunt, quæ

verè

verè iniuſta eſt. Eodem quoq. modo qui de inimico vindi ſumere cupit, ſeipſum fallit, dum eam eſſe debitam atq. i in animum inducit. Ad hunc etiam modum inhumani immiſericordes homines nimio rerum ſuarum amore ēti, rationes inueniunt, quibus ſibi liberiſque ſuis tantu ſulere, & pauperes negligere debeant. Sic etiam nonnulli dotum hoc eodem amore incenſi, decreta atque cauſas niunt, propter quas multis ſe beneficiis onerare, & quæ rum alimenta eſſe deberent, ſibi ipſis ſumere audeant. S diti adoleſcentes, variiſque cupiditatibus addicti, in ipſa Domini miſericordia cauſas inueniunt, quibus ſe in ſuis conſolentur, & in aliud tempus conuerſionis ſuæ p tum differant.

Nunquam igitur his, qui hac animi ægritudine labora cta ratio deerit, qua ſeipſos decipiant, atque errorē ſuum tur. Hac enim de cauſa ſapiens ille ait: Peccator homo correptionem, & ſecundum voluntatem ſuam inuenie parationem; hoc eſt, apparentem aliquā rationem, quali ponat, & mendacium pro veritate amplectatur. Nemo hac ignoratione errorem ſuum apud æquiſſimum illu cem, qui ſcrutatur renes & corda, defendere ſe poſſe arbi

Galat. 6.

Hinc enim Apoſtolus: Nolite, inquit, errare. Deus non tur, hoc eſt, Nemo his argumentis ſupernum ſe iudicem

Simil.

dere poſſe ſperet. In cauſis quidem ciuilibus iudex alte gantium amicus, eo ipſo iure ſuſpectus eſſe dicitur. Vnd ſequens eſt, vt cùm homo aliqua huiuſmodi affectione la ſuſpectus ſibi eſſe, atque alieno conſilio & iudicio, non debeat. Quod ſi non fecerit, ipſe ſe errandi periculo ex Facilè enim (vt antè diximus) affectus intellectum, & cu piditate alicuius rei incenſa, ſpiritum poſt ſe ad cupiditat conſenſum trahit. Quemadmodum enim vbi prima illa f na cunctorum viuentium mater in fraudem à ſerpente cta fuit, virum protinus ad nefarij ſceleris communione duxit: ita vbi Eua noſtra, hoc eſt, caro noſtra aliquo huius morbo laborat, minimo negotio virum, hoc eſt, ſpiritum ſecum rapit. Ex hoc igitur fonte (vt ad inſtitutum redea Phariſæorum error manauit: qui quoniam ſua immodico re diligebant, periclitanti boui in die Sabbathi ſuccurre hydropicum autem eo die ſanare nefas eſſe iudicabant.

I.

Sed Phariſæos miſſos facientes, ſpiritualem animorum

drop

dropisim, qua totus pænè mundus laborat, expendere incipiamus. Constat enim varios corporum morbos, quos Dominus sanauit, varios etiã animarum morbos designare. Alium enim cæci, alium claudi, alium Paralytici, aliũ qui lepra infecti erant designabãt. His autẽ hoc in loco prætermissis, de sola spirituali hydropisi disseramus. Hic igitur morbus non vnum aliquem, sed multos animarum morbos repræsentat. Quatenus enim nimio humore, eodemque noxio redundat, lubricam carnis voluptatem & lasciuiam designat. Quatenus verò hominem siti ardentissima sic laborare facit, vt quò magis bibit, eò magis sitiat, auaritiam repræsentat; quæ quò plura possidet, plura etiam sine vlla mensura concupiscit. Tumore autem suo, & vẽtris inflatione, superbiæ fastum nobis ob oculos ponit. Hæc igitur tria vitia hydropisis morbus adumbrat, in quibus omnibus flagrantissima quædam terrenarum rerum sitis (qua hydropici laborant) magnoperè viget. Quæ quidem sitis non modò peccatorum omnium, sed cunctarum ferè perturbationum & molestiarum (quas in hac vita spirituales hydropici patiuntur) origo & seminarium est.

Quæ autem vis orationis variam & multiplicem horum sitim explicare queat? Cùm enim (vt Philosophi docent) felicitatis atque vltimi finis amor omnium maximus sit, illi quidem cupiditatibus suis obcæcati, Deo qui vltimus finis & extremum omnium expetendorum est neglecto, alios sibi fines in vita proposuerunt: quorum adeptione felices se futuros arbitrantur. Alius enim carnis voluptatem, alius argentum & aurum, alius honorem & auram popularem, alius famam & nominis celebritatem, alius militarem gloriam, alius principatum & potentiam, alius carnis delicias summum bonum & expetendorum extremum esse, non quidem voce, sed ipso opere statuit. Quo fit, vt cùm homo vehementissima harum rerum siti æstuet, neq. ea quæ cupit pro voto assequi valeat, necesse sit vt eius animus eo modo crucietur, atque ij, qui extrema fame & siti laborant, nec tamen habent quo famem aut sitim explere queant. Quid est autem infinita terrenarum rerum cupiditate æstuare, nisi continua fame & siti torqueri? Est ne quicquam huiusmodi fame ac siti miserabilius? Sicut enim voluptas omnis oritur ex adeptione rei alicuius vehementius appetitæ, sic omnis dolor tunc existit, cùm non est cõcessum potiri rebus iis, quas ardẽter exquirimus. Certè si nullũ aliud inter pios & improbos discrimen esset, si nihil aliud nos ab his cupiditatibus reuocaret, non

morris, non extremi iudicij, non gehennæ timor, non æt
mercedis amor, non tot diuinorum beneficiorum pet
hic saltem famis, & sitis cruciatus satis superque ad hoc de
beret. Quam rem prudentissimè simul ac breuissimè D
gorius docet his verbis. Quid, inquit, in vita laboriosius, q
terrenis desideriis æstuare; quid verò quietius, quàm hu
culi nihil appetere? Non enim leuis erat illa pœna, ad
impios Dominus damnauerat, cùm ait: Et non audiuit p
meus vocem meam; ideò dimisi eos secundum desideri
Psal. 80. eorum. Qua etiam pœna idolorum cultores Dominus
Rom. 1. quos (vt Apostolus ait) tradidit in desideria cordis eorum
homines hisce desideriis repugnantes, radicem eorum,
cupiditatem tanquam ferum & truculentum canem tin
amoris Domini vinculis ita constrictum tenent, vt
quidem aliquando possit, nocere autem non perinde p
probi verò hunc ipsum (vt ita dicã) Cerberum canem
solutum secum vbique circumferunt: ideoque nihil
in omnia quæ grata oculis videt, furenter insiliat, D
quidem suum primùm, deinde omnia, in quæ incurre
rans atque discerpens; cùm in omnia rabido & eff æn
ditatis impetu feratur. Videtis ergo, fratres, quàm sit eor
ta miseranda, qui hac cupiditatum siti vexantur? Om
tur hæc amaritudo, cæteraque improborum hominum
ex triplici illo atque immoderato voluptatum, diuitiaru
honorum amore, quem hydropisis morbo significari su
diximus, originem ducunt. Hæc sunt autem quæ hom
interitum & perditionem mergunt. Itaque tres insignes p
in gehenna esse statuo, per quas tam multi homines ingre
Esaiæ 5. tur, vt Propheta dicat: Propterea dilatauit infernus an
suam & os suum absque vllo termino. Et descendent fort
& populus eius, & sublimes gloriosique eius ad eum. E
dem per primam portam carnales & impudici homines, p
cundam auari, per tertiam superbi intrant. Quantus auten
rum numerus sit, quis recensere queat? De auaris scio per
Ierem. 6. phetam à Domino dictum esse: A minimo vsque ad maxi
omnes auaritiæ student. Sed ego non minorem esse carna
& impudicorum numerum, qui eò descendunt existimo
Theologi asserant, nullibi magis originalis peccati vim,
in hac carnis cupiditate desæuisse: in qua non solùm imp
actibus, sed etiam oculis, & nutibus, & verbis, & prauis co
tionibus ac desideriis miseri homines ita delinquunt, vt

item habeant fortasse corpus, non ideò tamen animum pudicum gerant. Vnde est illa D. Hieronymi exclamatio; Quis gloriabitur castum se habere cor? Hieron.

Vt autem homines ab huius vitij peste deterream, nihil aliud in pręsentia dicam, quàm quòd instante mortis hora, à qua nullus hominum eximi potest (quis est enim homo qui viuat, & Psal. 88. non videat mortem?) vix vllum crimen morituri hominis pectus magis cruciat. Superbiæ quippe & auaritiæ peccata, hoc est, immodica pecuniarum aut honoris cupiditas in animo sępè latet, neque adeò frequenter in opus excurrit. At libidinosi hominis flagitia, hoc est, violata malis artibus fœminarum pudicitia per id temporis sese præcipuè oculis obiicit, incredibilemq. metum & errorem incutit. Quo tempore vix quidquam aliud homo cogitare potest, quàm quod salutis suæ spem in dubium vocat. Tunc enim neque pecuniæ cupiditas mentem solicitat, cùm egredienti de vita diuitiæ superuacaneæ sint, nec ambitio animum pulsat, cùm homo se protinus in puluerem atq. adeò in sterquilinium vertendum sciat. Sola ergo tunc vacuam ab omni terrena solicitudine mentem futuræ sortis cogitatio, & reddendæ rationis periculum angit. Quo tempore nihil magis spem hominis labefactat & concutit, quàm præteritorũ criminum memoria, quę ingenti quadam tristitia morituri animum afficit. Cui rei exemplo erit impiissimus ille Asiæ Rex Antiochus, qui in hoc mortis agone constitutus, præteritorum criminum recordatione grauissimè torquebatur. Vnde ad amicos, 1 Mach. 6 qui tum illi aderãt, Recessit, ait, somnus ab oculis meis, & concidi & corrui corde præ solicitudine; & dixi in corde meo, In quantam tribulationem deueni, & in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum, qui iucundus eram & dilectus in potestate mea. Nunc verò recordor malorum quæ feci in Ierusalem, vnde & abstuli omnia spolia aurea & argentea, & misi auferre habitantes Iudæam sine causa. Cognoui ergo, quia propterea inuenerunt me mala ista, & ecce pereo tristitia magna in terra aliena. Hoc igitur exemplo, fratres, intelligere licet quos æstus & solicitudines impudici animus hoc tempore patiatur, cùm ad mentem reuocat se non spolia aurea & argentea, sed animas pretioso filij Dei cruore redemptas perdidisse, & ad turpitudinis suæ consensum pertraxisse. Hîc enim non sanguis Abel, sed Christi sanguis aduersus illum clamabit, seq. pollutum queretur cùm animæ hoc sanguine redemptæ violatæ atque pollutæ fuerunt. Hic est igitur, fratres, spiritualis hydropisis morbus, quo maxi-

ma humani generis pars infecta est : ideoque qui hos vicin mortis aculeos, quos diximus, euadere cupit, assiduis precibu ab hac peste se à Domino liberari postulet.

Sequitur alia pars Euangelij, quæ nos à superbia, & ambitio ne deterrens, ad humilitatis virtutem adhortatur. Cuius virtu tis fructum Dominus celeberrima hac sententia, qua Euange lium clauditur, exposuit : *Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.* Hæc de Euangelica lectione: nu Sabbathi occasione de festorum religione, quæ oratione, gra tiarum actione, diuinarumque rerum meditatione sanctifica tur, disseramus.

TRACTATIO THEMATIS.

Si licet Sabbatho curare? Quisquis veteris testamenti vo mina paulò diligentiùs euoluerit, nō satis mirari poterit, qu
Exod. 20. ta cura Dominus Sabbathi religionem commendauerit. M mento, inquit, vt diem Sabbathi sanctifices. Sex diebus ope beris, septimo autem die Sabbathum Domini Dei tui est, n facies omne opus in eo tu & filius tuus, & filia tua, seruus tu & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena, qui est intra port tuas. Sex enim diebus fecit Deus cælum, & terram & mare, &
Gen. 2. omnia, quæ in eis sunt, & requieuit die septima : idcirco be dixit Dominus diei Sabbathi, & sanctificauit eum. Exodi
Exod. 31. que 31. Videte vt Sabbathū meum custodiatis; quia signu inter me & vos. Hoc est, hoc publico signo volo, vt ab omni nationibus religionis meæ cultores, cæterisq. hominibus di miles agnoscamini. Quod ita fuisse ethnicus etiam Poëta cuit, quando hoc signo hunc populum cæteris dissimilem testatus est, cùm dixit:

Quidam sortiti metuentem sabbatha patrem.

Iam verò quid sabbathū piè colētibus promiserit, per Ierem
Ierem. 17 declarauit, cùm dixit: Custodite animas vestras, & nolite po re pondera in die sabbathi. Sanctificate diem sabbathi. Si aud ritis me, dicit Dñs, vt non inferatis onera per portas ciuitati die sabbathi, nec faciatis in eo omne opus, ingredietur per p tas ciuitatis huius reges, & principes, & habitabitur ciuitas h in sempiternū. Deniq. tanta reuerentia hic dies à religiosis q busdā Iudæis quondā obseruatus est, vt ne arma quidē, qu se ab inuasoribus tuerētur, eo die capere auderēt, priusq. ab h stibus trucidari, quàm sabbathū violare mallent. Quod exp
1 Mac. 2. mo Machabæorum cap. 2. apertè liquet. Deniq. hanc sabba religionem singulari quodam miraculo Dominus confirma

dicit

dicitur. Refert enim Baptiſta Fulgoſius, in terra illa fluuiũ quẽdã fuiſſe, cuius aqua diebus ſabbathi ſolito more minimèflueret. Vnde & fluuius ipſe hac de cauſa Sabbathus eſt appellatus.

Quid igitur? A deóne otium atque ceſſatio grata Deo eſt, vt ea de cauſa noluerit quidquam aliud eſſe tanta diligentia præſcriptum, & tam ſæpe in ſanctis literis vſurpatum? Cùm enim (vt Saluator ait) Deus ſpiritus ſit, ſpiritualiumq́. præcipuè vir- Ioan. 4.
tutum, hoc eſt, charitatis, benignitatis, iuſtitiæ, miſericordiæ, & humilitatis, cæterarumq́. ſimilium virtutum amator, cur tantoperè externam hanc ſeruilium operum ceſſationem tot modis commendatam eſſe voluit? Ad hoc igitur reſpõdemus, ceſſationem & otium non admodum Deo grata eſſe. Sed illud tamen officium eſſe illi gratiſſimum, quod ſine aliorũ vacatione commodè obiri non poteſt. Quod tandẽ illud eſt? Mentis in Deum ſalutis & vitæ noſtræ authorem eleuatio: quam orationis nomine ſignificamus, quæ animum requirit vacãtem, liberum, tranquillum, & ab omnibus non modò curis, ſed etiam externis occupationibus expeditum. Hinc ipſe Dominus: Vacate, inquit, Pſal 45.
& videte, quoniam ego ſum Deus.

Orationis autem nomine duo ſingularia eius officia comprehendimus; videlicet petitionem, & gratiarũ actionem: quorum alterum futurũ tempus, alterum præteritum ſpectat: & alterum ab infirmitatis & miſeriæ noſtræ conſideratione, alterum à diuinæ beneficentiæ recordatione proficiſcitur. Infirmitatis enim noſtræ cognitio nos ad diuinam opem aſſiduè flagitandam impellit: beneficiorum autem diuinorum recordatio, ad diuinas laudes & gratiarum actionem inuitat. Vnde hoc de religione ſabbathi præceptum partim ad veteris legis cæremonias, partim ad mores pertinet. Definitus enim ſabbathi dies ad legis cæremonias ſpectat: ideoq́. à Chriſtianis in diem Dominicum propter Dominicæ reſurrectionis honorem commutatus eſt. Dei autem cultus, qui hoc duplici orationis officio illi exhibetur, ad mores pertinet. Hoc autem ſuam hodie quoque vim retinet, quæ nulla vnquam temporum mutatione ceſſabit: ideò de ea nobis in reliqua concionis parte diſſerendum eſt.

Priori igitur loco de priori illa orationis parte, quæ petitionem complectitur, paucis diſſeramus, quandoquidem aliâs de ea paulò fuſius tractauimus. Huius porrò neceſſitatẽ & dignitatem non video quo commodiori exemplo vobis declarare poſſim; quàm ſi ditiſſimam quandam atque inexhauſtam auri venam eam eſſe dixero; in qua ſiquis vna hora fodiendo labora- Simil.

uerit,certum auri pondus extrahet:si verò duabus, duplic
auri portionem eliciet; si verò tribus, aut quatuor, maior
huc & ampliora pretiosi huius metalli pondera defodien
illi sine vllo termino aut fine continget: quoniam ea vena
locuples est, vt nullo vnquam tempore exhauriatur, si no
4 Reg.4. qui in ea persequenda desudet. Est enim tanquam illud E
sæi oleum, quod nunquam manare destitit, quamdiu va
cua inuenit.

II.

Iam ad alteram orationis partem veniamus, quæ in
rum actione posita est, & à diuinorum beneficiorum pi
deratione proficiscitur. Huius autem necessitatem sim
gnitatem hac vobis ratione demonstrare conabor. Aiunt
logi, charitatis virtutem (in qua totius Christianæ Philo
summa consistit) statum quendam, vt illi loquuntur, præ
turalem in hac vita obtinere. Ea namque in cælesti patri
qua summum bonum facie ad faciem videtur) velut in
li suo loco residet, vbi nihil habet, quod ipsi aduersetur
contrà illi in hac nostra regione accidit: in qua multa ha
aduersantia. Quæ autem res in naturali suo loco manent
diutissimè ibidem conseruentur, quod extra illum man
minimè contingit. Sic aquæ gutta in mari diu conserua
terra autem posita, breui temporis mora arida terra, &
aëre aduersus illam pugnante arescit. Sic ignis in sua elem
ri regione incorruptus manet: at in hoc nostro orbe posit
continua lignorum appositione foueatur, diu durare no
test. Vnde in lege olim Dominus sacrum ignem, quo
immolabantur, assidua lignorum appositione conseruari
Leuit. 1. ceperat, ne deficeret. Cæterùm charitatis ignis in hoc secu
tra suum naturalem locum manet, in quo multa (vt dixi
habet sibi infensa, atque contraria. Nam & caro nostra
serpentis afflata, cum toto cupiditatum suarum satellitio
riæ peruersorum hominum iniuriæ aduersus eam acrite
gnant, eamque extinguere conantur. Vt omittam inter
numeras occupationes, ad quas nos naturę nostrę necessita
git; quæ licet charitatem non impugnent, multis tamen
nos ab eius studio auocant. Qua ergo ratione huic incom
consulemus? Certè non alia, quàm ea, qua corporeum ig
in hac nostra regione conseruamus, assidua videlicet ligno
appositione. Quæ sunt autem ista ligna, nisi diuina bene
quorum consideratione hic amoris ignis in piorum men

tantò magis accenditur, quantò eadem deuotius cogitantur. Qua etiam consideratione & accepta beneficia tuebimur, & amplioribus augebimur. Vt enim diuinæ opes ingratis elabuntur & excidunt: ita grati atque memores eas facillimè conseruant, maioraque in dies & ampliora virtutis ornamenta consequuntur. Nihil igitur est nobis tanta cura & studio prouidendum, quàm vt diuina beneficia semper in memoria nostra insideant, neque ea vnquam ex animis nostris effluere patiamur, omneque vitæ studium in diuinæ bonitatis prædicatione ponamus. Sed quia vitæ curis distentus animus, & infinitis occupationibus impeditus, ab hoc diuinæ laudis studio sæpè deducitur, neque facilè in tanta rerum humanarum turba & colluuione hoc officium tueri atque sustinere potest; ne paulatim nos Dei obliuio caperet, & negligētia religionis omnibus simul bonis euerteret; commodum fuit, septimo quoque die instaurari atq. renouari numinis memoriam, Deiq. summi benignitatem illius mentione crebrius repetita vehementius animis insculpi.

Sed quoniam inter diuina beneficia primùm quod animis occurrit, est vniuersæ naturæ cōstitutio, ideò illum potissimùm diem singulari religione colendum esse Dominus præceperat, quo primùm natura perfecta, suisq. numeris absoluta, omnibus muneribus suis perfectè fungi cœpit. Ob id igitur cùm Deus septimæ diei otium sanciret, eam rationem apposuit, quòd sex diebus cælum, terras, maria, & omnia quæ cæli ambitu continentur, effecisset, & septimo tandem die ab illa prima rerū molitione conquieuisset; quasi admonens, vt parenti & conditori rerum omnium gratias agerent, illumque ob tam admirandam fabricam assidua prædicatione celebrarent. Gen. 2.

Quamuis autem propter hoc singulare beneficium conditori nostro plurimùm debeamus, non minus tamen illi debemus, quòd ea quæ initio mundi condidit, perpetua prouidentia conseruat: semper autē condita seruare, est eadem quodammodo semper creare, cùm illud ipsum esse, quod initio dedit, omnipotenti virtute sustinet, ne deficiat. Quocirca iustissimum est, vt qui semper in conseruādis nobis occupatus est, semper à nobis debitis laudibus, & continua gratiarum actione prædicetur. Ad hoc autē nos Ecclesia in quotidiano sacrificio voce sacerdotis hortatur, cùm ait: Gratias agamus Domino Deo nostro; cui populus respōdet, Dignum & iustum est. Et ille populi responsionem continuans, & ad Deum orationem conuertens, rùrsus: Verè, inquit, dignum & iustum est, æquum & salutare nos tibi

semper & vbiq. gratias agere. Nullis verbis poterat magis hoc officium commendari, quàm vt semper & vbique fieret; hoc est, vt omni loco, & omni tempore, Deo gratias ageremus; neq. officium hoc vllo vnquam vel tempore vel loco intermitteremus, vt ipsa vita nostra nihil aliud, quàm perpetua gratiarum actio, & vox laudis esset. Quid enim iustius, quàm vt semper illum cogitemus, qui semper nobis adest, semper vitam inspirat, semper in conseruandis, tuendis, & alendis nobis ita occupatus est, vt si vel tantillum prouidentiæ suę oculos à nobis auerteret, in nihilum prorsus vnde conditi sumus, recideremus.

Adde quòd non solùm tibi vni intendit, sed omnibus superis atque inferis rebus propter te. In tui namq. gratiam protuò cælos atque sydera torquet, elemēta regit, terras fœcundat, maria piscibus complet, aërem alitibus ornat, fruges, herbas, varia virgultorum genera in tuos vsus procreat, sine quorum
Ioan. 5. obsequio & fructu vita ipsa stare non posset. Pater meus, inquit, ille, vsque modò operatur & ego operor, quia videlicet ex quo mundum condidit, nunquam ab hominibus iuuandis variis beneficiis ornandis conquiescit. Quæ cùm ita sint, cur vllum tēpus erit, quod ab eius laudibus vacare debeat, à quo tam mul-
Simil. tis modis vita nostra iuuatur. Mos apud mercatores est diuersis in locis positi, mutuas sibi operas pręstent, vt ille meo, ego contrà illius negotia curem. Cùm enim ego sim Hispali, ille Romæ; dum ille Romę agit quę mea sunt, ego Hispali diligenter quæ illius sunt exequor. Cur ergo non præstem ego Deo quod homini præsto? Si in cælo residens indefessa cura & prouidentia salutis meæ curam gerit, cur ego, qui in hoc inferiori mundo vitam ago, non illius cultus & honoris rationē habeam? Cùm semel Dauid apud Achis regem Geth de vita periclitatur, diuinoq. beneficio ex præsenti illo periculo ereptus fuisset,
Psal. 33. Psalmum illum edidit, cuius initiū est: Benedicam Dominum
1 Reg. 21. in omni tempore, &c. Quia enim vir sanctus amissam pænè vitam ope diuina se recuperasse cognouerat, dignissimum iudicauit, vt beneficio Domini seruata vita non iam aut sibi, aut illo, sed soli illi militaret, à quo seruata esset, totaq. ea in liberatoris sui laudibus prædicādis consumeretur: ideoq. ait: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Si ergo semel seruata vita hoc perpetuum laudis sacrificium exigit, quid ea debeat quæ indefessa Domini cura & prouidentia perpetuò conseruatur? Quis igitur tantus hic stupor est, vt cùm tot diuinis beneficiis circumfluamus, cùm omnia, quæ ocu-

gemimus beneficia diuina sint, cùm lux, qua videmus, terra, quam calcamus; aër quo spiramus, cælum quo tegimur, vita quam viuimus, fruges & fructus, & cætera omnia quibus alimur, induimur, curamur beneficia eius sint, nũquam illum recolamus, nec illum esse cogitemus, sine quo esse nõ possumus? Itaque nos dæmone operante eò stuporis atque dementiæ adducti sumus, vt similes esse videamur mente captis hominibus, qui in Xenodochiis cõmuni reipub. stipendio sustentantur: qui tamen quoniam mentis impotes sunt, hoc beneficium non agnoscunt, neque benefactoribus gratias agunt. Itaque more pecudum iis, quæ illis exhibentur, sine vlla grati animi significatione vtuntur. Hos igitur atque adeò pecudes ipsas imitari videntur, qui diuinis beneficiis fruentes, adeò stupidi & amentes sunt, vt nunquam mentem in Deum attollant, neque vlla tantorum donorum recordatione tangantur. Simil.

III.

Est & aliud, quod in hoc creationis beneficio, quod Sabbathis recoli Dominus præceperat, considerandum sit. Scimus enim, hanc tantam mũdi fabricam, quâ nihil neque maius, neq. melius, neque pulchrius, neque perfectius, neque admirabilius oculis in hac vita vsurpare possumus, à Deo, hoc est, ab immensa potentia, sapientia, & bonitate profluxisse. Diligenter ergo inquirẽdum est, in cuius rei gratiam hic tantus artifex hoc pulcherrimum & admirandum opus molitus fuerit. Diximus autem sæpe alias hoc opus Deum quidem non sibi (qui nullius rei indiget) condidisse, non Angelis, qui corporis expertes corporeo loco non egent, non postremò brutis animantibus, quę cùm ratione careant, neq. conditorẽ suum nosse, neq. pro perceptis beneficiis gratias agere possunt. Relinquitur ergo hanc tantã fabricam in hominis gratiam fuisse editam. Quę res vel ex eo patet, quòd omnia, quæ in hoc inferiori mundo edita sunt, homini deseruiũt. Si ergo hoc tam præclarum opus in hominis vsum & gratiã Deus edidit, ipsum, quæso, hominem, cui tam insigne palatiũ apparauit, in cuius rei gratiã condidit? Num vt in eo luderet? vt otiaretur? vt genio indulgeret? vt voluptatibus se dederet? vt tẽpus omne in chartarũ ludo cõsumeret? vt vineas & olivueta plãtaret? vt bellis finitimos lacesseret, & maria infestis classibus occuparet? Quis hoc sanus, imo & insanus dicere audeat? Summum illum videlicet atq. præcellẽtissimum numen in harum rerum vilissimarum & noxiarũ gratiam tam insigne opus condidisse? In quem ergo finem hominem procreauit? Certè, vt

 condita-


conditarum rerum admonitu conditorem ſuum, atque opti-
mum parentem agnoſceret, diligeret, eiusq́ue pręceptis obtem-
peraret, & pro tantis beneficiis gratias agens, maioribus dignus
efficeretur. Hic igitur finis tanto opifice, & tam nobili creatura,
quæ diuinæ ſimilitudinis imaginem gerit, dignus erat, vt illi vi-
delicet creata omnia, ipſe verò vni creatori ſeruiret. Quoties
igitur homo in eius vel obſequio, vel laudibus prædicandis oc-
cupatur, officio ſuo fungitur, tunc id, cuius gratia & ipſe in mun-
do & mundus propter ipſum conditus eſt, fideliter exequitur.
Quamdiu verò hæc debita officia omnino prætermittit, & om-
nis cupiditatibus totus indulget, tunc is & fruſtrà viuit, & fru-
ſtrà atq. immeritò illi mundus obſequitur & famulatur;
etiam veluti fur eſt & latro, qui Domini ſui ſtipendiis fr
nec tamen debitum religionis & honoris penſum illi exol
Si hoc igitur ita eſſe non modò fides, ſed ipſa quoque ra
conuincit; quid quæſo indignius, quid iniuſtius, quid monſtro-
ſius; quàm quod paſſim cernimus, nempe infinitam propè ho-
minum multitudinem eſſe, qui nec huius vnquã beneficij me-
minerunt, nec cur aut in hunc mundũ miſſi, aut in quem finem
conditi ſint, memoria recolunt, vitamq́. omnem ſine vllo bono-
rum operum fructu aut in chartarũ ludo, aut in fœdiſſimis vo-
luptatibus, aut in fraudibus & dolis, aut in diuitiis iure vel i
Simil. ria congerendis perpetuò conſumunt? Vt autem huius rei
dignitatem vobis ob oculos ponã, fingamus eſſe regem pote
tiſſimum, qui filium aliquem Eccleſiæ miniſterio deſtinauerit,
quem ideò ad inſignem aliquam Academiam Theologicis &
Canonicis diſciplinis erudiendum mittat: cui tamen anteà pa-
latium ampliſſimũ regia magnificentia dignũ exædificari præ-
ceperit, & regiis opibus, omniq́. apparatu ſplẽdidiſſimè inſtru-
xerit: in quo etiam perlucentes & irriguos fontes induxerit, &
amœniſſima viridaria conſeuerit, in quibus ſe regis filius po
ſtudij labores recrearet. Si igitur is in hoc palatio conſtitutu
neque ſcholas adiret, neq. librum manibus ſumeret, neq. vlli
prorſus diſciplinæ ſtudio vacaret, ſed tempus omne in charta-
rum ludo, in venatione, in equis & canibus alendis inſumeret;
quantam, quæſo, admirationis, imo & offenſionis materiã om-
nibus præberet? Iam verò pater ipſe cùm hoc reſciret, quo mœ-
rore atque pudore afficeretur, cùm conſilia ſua, ac totum illum
regium apparatum irritum fuiſſe animaduerteret? Si hoc igitur
facinus indigniſſimũ eſſe omnes iudicamus, fratres, quale, quæ-
ſo, erit, cæleſtem regem ampliſſimum huius mũdi palatium to
opbu

opibus atque diuitiis instructum, cælum tot pulcherrimis astris distinctum, terram tot plantarum & virgultorum, totq. fluminum & fontiũ amœnitate ornatam, totq aliis rebus ad humanæ vitæ vsum redundantem extruxisse, vt homo his diuinis opibus fruens, vitam omnem in conditoris atq. optimi parentis sui obsequiũ expenderet: qui tamen vsq. adeò ab hoc tam debito officio abhorreat, vt nihil minus cogitet, nihil minus curet, nihil minus agat, quàm quod maximè agere debuisset? Et neq. à quo sit conditus, & in quem finem cõditus animo voluat: sed vitam omnem in perpetua Dei diuinorumq. mandatorum obliuione traducat; & ita viuat, quasi ad nihil aliud, quàm ad ludũ, & voluptatẽ, & otium, & diuitias congerendas natus esset? Quo quid esse indignius, quid iniustius, quid monstrosius potest? Frustrà igitur, miser homo (quod ad te attinet) conditus es, frustrà tibi sol lucet, frustrà terra germinat, frustrà mare cibũ & commeatum præbet; frustrà denique & immeritò omnis creatura tibi deseruit, quando tu omniũ conditori non modò nón seruis, sed multis etiam sceleribus offendis. Quis hîc dæmonis vim & potentiam nõ agnoscat, qui tam densis tenebris multorum hominum pectora circumfundit, vt inter tot diuina beneficia constituti, neq. conditorem suum cogitent, neq. pro tantis beneficiis magis gratias agant, quàm muta pecora, cùm vel præsepibus inhiant, vel ad pabula ducũtur? Quid pecora dixi? Imò pecoribus ipsis stupidiores esse Dominus per Prophetam clamat, cùm ait: Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israël autẽ me nõ cognouit, & populus meus nõ intellexit. Esaiæ 1.

Ex hoc igitur fine cuius gratia mundus à Deo conditus sit, apertè liquet, & quàm detestanda sit eorum hominum peruersitas, qui nullam finis huius rationem habentes, se totos non conditoris sui, sed dæmonis obsequio dediderunt. Huius certè rei indignitatem ne ipsæ quidem beatæ mentes aut pro dignitate concipere, aut vllis verbis explicare possent. Orandus ergo Dominus est, vt ipse nobis sensum aperiat, ipse mentem donet, qua huius rei magnitudinem aliqua saltem ex parte agnoscentes, illum toto pectore diligamus, illum semper intueamur, illi pro tot tantisque beneficiis gratias semper agamus, illius mandatis obtemperemus, priusq̃ue vitam & omnia quæ in vita chara sunt perire patiamur, quàm immensam illius maiestatem vel leuissima etiam in re violemus. Hoc enim affectu, his studiis & illius gratiam in præsenti vita, & gloriæ consortium in futura percipere merebimur.

IN EADEM DOMINICA DECIMA SEXTA POST PENTECOSTEN CONCIO secunda: in qua post Euangelicæ lectionis explanationem humilitatis virtus multis nominibus commendatur; causǽque redduntur cur ea radix & fundamentum virtutum esse dicatur.

THEM. *Omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui humiliat, exaltabitur.* Lucæ 14.



HODIERNA Sancti Euangelij lectio, dil. simi, duas complectitur partes, quarum altera insigne miraculum, quod Dominus in die Sabbathi edidit, altera egregiam humilitatis laudem complectitur: de qua post Euangelicæ lectionis explanationem (si per tempus licuerit) disseremus. Constat autem virtutem hanc aliarum virtutum, ac totius Christianæ vitæ fundamentum esse. Vnde Leo Papa: Tota, inquit, Christianæ sapientiæ disciplina non in astutia disputandi, neque in appetitu laudis & gloriæ, sed in vera & voluntaria humilitate consistit; quam Dominus Iesus ab vtero matris vsq; ad supplicium crucis & elegit, & docuit. De huius igitur virtutis laudibus in præsenti concione pauca dicere statui, si prius tamen Euangelicam lectionem explanauero. Vt hoc autem argumēti genus vtiliter ac religiosè tractare, & audire valeamus, cælestem opem sanctissimæ Virginis intercessione suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Prior sacræ huius lectionis pars (vt modò diximus) hydropici rationem continet; quæ nobis in huius concionis initio non inutilem aut parum necessariam disserendi materiam præbet. Hydropisis enim (vt Beda hoc in loco ait) morbus est ab aquoso humore procedens: Ὕδωρ enim Græcis aqua est: vnde hydropisis morbus appellatur: propriumque hydropici est, quò magis biberit, eò magis siti æstuare. Vnde rectè hydropicus auaro Beda. uiti comparatur: qui, quò magis opes auget, hoc maiori eandem siti ac desiderio laborat. Non enim temerè dictum est:

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Paululum, fratres, in hoc Euangelij limine subsistamus. Vereor enim multos esse inter nos, qui hoc hydropisis morbo, hoc

flag

flagrantissima diuitiarum siti laborent: nec diuitiarum modò, sed omnium etiam eorum, quæ vulgus hominum bona vocat: quæ Ioannes Apostolus, in triplici differentia esse docet, cùm ait: Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut 1 Ioan. 2. concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. Non decet autem communia hæc generis humani mala sine verbi Dei remedio relinquamus. Quod igitur his morbis medicamentum adhibebimus? Hoc ipsum certè, quod nobis hic hydropicus ostendit, cùm se ante verum animarum atque morborum omnium medicum præsentem exhibuit. Hic enim ab eo non quidē verbis, sed miseriæ suæ ostensione & vehementi desiderio salutem petebat: quod genus petitionis Deo gratissimum est. Hinc D. August. Desiderium, inquit, tuum oratio tua, & continuum de- August. siderium, cōtinua oratio. Quātum verò huiusmodi oratio apud Deum valeat, Propheta explicuit, cùm dixit: Desiderium pau- Psal. 10. perū exaudiuit Dominus. Sic igitur vos ipsos, fratres, huius hydropici exemplo ante cælestem medicum cōstituite, animarum vestrarum hydropisin, hoc est, mētis tumorem, sitim, ardorem, tetrumq. odorem ante illum exhibētes, vt qui verus animarum medicus est, tot mala vestra curare dignetur. Quid, quæso, fratres, his noctibus, quæ iam longiores esse cœperunt, agitis? cur non aliquam saltem temporis partem animarum vestrarum curationi impēditis? Consurge (ait Propheta) in nocte, in prin- Thren. 2. cipio vigiliarum, & effunde sicut aquam cor tuum ante Dominum. Quid est, effunde? Nihil intra te sit siue occultorum vulnerum, siue piorum desideriorum, quod non sapientissimo medico, & amantissimo parenti detegas atq. proponas, qui non minus ad curandum pius, quàm ad prestandum quod voluerit potens est. Sic igitur cū illo agas: Respice, queso, Domine, hydropicū hunc vanitatis, & superbiæ tumore inflatū; Respice omnes animæ & corporis mei vires mille modis infectas & vitiatas, intellectum cæcutientē, voluntatē ægrā, appetitū rebellem, sensus corporis ad malum pronos, & corpus ipsum deliciis & voluptatibus inhians. Respice, Domine, tetrū oris mei odorē, à quo tam multa verba inhonesta, turpia, inuidiosa, iracunda, & vana prodierunt. Respice insatiabilē cordis mei sitim, quę nullis opibus, nullis honoribus aut voluptatibus satiatur. Tu ergo, Domi- Psal. 9. ne, qui adiutor es in opportunitatibus, & in tribulatione, quiq. nulli creaturę tuę dees, ne periclitāti mihi desis. Vbi, quæso, misericordia tua cōmodius, quàm in mea miseria subleuāda collocabitur? vbi immēsę opes tuę copiosius, quàm in summa inopia mea

mea ditanda expēdentur? vbi medicina tua magis, quàm in h
insanabili meo morbo curando vim suam exerc t? His ergo
sid riis, fratres, his vocibus, hoc affectu spiritualis hydro
cur tionem (qua totū pæne genus hominū laborat) à cæle
lo medico flagitare debemus, cui nullus morbus insanabil

Sed iam hydropicum missum faciētes, ad Pharisæos, ho
ad conuiuas Domini veniamus: de quibus Euangelista
Et ipsi obseruabant eum: Scire videlicet volentes, an in Sab
curaret (quod apud illos immane sacrilegium erat) vt ip
odium atq. inuidiam tanquam Sabbathi violatorem vo
Cùm enim liuore & inuidia propter magnifica Domin
vrerentur, hac ratione se illa deprimere posse putabant, q
in Sabbatho cōtra legis prescriptionem ederet. O fratres,
tum inter germanam veramque charitatem & inuidiam
Gregor. men est. Charitas enim (vt D. Greg ait) aliena bona am
facit sua: inuidia autem eadem odio habēdo, in pectoris s
tit vulnera. Tot enim dolorum acu eis sauciatur, quot b
Simil. domo cernit aliena. Depingitur beatissimus martyr Seb
nus sagittis vndiq. confossus: cæterùm si cui hominis inu
ctus cernere liceret, totidem in eo sagittas, hoc est, doloru
leos deprehenderet; omnes enim aliorum felicitates suas
esse miserias; & (vt eleganter poëta finxit) ibi præcipuè la
matur, vbi nil lachrymabile cernit. Quis autem verbis cō
possit, quas in mundo strages inuidiæ pestis ediderit? In
Gen 4. Cain Abelem fratrem occidit. Ob inuidiam præreptæ be
ctionis, Esau Iacobo fratri mortem minitatus est. Inuidia
Gen 27. dem Iacob filios impulit, vt innocentissimum Ioseph fra
Gen 37. venderent in Aegyptum, eò quòd à patre plusquā fratres
1 Reg. 26. diligeretur. Inuidia Saulem adegit, vt sanctissimum Dau
hostili odio persequeretur, nec vllum ei respirandi vel tem
vel locum daret: quod videlicet cantatrices mulieres mille
tum hostium victoriam illi, Dauidi autem decem millium
Num. 16. berent. Inuidia quoq. fecit, vt Datan & Abiron populum in
serto aduersus Moysen concitarēt, quos nouo & inaudito
plicij genere terræ hiatus absorbuit, corpusq. simul cum a
in tartarum precipitauit. Denique inuidia omniū, quæ vnq
in mundo contigerunt, teterrimū facinus commisit, cùm ip
Dei filium, mundique Saluatorem atrocissima & indigni
nece in crucem sustulit. Quæ res vel ipsum etiam iudicem
Matt. 27. nimè latuit. Sciebat enim (vt ait Euang.) quòd per inuid
Iudæi tradidissent eum. Nec desunt authores nō contemn

qui primum excellentissimi illius Angeli peccatum inuidiam fuisse dicant; quòd cùm is intellexisset Dei verbum rationali creaturæ in vnitate personæ copulandum, honorem hunc homini inuidit, quem sibi deberi existimauit. Quod si hoc minimè recipiatur, certè inuidiam fuisse constat, quæ diabolum impulit, vt primum generis humani parentem in crimen impelleret, mortisque sempiternæ reum faceret. Sic enim legimus: Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Imitantur autem eum, qui sunt ex parte illius. De quo crimine illud non incommodè dici poterit, quod cũ cæteris criminibus vnica gehennæ pœna destinata sit, hoc duplici gehenna punitur; hoc est, non ea solum quam in altera vita confitemur, sed in hac etiam vita: quia dum inuidus aliorum felicitate vritur, suam quodammodo gehennam patitur. Sed hæc antiqua. D. autem Gregor. 2. lib. Dialog. Execrandum ac pænè incredibile liuidi hominis facinus commemorat. Ait enim, presbyterum quendam Florentium nomine tanto inuidię liuore in B. Benedictum propter eximiam eiusdem sanctitatem & nominis claritatem exarsisse, vt infectum veneno panem velut xeniolum quoddam ad illum miserit, vt vitam veneno eriperet, cui famam eripere non poterat. Sed cùm hæc tam dira fraus virum sanctum minimè latuisset, aliud scelestissimum & inauditum facinus vir impius excogitauit. Cùm enim magistrum lædere non posset, ad illaqueandas discipulorum animas se conuertit. Septem namque nudas puellas ante eorum conspectum saltare & choreas ducere fecit, vt teneras discipulorum mentes ad impudicitiam hoc spectaculo prouocãs, hac saltem ratione magistro incommodaret. Vir autem Dei dans locum iræ, aliò secessit. At supernus ille mundi arbiter hoc tam execrandum facinus impunitum esse noluit. Cùm enim vir sanctus adhuc in itinere esset, ea pars domus, in qua Florentius habitabat, cum illo & supra illum corruit & extinxit. Sic enim vindex malorum Dominus & inuidi hominis corpus extinxit, & animam perpetuò cruciandam sempiterna morte damnauit. Vt iusto Dei iudicio animam ipse suam perderet, qui aliorum perdere volebat.

Sap. 2.

Gregor. in Dialo.

I.

Hæc igitur inuidiæ pestis, fratres, (vt ad institutũ redeamus) Pharisæos impulit, vt Dominum Saluatorẽ tot modis insectarentur, quòd gloriam suã illius gloria, hoc est, clarissimis virtutum exemplis, singulari doctrina, & admirãdis operibus obscurari, viderent. Hac igitur de causa in hodierna sancti Euangelij lectione

lectione obseruabant eum, an sabbatho curaret, vt sic tandem illius accusandi, atque traducendi ansam arriperent. Quorum Dominus mētem intelligens, quærit ab illis, *An liceat sabbatho curare. At illi tacuerunt*, vt videlicet silentio suo curādi occasionem illi præberent. O fraudulentū dolosumq. cōuiuium! quod in spiritu Prophetam vidisse apparet, cùm mysticè loquens, impios aduersus Christum loquentes inducit: Mittamus lignum
Ierem. 11 in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium. Iudas igi-
Lucæ 22. tur osculo & pacis signo Dominum prodidit; isti autem eum ad conuiuiū vocātes, lethale virus animo inclusum gestabant.

At mitissimus agnus etiam si intelligeret quo animo illi ipsum ad conuiuium vocarent, ea tamen animi synceritate & candore vsus est, vt quasi nihil horum intelligeret conuiuium eorum minimè repudiaret, siue quod hydropicum sanare, siue quod eos à cæcitatis & superstitionis suæ morbo liberare vellet. Eorum ergo insidiosum silentium negligens, manu sua sanctissima apprehensum hydropicum sanauit, ac dimisit. Qua in re saluberrimum, atq. necessarium magnanimitatis nobis præbuit exemplum, vt vana hominū iudicia, & errantes opiniones contemnamus; neq. ab eo quod rectum & officiosum est, oblatrantium hominum causa deducamur. Aliud enim est offensionis & scādali causam dare, aliud accipere; quod quidem Pharisæorum scandalum esse dicitur. Vnde duplex scandalum Theologi statuunt, actiuum videlicet, & passiuum: quorum illud semper fugiendū, hoc verò cùm nos ab officio reuocat, vt plurimùm negligendū est. Animo igitur magno & excelso nobis opus est, vt voces & stulta vulgi iudicia despiciamus. O quanta pace & libertate fruuntur, qui hoc animo sunt; qui non temeritate, sed iudicio: nō humano metu, sed Dei timore; non vulgi opinionibus, sed diuinis legibus vitā suam moderantur! Quàm dira autem illorū seruitus est, qui nihil cōsilio, nihil iudicio designant, sed se totos ad multitudinis voces, & opiniones accommodant, qui omnibus in rebus non quid ratio, quid consiliū, quid lex diuina prescribat, sed quid mundus dicturus sit, semper attēdunt. Itaq. infelices isti nec Deo, nec sibi ipsis, sed seculo, alienisque oculis viuunt, ex illius placitis atque ore pendent, miseramque omni vita seruitutē seruientes. Quid enim abiectius, quàm ex rudis vulgi (quod bellua multorum capitum esse dicitur) opinione pendere? Ab hac igitur misera seruitute nos hodie Saluator exemplo suo reuocat, cùm Pharisæorū offensionem cōtemnens, apprehēsum hydropicū in eorū oculis & aspectu sanauit.

Deinde

Deinde vt eos à grauiori cæcitatis morbo curaret, ait: *Cuius vestrum asinus, aut bos in puteum cadit, & non continuò extrahet illum die sabbathi? & non poterant ad hæc respondere.* Hac interrogatione Pharisæorū cæcitas & auaritia apertissimè declaratur: qui nefas esse putabāt hominē in sabbatho curare, cùm iustum esse crederent periclitāti boui succurrere. Mira sanè iudiciorum peruersitas. Cùm enim constet charitatis legem à Domino non ad brutorū animantium, sed ad hominū salutem latam esse, isti adeò præpostero iudicio erant, vt eam erga pecudes, non autem erga homines seruandā esse decernerent: quandoquidē periclitantes boues in sabbatho curādos, homines verò negligēdos esse iudicabāt. Quo quid esse dementius, quid magis præposterum, quid ab omni humanitate, magis alienū poterat? Quid verò si huiusmodi cæcitas, fratres, in nostris quoq. moribus deprehendatur? Quā multi enim sunt, qui maiorem iumentorū suorum, quàm animarum seruorum suorū curam habent! quos cùm videant carnis vitiis inquinatos, diuinorumq́. mandatorū ignaros, adeoque ab omni Dei cultu alienos, vt ne festis quidem diebus diuino altaris sacrificio assistant, nullam tamen illis curationem adhibēt, sed in sceleribus suis eos & viuere & mori sinunt. Qua de re sic D. Bernard. Aegrotat, inquit, equus, & quæritur remedium: periclitatur subditus, & dissimulatur. Cadit asinus, & est qui subleuet; perit anima, & non est qui recogitet. Bernard.

II.

Hic locus admonet, fratres, vt de festorum sanctificatione dicamus. Scitis autē sabbathi obseruationem in Dominicū diem translatam esse; in qua etiam seruilia opera prohibentur. Quorsum hoc? Certè vt hoc ipso die à seruilibus operibus feriati, animæ nostræ saluti vacaremus, & cōtractas cæteris diebus peccatorum sordes hoc die expiaremus; & qui cæteris diebus terrena tractauimus, hoc die cœlestia tractaremus; & qui curis & laboribus negotiorum distenti, animæ curā neglexímus, hoc die eius curam ageremus. Hoc igitur consilio dies festi diuina & humana authoritate sanciti & consecrati sunt. Quis autē hoc in loco iustis lachrymis innumerabiliū hominū abusum deflere queat? Vsqueadeò enim vulgus Christianorum Dei & Ecclesiæ consilium inuertit, vt nullo die licentius viuat, quandoquidē hoc die non Deo, diuinisq. rebus, sed Veneri & Baccho fœdissimā seruitutē seruiat. Hunc diē ad epulas & conuiuia, ad ludos prestolantur: in quibus sanè ludis & rixæ, & contentiones, & iuramenta, & periuria, & interdum etiam horrendæ blasphemiæ in Deum

sanctosq́;

ſanctosq́. iactantur. Hoc die puellæ ſe diligẽtius comunt&c
nant, variisq́. pigmentis naturæ colorem adulterant, vt formo-
Eccl 9. ſus diaboli laqueus efficiantur : cùm ſcriptum ſit : Propter ſpe-
ciem mulieris multi perierunt ; & ex hoc concupiſcentia qu
ignis exardeſcit. Hoc die adoleſcẽtulorum greges vrbem in
bulantes, turpiſſima inter ſe colloquia miſcent, & laſciuos
los per cuncta eius loca circumducunt, quibus corrupto ſa
affectu, prauisq́. deſideriis animas ſuas polluant. Quid ver
los referam, qui ab hac oculorũ petulantia nõ in profanis
locis, ſed in ſacris etiã minimè abſtinent ; dum eos vel v
curioſos, vel etiam (quod eſt multò grauius) impudicos
plis circumducunt ? Quid hoc aliud eſt, quàm ſacra De
Eſaiæ 65. vertere in lupanaria? Hoc eſt ſcelus illud, quod per Proph
Dominus exaggerat, cũ dicit: Et faciebatis malũ in oculis
Quamuis enim vbiq. locorũ Deus ſit, ſingulari tamen ra
in templis eſt; vbi ſacratiſſimũ eius corpus adſeruatur. Ne
in hunc vſum naturæ conditor tibi oculos cõtulit, vt illis
offenſionem abuterêre? Ariſtoteles quidẽ nullum inter omn
corporis ſenſus pluris ab hominibus, quàm hunc vidẽdi ſenſ
fieri aſſerit, quòd is plures rerum differentias nobis demõſt
Deniq. homo videndi ſenſu priuatus, parum à mortuo d
Quæ cùm ita ſint, quanta, quæſo, peruerſitas & ingratitud
hoc tam nobili ſenſu, pro quo ſemper opifici gratias agere d
remus, in eius iniuriã abuti, & ipſis eius beneficiis tanquã
benefactorem impugnare : quid, quæſo, hoc ſcelere indign
quid immanius? Iam verò quid illos memorem, qui
tempore, quo diuinum ſacrificium feſtis diebus celebratur,
cularibus colloquiis nõ ceſſant? Quonãmodo iſti Eccleſiæ
cepto terrena tractantes eo tempore ſatisfaciunt? Non con
enim vitam omnem in profanis ſermonibus & negotiis tra
gere, in illa etiam breui horula, qua Deo vacare debuiſſent
his temperare nolũt. Quis verò illos ferre poſſit, qui eo eti
tempore, quo Dei verbum populo annuntiatur, quo anim
morbis & ſaluti conſulere deberent, ſimili modo garrire, rid
& nugari cum magna totius populi offenſione minimè d
ſtunt? O gentẽ peruerſam, ô animos tenebris & denſiſſima c
citate oppreſſos! Quæ obſecro vobis ſalutis ſpes reliqua eri
quo tempore Dei verbo mala veſtra curare deberetis, nõ mo
non curatis, ſed nouis etiam acceſſionibus cumulatis! Deniq
eò feſtorum ſanctificatio deducta eſt, vt omnis vitæ intem
rantia atque licentia ad hunc præcipuè diem reſeruetur. Ra

vete

veteres dixerunt Sabbati sui sanctione adeò offensos diabolos, vt eadie nullus in populi frequentia vnquam permanserit, sed omnes ab infestatione hominum cessasse, hominibusque relictis, ad deserta & speluncas effugere. Sed dixeris hodie omne genus cacodæmonum nostris feriis illectum atq. prouocatum, vel ex latebris suis in mundũ magno impetu prorũpere, vt hac diei festi opportunitate abutẽtes, miseras animas illaqueare & in sagena sua cõcludere possint. Itaq. quod ad prȩterita crimina expiandi institutum est, nouis criminibus cumulandis seruit, quod ad animarum salutem sancitum fuit, in carnis voluptatem vertimus, ac postremò quæ dies consecrata Deo erat, diabolo & satellitibus eius militat. Inter horrenda facinora Athaliæ omnium feminarum quæ vnquam fuerunt, immanissimæ & impiissimæ, hoc in primis memoratur, quòd sacra templi Dei vasa ad Baalis cultum destinauerit. Vt sunt igitur loca sacra, sic suo modo sunt etiã tempora Deo sacra. Quocirca hoc teterrimum Athaliæ crimen imitari videntur, qui tempora Deo sacra in diaboli obsequium vertũt. Quæ spes ægrotum salutis manet, cùm is adhibitis salutaribus pharmacis non modò nihil promouet, sed etiam grauius ægrotat? Quid quæso supernũ illum iudicem ad hos festorum violatores dicturum speramus, nisi quod olim iam dixit: Odi & proieci festiuitates vestras, & non capiam odorem cœtuum vestrorum. Et iterum per Esaiam, Sabbatum, inquit, Neomeniam, & festiuitates alias non feram: iniqui sunt cœtus vestri. Kalendas vestras odiuit anima mea; facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens. Quid his quæso verbis formidabilius? Quid verò illud? quantò magis adhuc extimescendum? Dispergam, inquit, super vos stercus sollemnitatum vestrarum. Sed quoniam hic Christiani populi abusus satis deplorari non potest, ad alteram lectionis Euangelicæ partem, quæ tota in superbiæ detestatione & humilitatis commendatione posita est, veniamus.

2. Par. 24.

Simil.

Amos 5.

Esaiæ 9.

III.

Vbi ergo Dominus superstitionis morbum, quo Pharisæi laborabant, adhibita ratione sanare aggressus est, aliud multo grauius ambitionis malum, quo ad mortem vsque ægrotabant, proposita quadam parabola (quæ non procul à præsenti conuiuio aberat) curare voluit. Sic igitur ait: *Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non recumbas in primo loco, ne fortè honoratior te sit inuitatus ab illo, & veniens is, qui te & illum vocauit, dicat tibi, Da huic locum; & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere.*

Sed cùm vocatus fueris, vade, recumbe in nouiſsimo loco vt cùm venerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice aſcende ſuperius. Tunc *erit tibi gloria corã ſimul diſcumbentibus; quia omnis qui ſe exal- tat, humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Hoc Domini conſilium, fratres, etiam ſi ad literam accipiatur, non parum ad vitam ciuilem & conuictum cum hominibus valet. Ad quod

Prou. 25. nos etiam Salomon adhortatur his verbis: Ne glorioſus appa- reas coram Rege: & in medio magnatorum ne ſteteris. Melius eſt enim vt dicatur tibi: Aſcende huc, quàm vt humilieris coram

Eccl. 3. principe. Rurſumque alibi: Quantò magnus es, humilia te omnibus, & coram Deo inuenies gratiam, & coram homin Quo in loco illud obſeruandum eſt, ne captandi honoris, humani fauoris gratia infimum locum eligamus. Hoc e non eſſet honorem fugere, ſed ambire: & ſuperba humili oculos hominum fallere.

Sed quoniam Euangeliſta hoc Domini cõſilium parabola vocat, aliud vtique præter id quod verba ſonant, hac ſimilitudi ne accipere oportet. Id verò eſt, vt non in conuiuio ſolùm, ſed i omni vita ſublimiorem locum, & mundi honores quanto p terimus ſtudio fugiamus, quòd in loco excelſo & magnis ho ribus fulto periculum maius, & caſus ex alto periculoſ

Actor 3. Quid enim Dauide ſanctius, quem Dominus virum ſec cor ſuum appellauit, quemq́. tot miraculis, & fauoribus &

1. Reg. 13. riſſimo Prophetiæ dono illuſtrauit? At is regiũ thronũ cõſc dens, in ſuperbiã poſteà elatus, priſtinæq́. humilitatis obli

2. Reg 24. 1. Reg. 11. populum numerari præcepit. Saul quoq. (vt ſcriptura loqui erat electus bonus, & non erat vir illo melior in Iſraël; qui eti cùm ad regni ſedem quęreretur fugit atq. delituit, ne regio demate inſigniretur. Qui tamẽ vbi ad regni ſoliũ euectus f vt fortunam & dignitatem, ſic animum mutauit, & ſuper faſtu, triumphalem arcum poſt Amalechitarum victoriam

1 Reg. 13. 1. Reg. 15. uinitus partam, erigi ſibi fecit; atque in teterrima & atroci ma deinceps facinora lapſus eſt.

Hac igitur de cauſa ſanctiſſimi quique viri maiori ſtudio contentione dignitates fugiebant, quã alij ambirẽt. Hinc e

August. Diuus Auguſtin. lib. De vita & moribus clericorũ ſic ait: Q

Pſal. 83. eſſe potui, eſſe nolui, nec tamen quæſiui eſſe quod ſum. El enim magis abiectus eſſe in domo Dei, quàm habitare in tab naculis peccatorum. Non enim in conuiuio Domini mei ſu riorem locũ elegi, ſed potius inferiorem & abiectũ; ſed pla illi mihi dicere; Aſcende ſuperius: & poſt pauca, Adeò, inqu

ti

Timebam Episcopatum vt quoniam cœperat esse iam alicuius
momenti inter seruos Dei fama mea; in quo loco sciebam non
esse Episcopum; non illò accederem. Cauebam autem hoc, & a-
gebam quantum poteram, vt in loco salubriter humili, & nō in
alto periclitarer: sed Domino seruus non debet cōtradicere, cui
placuit mihi dicere: Amice ascende superius. Hæc ille. Iam ve-
rò quid eius coætaneus Ambrosius fecit, quas artes non excogi-
tauit, quid denique non designauit, vt episcopatū fugeret? Quid
autem D. Gregor. memorē? quas is latebras nōn quæsiuit, quid Gregor.
non fecit, vt summum Pontificatum fugeret? qui nisi fulgentis
de cælo columnę indicio deprehensus fuisset, nunquam ad eam
sedem peruenisset. Quibus verò posteà per omnem vitam la-
chrymis se à monasterio suo sublatum, & in sublimi loco posi-
tum deflet? Similique affectu nostro pænè seculo beatissimus
Pater Antoninus nihil non fecit, vt Florentinæ sedis dignita-
tem effugeret, quam tandem Pontificiis literis adactus, recusa-
re non potuit. Quid verò illud, quod Nicephorus refert, quàm
mirabile? Cùm enim populus sanctissimum quendam Eremi-
tam in Episcopum à Theophilo Alexandrino Patriarcha po-
stularet, & is illum conueniens, populi voluntatem significa-
ret, vir sanctus diem vnum ad orandum & consilium Domini
requirendum poposcit: cumque eius petitioni Theophilus an-
nuisset, & sequenti die ad illum venisset, mortuum deprehen-
dit. Itaque vir sanctus hac noua & insolita ratione, votis eius
Domino annuēte, oblatæ dignitatis periculum declinauit. Non
enim virum sanctum latebat quàm magna secum pericula sub-
limis loci dignitas, & omnis humana prosperitas afferret. Hinc
D. Isidorus: Veri, inquit, sancti magis formidāt prospera, quàm Isidor.
aduersa; quia prospera deiiciunt, aduersa erudiunt.

Neque ab hac sententia ethnicorum quoque philosophia ab Plutar.
horret. Hinc Plutarch⁹; Perpaucis, inquit, cōtingere felices esse
& sapere. Isocrates etiam orator illustris: Stultus, inquit, bona Isocra.
fortuna tanquam ebrietate nimium furens, stultior euadit. Se- Seneca.
neca prætereà: Segetem, inquit, nimia sternit vbertas; rami o- Simil.
nere franguntur; ad maturitatem non peruenit nimia fecundi-
tas. Idem quoque omnibus euenit, quos immoderata prospe-
ritas rumpit. Deniq. D. Aug. magnæ ait virtutis esse cum feli- August.
citate luctari; magnæ felicitatis esse, à felicitate non vinci. Ad
quod non abs re fuerit memorabile quoddam Philippi Regis
Macedonum exemplū afferre, qui vbi Athenienses partē Græ-
ciæ nobilissimam bello superasset, animū victoria sese efferētem

ratione compescuit. Et ne quid posteà per contumeliam & fa-
stum committeret, instituit, vt quotidie in aurora excitaretur
somno his verbis, Surge rex, & hominem te esse cogita. Quid
hîc prius mirer? An virtutem ethnici hominis, qui hac ratione
elationem animi comprimere voluit? An prudentiam, qui
sic felicitatis naturam agnouit, vt hac ratione sese intra mensuram suam contineret?

Hanc igitur nos hodie Dominus verè Christianam philosophiam in proposita parabola docet, vt humilitatem, & humilitatis officia & loca in omni vita sectemur, & sublimiora fugiamus, si mundi pericula declinare, & veram gloriam consequi desideramus: *Quia omnis*, inquit, *qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.* Qua sententia quid Dominus in proposita parabola docere voluerit, apertissimè declarauit. Hanc igitur sententiam, fratres, quæ superbiæ detestationem & humilitatis commendationem continet, in reliqua concionis parte explicandam suscepi.

TRACTATIO THEMATIS, VEL ALIA CONCIO: QVÆ POST breuiorem Euangelicæ lectionis explanationem poterit adornari.

IIII.

OMnis qui se exaltat, humiliabitur, &c. His verbis (vt intelligere potuistis) fratres, nos cælestis magister ad humilitatis studium & superbiæ odium adhortatur: de quibus nobis hodie ipso aspirante disserendum est. Hoc autem argumenti genus ad fideles omnes cuiuscunque ordinis sint pertinet. Ad
Matt. 19. omnes enim in communi Dominus ait: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, nõ intrabitis in regnum cælorum. Quicquid enim in sacris literis cum hac comminatione proponitur, non ad Euangelica consilia, sed ad præcepta reuocatur. De consiliis namque Dominus ait: Qui potest
Matt. 12. capere capiat. Verũ inter fideles ipsos ad illos præcipuè hæc doctrina pertinet, qui ambitionis morbo laborant, & ad mundani honoris amorem procliuiores sunt. His namque velut parieti inclinato fulcris magis opus est, ne in eam partem ruant, in quam paries deuergit; ne videlicet in præcipitium illud exturbentur,

beatur, in quod ille decidit, de quo Saluator ait: Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem. Vt hãc autẽ doctrinã piè & vtiliter audiamus, eadem ipsa virtute, quam prædicamus, hoc est humilitate, indigemus. Hæc enim Dei verbum audire vtiliter solet Hinc D. Gregorius illa Prophetæ verba explanans, Dirigite viam Domini, sic ait: Via ad cor dirigitur, cùm sermo veritatis humiliter auditur. Hac ergo mente, hoc affectu sermo Dei audiendus est; vt tanquam discipuli veritatis studio discendi, non curiositatis, aut vanitatis, aut leuitatis affectu audiamus.

Luc.10.

Gregor.
Esaiæ 40.

Hinc igitur dicendi initium faciamus. Quisquis sacra volumina (in quibus spiritus ille cælestis nos erudire dignatus est) diligenter euoluerit, non poterit nõ vehementer admirari cùm animaduerterit, quàm multis ac miris modis virtus humilitatis cõmendetur. Principiò enim cùm Christus Dominus in absolutissimum virtutum omnium exemplar propositus nobis sit, huius præcipuè se exemplum, atque magistrum exhibet, cùm ait: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Deinde si quis omnem eius vitam, hoc est initium, progressum, atque finem consideret, quid aliud frequentius in ea conspiciet, quàm clarissima humilitatis exempla? Ad cuius imitationẽ nos Apostolus inuitat his verbis: Hoc sentite in vobis quod & in Christo Iesu, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit; & cætera, quæ sequuntur. Hoc est, Date, fratres, operam, vt hunc humilitatis affectum in vobis sentiatis, qui fuit in Christo Iesu: cui cùm diuinitatis gloria rapina non esset, qualis Angelo ruenti fuit, sed naturalis & propria, semetipsum tamen ex altissimo diuinitatis culmine in hanc tantam humilitatis abyssum deiecit, atq. exinaniuit, vt ignominiosissimũ crucis supplicium cum maleficis hominibus subierit. Quo exemplo quod aliud ad imitandum vel mirabilius vel potentius proponi nobis potuit? Quamuis enim omnia & Angelorum & hominum consilia in vnum coirent, nullum maius virtutis huius exemplum vel desiderare, vel excogitare potuissent. Denique D. Gregor. totum Dominicæ incarnationis, atque passionis mysterium ad huius virtutis commendationem reuocat. Sic enim ait: Ad hoc filius Dei formam infirmitatis nostræ suscepit; ad hoc inuisibilis non solùm visibilis, sed etiam despectus apparuit; ad hoc contumeliarũ ludibria, illusionum probra, passionum tormenta sustinuit, vt superbum non esse hominem doceret humilis Deus. Hactenus ille.

Matt.11.

Philip.2.

Gregor.

Si verò sanctorum patrum scripta perlegeris, miras in eis vir-

tutis huius laudes & vtilitates inuenies. Hanc enim virtutum fundamentum atque radicem, hanc veræ ſapientiæ initium, hanc ſcalam paradiſi, hanc charitatis, cæterarumque virtutum fidam cuſtodem, hanc cunctarum tentationum victricem, hanc ſuperbiæ & inanis gloriæ expultricem eſſe aiunt. Denique
Clim. Ioannes Climacus de hac virtute ſic ait, Si ſuperbia ex Angelis dæmones fecit, humilitas ex dæmonibus Angelos efficere poteſt.

Si verò ſpiritualis vitæ magiſtos conſulas, hi certè perfectioris vitæ ſtudioſis duo præcipuè tempora veſperi & manè aſsignant, quibus ſpiritualium rerum conſiderationi vacent: altero quidem diuina beneficia meditanda proponunt, in altero verò infirmitates omnes & vitæ lapſus, varioſque animorum noſtrorum morbos & ægritudines conſiderare iubent. Et quidem partem temporis ac vitæ, diuinorum beneficiorum, atque adeò dum eius contemplationi impendi (qua exercitatione charitas in Deum accenditur, quæ latiſſimum in virtutes omnes imperium habet, & in qua Chriſtianæ vitæ ſumma conſiſtit) nihil admirum eſt: at verè mirandum eſt tantundem temporis, atque ſtudij in peccatorum atque morborum, & infirmitatum noſtrorum conſideratione inſumi oportere. Hoc enim perindè eſt, ac ſi olidū ſterquilinium aſſiduè verſare, atque reuerſare velis.
Eccl. 14. Quod enim fœdius ſterquilinium, quàm peccatoris & infirmi hominis pectus? Quid enim (vt Eccleſiaſticus ait) nequius, quàm quod excogitauit caro & ſanguis? Et tamen in huiuſmodi ſterquilinio fodere aſſiduè iubemur, vt pretioſiſſimam humilitatis gemmam in eo inueniamus.

Cùm ſint igitur tot huius virtutis laudes, vehementer animus noſter huius tantæ commendationis cauſam aſſequi deſiderat, cùm præſertim philoſophi dicant, tunc nos aliquid ſcire, cùm eius cauſas intelligimus. Altius igitur mihi rem indagare, iuſtiſſimæ eſſe omnes huius virtutis laudes videntur. Quam rem planiſſimam (vt arbitror) me vobis facturum ſpero, ſi prius tamen quid humilitas ſit explicuero.

V.

Bernard. Hanc autem Diuus Bernardus breuiter definit his verbis: Humilitas eſt virtus, qua homo veriſſima ſui cognitione ſibi ipſi vileſcit. Itaq. verè humilis primùm omnes præteritæ vitæ lapſus & maculas, earumq. deformitatem humiliter agnoſcit, & lamētatur. Deinde omnia malorū ſemina, quæ ex originis peccato nobis proueniunt, & quæ ipſi nobis aſſiduitate peccandi

contraximus, hoc est fœdas animi cupiditates, ægritudines, & procliuitates ad malum clarissimè & agnoscit & sibi ipsi hac cō-sideratione vilescit. Si quid autem rectum vel pium siue in bonis naturæ siue gratiæ deprehenderit, id nullo modo sibi, sed totum diuinæ beneficentiæ tribuit: nec plus aliquid se habere credit, quàm quod habet; imò multa habet, quæ habere se vtiliter ignorat. Quamuis autem in aliorū oculis sit magnus, in suis (vt de D. Bernard. legitur) exiguus, imò & nullus est, atque (vt idem ait) verè humilis non humilis apparere conatur, sed vilis. Itaque bona omnia in bonorum omnium fontem refert, sibi verò ex se nihilum & peccatum tribuit. Et quia peccatum minus est, quàm nihil, ipse talem se adhuc existimat qualem se peccatum fecit. Ideoque omnes hominum laudes, omnemque seculi honorem auersatur, & ab omnibus tanquam nihil cōtemni & conculcari desiderat. Hic enim affectus ex verissima peccati & nihili sui cognitione proficiscitur. Idemq. hoc etiam nomine seipsum deijcit, quòd diuinis beneficiis atque internis Spiritus sancti motibus se minimè respondere credat; ideoque dignissimum esse, qui à Deo deseratur, & sibi ipsi propter inertiam & animum diuinorum beneficiorum immemorem relinquatur; indignumque se & vita quam viuit, & luce qua fruitur, & piorum consortio quo vtitur humiliter iudicat. Cùm verò præteritæ vitæ labes & impuritatem considerat, tanto sui ipsius despectu, tanto mœrore atque pudore circunfunditur, vt, quemadmodum Publicanus ille ex Euangelio, nec oculos quidem ad cælum leuare audeat. Hæc igitur, & his similia vera humilitas complectitur.

Idem.

Lucæ 18.

His ita constitutis, fratres, apertè cernere licebit humilitatis virtutem ad omnes alias virtutes, cæteraque Spiritus sancti dona mentem hominis cōmodissimè aptare. Quam rem vobis appositissima hac similitudine declarabo. Quemadmodum faber ferrarius ferrum in fornace primùm mollit; quod vbi fecerit, in quamuis illud formam siue triangulam, siue quadrangulam, siue alterius cuiuslibet figuræ sine vllo negotio fingit, ac refingit, quod in frigido ferro nullo modo facere posset; ita humilitatis virtus animum sic mollit, & tractabilem facit, vt facilè cuiuslibet aliarum virtutum recipere possit, quod à superbis mentibus alienissimum est, quas frangere potius, quàm ad virtutem flectere possis.

Simil.

I.

I.

Hoc ipsum autem (quod modò dixi) propositis exemplis pla-

planissimum faciam. Et primùm quidem ab obedientia, quæ inter laudatissimas virtutes numeratur exordium capiam. Quæ
1. Pet. 2. quæso ad obedientiam illam (quam Petrus Apostolus commendat, cùm ait: Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum) quàm verè humilis promptior? Qui enim se vilissimum omnium reputat, non vtique detrectabit se & maioribus, & æqualibus, & minoribus subdere, cùm ipse se omniũ minimum dicet. Quæ res à superbo homine alienissima est. Vnde superbi homines in literis sanctis filij Belial, id est, absque iugo, nominantur, quòd videlicet obedientię iugum elato animo recusant.

II. Iam verò mansuetudini & lenitati quæ virtus propior quàm humilitas est? Cuius rei illud argumento est, quòd in literis sanctis altera alteri sæpè cõiungitur. Sic Dominus: Discite, inquit, à me, quia mitis sum, & humilis corde. Sic idẽ alibi: Super quem requiescet spiritus meus nisi super humilem & mãsuetum? Sic
Iudith 9. sancta illa femina in oratione sua: Tu, inquit, Domine, cui semper humilium & mansuetorum placuit deprecatio. Contrà verò quàm longè ab hac lenitate superbi homines absunt! De his
Prou. 13. enim scriptũ est, Inter superbos semper iurgia sunt. Cùm enim mundani honoris cupidissimi sint, molestissimè ferunt, si quis minus aliquid honoris aut reuerẽtiæ quã ipsi sibi arrogant, exhibuerit. Itaque grauiter indignantur si quis illis vel non statim assurgat, vel se erga illos minus demissè gerat, vel non prius salutet, vel non caput illico aperiat. Quin & in detegẽdo capite, & in genibus flectendis mensuras quasdam definitas habent, quas prętergredi nefas, & intolerandum crimen esse ducunt. O pueriles ineptias, ò malè collocatã ætatem, ò frustra susceptum rationis lumen, quod in his næniis computandis versatur, quæque huius rei gratia ingentes excitare tragœdias soleat!

III. Quid verò ad patientiã (quam Iacobus Apostolus perfectum
Iacob. 1. opus habere dicit) quantum nos humilitas adiuuat? Vt enim superbi iniuriarũ & contumeliarum impatientissimi sunt (quarum gratia non dubitant sæpè in singulare etiam certamen descendere) ita contrà qui verè humilis est, qui se nihil esse profitetur, qui ab omnibus despici, nesciri, & cõculcari desiderat, qui non modò in conuiuiis, sed in quouis etiam negotio iuxta Domini consilium, nouissimum eligit locum, non habet cur iniuriis aut contumeliis affectus disrumpatur: sed cur magis lætetur, quòd ea non quidem reluctanti, sed optanti sibi eueneri[nt]. Is igitur multò magis sibi ab humanis laudibus timet, quæ homines dementant, quàm à conuitiis, quæ tanquam salutaria

pharmaca,

pharmaca, quamuis amara, humilitatis & patientiæ materiam præbent. Denique vsque adeò patientiæ virtus cum humilitate colligata est, vt vix vllum veræ humilitatis certius indicium sit, quàm iniuriarum & contumeliarum patientia.

Quid verò Euangelica paupertas (quam inter octo beatitudines Dominus primo loco posuit) quàm facilis hæc virtus verè humili est, quam adeò difficilem superbus existimat? Cùm enim (vt antè diximus) verè humilis non humilis cupiat apparere, sed vilis, non admodum curat si vel lacera vestis, vel dissutus calceus, vel curta supellex domi sit, nihilque in ea appareat, quod ambitionem, aut fastum redoleat, vt mihi quidem videatur has duas virtutes germanas, & quidem gemellas esse. Qui enim verè humilis est, vsque adeò dolet animũ suum veris virtutum opibus nudatum, vt externarũ diuitiarum inopiam nihili faciat, cùm se virtutum inopem in animo dolet. Contrà verò superbus animam frequenter venalem habet, dum multis eam flagitiis exponit, vt iniustas colligat diuitias, quibus fastum atq. superbiam suam tueri atque ostentare queat. IIII. Eccl. 10.

VI.

Quis verò ad orationis studium (in qua magna vitæ Christianæ portio sita est) quàm verè humilis propensior? Vt enim vnicum pauperum remedium est ostiatim mendicare; ita verè humilis qui se virtutum & gratiarum inopem cernit; quid aliud facere, quid moliri, qua alia ratione inopiæ suæ consulere poterit, nisi diuinæ gratiæ auxilium assiduis vocibus implorando? Eius enim est illa vox: Expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra sine aqua tibi? Quid verò terra aqua deficiente lætum aut frugiferum proferre potest? At eadem compluta, rerum omnium mater & procreatrix est. Eius item est illa vox: Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. Et illa item, Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Omnes hæ voces atque clamores verè humilis sunt, infirmitatem & nuditatem suam agnoscentis, & diuinam opem flagitantis. Superbi autem oratio est: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, &c. Psal. 142. Psal. 24. Psal. 120. Lucæ 18.

Sed ad maiora veniamus. Religio moralium virtutum præstantissima est: cuius est singulare officium Deum colere & honorare. Vt enim diuinæ bonitati charitas, ita maiestati honor, debetur, quem illi regio tribuit. Quid vero humilitas? An non religioni in hoc officio famulatur? An non verè ab Ecclesiastico dictum est: Magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur? VI. Eccl. 3.

ratur?. Quomodo verò illum honorant? Primùm quia tantò
ante ipsius maiestatem humiles prosternunt, quantò se viliores
illius comparatione agnoscunt; deinde quia donorum omnium
Iaco. 1. quæ perceperunt, gloriam vni illi tribuunt; omne datum opti-
mum, & omne donum perfectum ab illo manare prædicantes.

VII. Quid verò gratiarum actio, & animus diuinorum benefi-
ciorum memor? Quis ad agendas gratias propensior, quàm qui
(vt antè diximus) nihil se esse cognoscens, quicquid in se aliquá
pietatis imaginem refert, totum benignissimè atque gratuitæ
Dei beneficentiæ ascribit? & quò ipse viliorem se iudicat, eò
diuinis beneficiis indigniorem reputat: quæ res facit, vt diui-
Seneca. nam erga se largitatem tantò magis obstupescat, quantò se be-
neficiis eius indigniorem iudicat. Multis rebus (ait Seneca) non
ex natura sua, sed ex paruitate nostra magnitudo accedit. Qui-
quis ergo hoc modo paruus est, etiam quæ parua sunt pro ma-
gnis computat. Quo igitur animo, qua mente, quo affectu in
Deum erit, qui cùm paruum atque adeò nihil se esse existimet,
non quidem parua, sed magnificentissima à Deo dona recipit?
Quomodo ergo non totus diuinæ benignitatis consideratione
liquefiat? quomodo non se totum in eius laudes effundat? quo-
modo non totus in eius amorem exardescat? Videtis ergo fra-
tres, quantũ vera humilitas non solùm ad grati animi officium,
sed etiam ad charitatem in Deum conferat?

VIII. Iam verò quã multis laudibus apud Salomonẽ sapiẽtia com-
Sapien. 7. mendatur? Quibus eam rebus cõparat? quãtum inter omnia il-
lam eminere ait? Quantum verò ad sapientiam consequendam
(quæ in veritatis cognitione sita est) vera humilitas cõferat, D.
August. Augustinus ad Dioscorum declarat his memorabilibus verbis:
Non aliam tibi ad capessendam & obtinendã veritatis viã inue-
nias, quàm quæ monstrata est ab illo, qui gressuum nostrorum
tanquam Deus vidit infirmitatem. Ea autẽ prima est humilitas,
& quoties interrogares, secũda humilitas, & tertia humilitas; &
quoties hoc interrogares, idem dicerem. Hæc Augustin. qui sa-
Prou. 11. nè meminerat, se in Prouerbiis legisse: Vbi humilitas, ibi & sa-
pientia. Itẽq. in Psalmo, Testimoniũ Domini fidele sapientiam
Psal. 18. præstans paruulis, hoc est, humilibus. Et cælestis pater sapientiæ
Matt. 11. suæ mysteria abscondit à sapientibus & prudentibus, & reuelat
paruulis. Sapiẽtia quoq. in Prouerbiis vbi domũ ædificasset, &
mensam spiritualibus deliciis instruxisset, ancillas suas misit, vt
Prou. 9. ad hoc conuiuium paruulos istos hac voce inuitarẽt. Si quis est
paruulus, veniat ad me. Huiusmodi enim paruulos diuina sa-

pientia

pientia ad se recipiendã maximè idoneos, & (vt ita dixerim) ca- Simil.
paces inuenit. Vasa vacua facilè infusum liquorem excipiunt & Simil.
retinent, quod plena non possunt. Tabula etiam, in qua imago
nulla depicta est, quãuis formam aut figuram recipere facilè po-
test. Sic igitur qui se pauperem, & nudum, & rerũ omnium in-
dignum arbitratur, solaque diuinæ gratiæ ope nititur, facilè sa-
pientiã ab aliis discere & concipere potest; quod superbis mini-
mè contingit, qui se ipsis, hoc est, suis consiliis, suæq. prudentiæ
æstimatione pleni, neque aliorũ consiliis acquiescunt, neque à
Deo sapientiæ lumen, quod se habere arbitrantur, postulant.
Quod quidem D. August. sibi aliquando contigisse confitetur August.
his verbis: Tumore meo separabar abs te, & nimis inflata facies
claudebat oculos meos. Adde etiam quòd præcipua veræ sa-
pientiæ pars in sui ipsius cognitione posita est. Quam quidẽ co-
gnitionem veteres philosophi tanti fecerunt, vt sententiã hanc;
Cognosce te ipsum; non ab hominibus excogitatam, sed è cælo
allatã fuisse dictitauerint: tantum in ea ponderis & sapientiæ si-
tum esse credebant. At verissima sui cognitio in hoc præcipuè
posita est, vt homo se quidẽ ex se nihil esse, & quicquid habeat,
à diuina misericordia gratuitò se accepisse credat. Cuius autem
sapientiæ sit hoc agnoscere, declarat Sapiens ille, cùm ait: Sciui Sapien. 8.
quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det: & hoc
erat summa sapientia, Scire cuius esset hoc donum. Videtis hîc,
fratres, sapientiam in huiusmodi cognitione sitam esse?

Quid verò Euangelij gratia, & magnificentissima illa dona
in aduentu Christi promissa? quibus quæso nisi humilibus po-
tissimùm exhibita fuere? An nõ hoc Saluator ipse testatur, cùm Matt. 11.
se à Patre vt pauperibus euangelizaret, missum esse ait? Qui
sunt autem pauperes isti, nisi qui diuina luce collustrati, ani-
morum suorum inopiam & nuditatem agnoscentes, ad Salua-
toris sui gratiam tota auiditate confugiunt? De his enim paupe-
ribus beatissima virgo cecinit, Esurientes impleuit bonis, & di-
uites dimisit inanes. Quo in loco sacra virgo quemadmodum Luc. 1.
diuitum nomine superbos, qui opinione sua diuites sunt; ita
contrà esurientium nomine humiles significauit; qui quò ma-
gis diuinæ gratiæ opibus se nudatos sentiunt, hoc ardentius illas
esuriunt atque sitiunt.

His omnibus humilitatis laudibus extremam hanc addam, X.
quòd ea fidissima virtutum omnium custos existat; ideoque ad
spiritualis vitæ perfectionẽ aspirantibus sit maximè necessaria.
Videmus enim proceras arbores, quæ in sublime sese attollũt, Simil.
altissimis

altiſſimis radicibus niti. Quantum enim vertice ad auras æthe-
Simil. reas, tantum radice in ima tendunt. Naturæ quoque ars imita-
quò ſublimius ædificij fabricam erigere vult, eò altiora iacit
fundamenta, quæ totius fabricæ molem ſuſtinere queant. Ad
hunc ergo modum diuina gratia (quæ naturæ velut germana
eſt, vtpote quæ ab eodem parente manauit) cùm virtutum ſtru-
cturam attollere cupit, magna humilitatis fundamenta iacit, ne
virtutum ſublimitas ſuperbiæ aut inanis gloriæ vitio corru-
Vnde beatiſſima virgo vt ſupra omnes creaturas perfectiſſima,
Auguſt. ita ſupra omnes extitit humillima. Quocirca rectè Diuus Au-
guſtinus perfectioris vitæ ſtudioſum admonet his verbis: Cogi-
tas magnam conſtruere fabricam celſitudinis, de fundamento
Clim. prius cogita humilitatis. Hinc Ioannes Clima. Sacra, inquit,
biga Charitas & humilitas: illa exaltat, hæc exaltatos, ne-
quam decidant, continet.

Longum eſſet, fratres, ſi virtutes omnes, ad quas humilitas
viam munit, enumerare vellem. Non enim fruſtra ea virtutum
omnium radix à ſanctis patribus appellatur; cuius rei cauſa
Simil. allata initio candentis ferri ſimilitudine expoſuimus. Vt enim
pueri, qui nihil per ſe aut intelligunt, aut poſſunt, facilè regen-
manum ductumque ſequuntur: ita verus humilis, qui tan-
Matt. 19. Euangelicus ille paruulus nihil per ſe aut ſapere, aut po-
tratur, facile ſe ad omnia virtutum officia docilem atque tracta-
bilem reddit.

Quid igitur amplius in huius virtutis commendatione re-
quiramus? Quis adeò ferreus erit, qui non in eius amorem
ardeſcat, quę vna tantam ſecum bonorum omnium ſegetem
fert? Exiſtimo, fratres, vos iam virtutis huius amore cap-
illud à me requirere, qua ratione illam aſſequi valeatis. Tria
Baſil. hoc Diuus Baſilius neceſſaria eſſe ait: quæ nimirum ſunt a-
duitas ſubiectionis, conſideratio melioris, & conſideratio pro-
Caſſian. priæ vilitatis. Primùm autem Ioannes Caſſianus magnope-
commendat, qui ait ſanctos illos Aegypti patres (qui forman-
dorum animorum peritiſſimi artifices erant) ſolitos fuiſſe iu-
niores monachos variis obedientiæ laboribus exercere, vt ex-
ternæ humilitatis officiis exercendis, humilitatem acquirerent
Pſal. 130. cordis. Quæ quidem officia S. ille Rex minimè detractabat,
qui ne cor eius exaltaretur, non ambulabat in magnis, ſed
paruis, neque in mirabilibus ſuper ſe, ſed in humilibus infra
2. Reg. 6. Quod ſatis apertè monſtrauit, cùm ante arcam Dei accinctus
ephod lineo ſaltare cœpit. Sed quis hoc Adę filiis perſuadere p-
ter



Veruntamen non ad omnes hic meus sermo dirigitur; sed eos qui virtutis huius amore flagrant; quam vt assequantur magis cupiunt, quàm dominari, obedire quàm imperare; magisque inter humiles versari, quàm cum superbis spolia diuidere.

Secundo verò loco plurimum nobis ad hoc ipsum clarissima sanctorum martyrum, sanctorumque monachorum exempla conferent, cùm grauissima illorum tormenta, & pręclaras iustorum virtutes, præcipueque incredibilem carnis macerationem, solitudinis secessum, orationis instantiam, & mundi contemptum consideramus. Quis igitur horum comparatione cristas erigere, aut ceruices attollere audeat?

Vltimo verò loco nos ad hoc ipsum iuuabit propriæ fragilitatis, & peccatorum nostrorum consideratio; quam initio concionis à spiritualis vitæ magistris vehementer commendari diximus: in qua magnam temporis partem insumere debemus, quò nihilum nostrum, hoc est, animæ nostræ ægritudines, ac multiplices morbos non modò cognoscamus, sed ipsis quodammodo manibus contingamus; atque ita demum nos ipsos ante diuinæ maiestatis conspectum humiliter prosternamus. Quo enim nos magis ad imum vsque deiecerimus, hoc magis in sublime ab eo attollemur, qui ait: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat exaltabitur.*

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN CONCIO PRIMA: IN qua lectio Euangelica explanatur.

THE. *Hoc est maximum & primum mandatum.* Matth. 22.



Lectio sancti Euangelij, fratres charissimi, charitatem nobis maximè commendat: de qua potissimùm sermo nobis hodie instituendus est. Cuius modi autem auditores cælestis hæc doctrina requirat, Diuus Augustinus de diuini amoris dulcedine loquens, ait: Da amantem, & sentit quod dico: da desiderantem: da feruentem: da in ista solitudine peregrinantem, atque sitientem, & ad fontem æternę patriæ suspirantem: da talem, & (August. super Ioan.)

lem, & scit quid dicam. Quibus verbis satis indicauit, eos qui diuini amoris expertes essent, ad amoris doctrinam percipiendam ineptos & rudes esse. Quamobrem cũ Spõsa nos hodie Cant. orare Dominum debemus, vt introducat nos in cellam vinariam, & charitatem in nobis ordinet & accendat: vt recondita charitatis mysteria penetrare possimus. Excitat verò attentionem nostram dicendi materia. Cùm enim de dilectione Dei sermo nobis habendus sit, vix quisquam erit vsque adeò ab omni diuini numinis cultu & religione abhorrens, qui non libenter huic sermoni aures adhibere velit. Vt enim D. Bernardus ait: Sermo de diligendo Deo & sapit dulcius, & tractatur securius, & auditur vtilius. Sed priusquàm rem ipsam aggrediamur, lectio sancti Euangelij, quæ nobis huius argumenti materiam ministrat, breuiter recitanda est: quam sanctus Euangelista Matthæus narrat his verbis.

Cant. 2.

Bernard. de diligẽ. Deum.

Pharisæi autem audientes, quòd Iesus silentiũ imposuisset Sadducæis, conuenerunt in vnum: & interrogauit eum vnus ex eis legis doctor, tentans eum, Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Iesus, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. quæ sequuntur.

AVE MARIA.

Hoc est maximum & primum mandatum. Cùm de hoc summo dilectionis erga Deum mandato sermonem hodie habituri simus; duo potissimùm dicenda esse videntur. Alterum, quanta sit huius dilectionis dignitas; alterum verò, qua ratione ad illam aspirare licebit.

Diuisio.

Dignitatem verò virtutis huius breuiter Saluator in præsenti lectione attigit, cùm dixit: *Hoc est maximum & primum mandatum.* Est enim illud (vt ab hoc incipiamus) nõ vno modo primum. Est enim primum ordine, dignitate, merito, imperio, suauitate, perpetuitate, & necessitate. Ordine quidem est primum: quia inter omnia Decalogi præcepta, primo loco cultus diuini numinis præcipitur: qui quidẽ eius dilectione præcipuè continetur. Ille enim maximè Deum colit, qui eum super omnia diligit: hac enim dilectione homo & se ipsum, & omnia ad illum tanquam ad vltimum finem refert. Est etiam intentione primum: quia omnia quæ à Deo siue dicta, siue facta, siue mandata, siue scripta sunt, ad hoc vnũ destinantur, vt Deus super omnia diligatur. Hinc D. August. ait: Diuinarũ scripturarum multiplicem abundantiam, latissimamq. doctrinam

Exod. 20.
Deut. 6.

[illegible]ore comprehendit, & ſine vllo labore cuſtodit; cuius cor eſt charitate plenum, dicente Apoſtolo: Plenitudo legis eſt dilectio. Ad hoc igitur omnia Spiritus ſancti chariſmata, ad hoc Eccleſiæ ſacramenta, ad hoc ſacrę ceremoniæ, ad hoc tria monaſtica vota inſtituta ſunt, vt Deo mens noſtra amoris glutino coniungatur. Hoc præcipit lex, hoc exigunt Prophetæ, hoc Pſalmi concinunt, hoc omnes à nobis exigunt, nõ ſolùm ſcripturæ, ſed etiam creaturæ. Vnde colligitur mandatum hoc primum in legiſlatoris intentione fuiſſe, ad quod cætera omnia ab eo deſtinata ſunt. Eſt etiã primum dignitate. Vnde dicitur maximum & primum mandatum. Summũ enim eſt quod opponitur imo, & optimum quod opponitur peſſimo. Peſſimum autem inter mala omnia eſt odiſſe Deum: erit ergo optimum inter omnia diligere Deum. Quod frequenter pij homines faciũt, dũ mens, immenſa Dei bonitate, pulchritudine, & munificentia cõtemplanda, amore eius incaleſcit & incenditur: vt ex hoc liqueat, fratres, quo ſtudio precationi, diuinarumq́ue rerum meditationi incumbere debeatis: in qua pij homines præſtantiſſimũ hoc virtutum omnium officium exercere ſolent. Rom. 13.

Eſt etiam mandatum hoc merendi virtute atque ratione primum. Nihil enim Deo gratum, & ęterna vita dignum, niſi charitas eſt: & quicquid illi gratũ eſt, ab hac virtute tanquam à forma nobiliſſima accipit vt gratum ſit. Sicut enim nullum corporis membrum ex ſe vitam habet, niſi ab anima illam mutuetur: ita nullum virtutis opus, ante Deum meritum aut gratiam habet, niſi à charitate tanquam à cæleſti forma, & veluti boni operis anima, eam trahat. Hinc D. Auguſt. Adde charitatem, proſunt omnia: detrahe charitatẽ, nihil proſunt cætera. Quale bonum eſt charitas iſta, fratres? Quid enim ea pretioſius? quid vtilius? quid ſecurius? Et quò magis miremini, nõ ſolùm (vt ita dicam) in eſſe meriti, ſed in eſſe veræ chriſtianæq́ue virtutis, cæteræ quoque virtutes à charitate pendent. Vt enim D. Thomas ait: Nulla virtus quamlibet eximia, ſine charitate ſimpliciter & abſolutè vera virtus dici poteſt. Sunt quidem illæ in genere & gradu ſuo morales virtutes: quæ hominem in ordine ad naturalem felicitatem, quam philoſophi poſuerũt, præparant. Quibus tamen homo veram felicitatem, quæ in aperta Dei viſione poſita eſt, non meretur: ideoq́. ſimpliciter veræ virtutes ſine charitate appellari non debent: quandoquidem (vt ipſe etiam Ariſtoteles definit) virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum. Optimum verò Chriſtiana felicitas eſt, quam Philoſophicæ virtutes Simil. Auguſt. D. Tho. 2.2.q.23. artic. 7. Ariſtot.

minimè

minimè attingunt. Qua in re summa charitatis dignitas ap-
ret: quæ vtroque modo aliarum virtutum forma est, quan-
quidem illis (vt modò diximus) vtrunque præbet, & esse m-
ti, & esse virtutis. Est etiam mandatum hoc primum (vt
dixerim) duratione ac perpetuitate. Fides enim & spes mul-
alia virtutum opera (cuiusmodi sunt quæ in misericordiæ o-
ribus versantur) locum in cælesti patria non habebunt. No
nim esse ibi poterit fidei obscuritas cum aperta diuinæ pul-
tudinis visione: nec spes futuræ retributionis cũ ipsa bono-
omnium possessione: nec opera misericordiæ exerceri po-
vbi nullus miseriæ atque indigentiæ locus erit. Cæterũ
ritas adeò eius loci propria est, vt quæ modò imperfecta
maximè perficienda & inflammanda sit. Postremò, n-
rum hoc vt omniũ maximũ, ita maximè necessariũ est. E-
Rom. 13. plenè seruato, totã Decalogi legem seruari testatur Apost
cùm ait: Qui diligit, legem impleuit. Plenitudo enim le-
dilectio. Ex his ergo liquet, fratres, hoc charitatis mandatu
maximum, & modis omnibus primum esse, quod initio pr-
suimus.

I.

Existimo autem vos huius tantę virtutis amore incensi
ratione compotes eius fieri possitis, desiderare. Hoc d
explicandum est. Cùm autem infinita pænè sint, quæ
August. hunc amorem excitare possint (omnis enim creatura, A
no teste, hoc à nobis exigit, vt communem Dominum in
mato studio diligamus) omnia tamen ea ad duo præcipua
Aristot. reuocantur; quæ Aristoteles vulgatissima illa sententia c
prehendit, Amabile bonum, vnicuiq. autem proprium. A
mus enim bonum, vtpote quòd voluntatis nostræ obiectu
& amat item quisque priuatum bonum suum, & eum eti
quo beneficiis affectus est. Itaque bonitas & beneficentia,
duo acres veri amoris stimuli. Quisquis ergo in diuinæ
ctionis studio proficere cupit, in harum rerum meditation
& sedulò versari debet. De bonitate igitur diuina prius, de
de eius beneficentia dicamus.

Partitio. Et quidem si diuinæ bonitatis immensitatem in seipsa, q
modo eam beatę mentes contẽplantur, cerneremus, nõ dub
quin illam summo & incomparabili amore (quemadmod
ipsæ) diligeremus. Sed quoniã hoc, in mortali corpore de
bus non contingit, ex operibus, hoc est, ex solis eius legibu
alia modò quæ sunt innumera prætereamus) immensam
bonitatem velut in speculo & ænigmate vtcunque æsti
poterim

petimus. Ex ipsius namque legibus, quibus nos ad sui amorem ac peccati odium adhortatur, immensam præcipientis bonitatem colligere licet. Cùm enim iudicia Domini sint vera & iustificata in semetipsa, & facta in veritate & æquitate (quibus videlicet nihil iustius, nihil sanctius, nihil magis debitum homini præcipi potuit) vbi animaduersum fuerit, quantum diuina lex ab homine exigat, intelligemus planè, quanta illa sit bonitas & maiestas, quæ tantũ amoris & obsequij à creatura adeò inope & fragili requirit: cùm certissimè constet, nihil illum à nobis nisi quod iustissimum sit, summoque sibi iure debitum, exigere. Videamus ergo quid primùm à nobis postulet.

Diliges, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* In Hebr. ponitur verbum, quod hunc sensum facit, si latinè reddi commodè posset: Cum toto tuo valdè, seu multo. Hoc est, vt quicquid in te vel in tua potestate est, totum id vehementissimo studio in obsequiũ Dei tui, velut perfectissimum quoddã holocaustum offeras: in quo nihil sit, quod non igne diuini amoris incendatur. Itaque & corpus & animam, resque omnes externas pariter & internas, & quicquid ad te vlla ratione pertinere potest, in obsequiũ Domini tui, non quidem mediocri ardore & studio, sed totis viribus, totaque animi propensione & voluntate offeras. Hoc est enim quod ait: Cùm toto multo tuo; vt videlicet nullus in te ardor, nulla vis insit, quam non in hoc dilectionis officium conditori tuo offeras. Hac autem dilectione supra omnia Deum diligere tenemur, nempe supra omnia, quæ nobis chara esse in vita possunt: hoc est, supra opes, honores, vitam non modò nostram, sed etiam charorũ omnium, siue amicorum, siue filiorum, siue parentum, & cõiugum, aut si quod aliud nomẽ sanctius & coniunctius est. Vnde illud etiam sequitur, vt si hæc omnia simul perire debeant, aut aliquod diuinæ legis præceptũ violandũ sit, prius omnia interire, quàm Deũ offendere velimus. Cuius rei locupletissimum exemplum nobis omnes sancti Martyres prębuerunt, qui omnia tormentorum genera prius perpeti, quàm fidem semel Deo datam fallere maluerunt. Duæ quoq. inclytæ feminæ in nouo testamento clarissimum huius dilectionis specimen nobis ediderunt, nempe Symphorosa & Felicitas: quarũ quæque septem filiorum mater erat: quos omnes ad minimum vsque, ante oculos suos torqueri, laniari, discerpi, & excarnificari promptissimo animo passæ sunt, ipsæque simili supplicio vitam profuderunt: atq. ita demum vtraq. multiplici filiorum

martyrio occumbere magis, quàm Dei legem infringere maluit. Videtis ergo, fratres, qualē Dominus à nobis dilectionem postulet, qua videlicet nulla maior ab humana natura neque exigi neque præstari potest. Si enim plus aliquid natura humana potuisset, hoc etiam tanquam sibi summo iure debitum, exegisset. Hoc autem quanta sit diuinæ bonitatis amplitudo, declarat. Cùm enim Deus noster non modò iustus, sed ipsa equitas & iustitia sit, eiúsque mandata omnia vera & iustificata sint in semetipsa, quando is hanc tantam fidem & charitatem à fragili homine, & ad sui ipsius, terrenarumq́ue rerum amorem adeò procliui exigit, non obscurè declarat, quanta sit illius bonitas, quę talem erga se pietatem requirit. Hoc igitur primum diuinæ legis indicio diuinæ bonitatis immensitatem cognoscimus, quæ summum nobis dilectionis incitamentum esse debet: quandoquidē nihil humanæ voluntati magis est amabile quàm bonitas: quæ quò maior est, hòc maiorem iure suo dilectionem ita promeretur, vt infinita bonitas infinito quoque amore diligi mereatur.

Psal. 18.

Huic autem diuinæ bonitatis indicio, aliud adiungamus ex Dei lege desumptum, quod non minus eiusdem bonitatis magnitudinem declarat. Vbi enim legislator Moyses hanc charitatis legem, eisdem quibus Dominus verbis proposuit, subiecit protinus: Eruntq́ue verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis sedens in domo tua, ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntq́ue & mouebūtur inter oculos tuos, scribesq́ue ea in limine & ostiis domus tuæ. Nunc à vobis quæro, fratres, si vel Cicero aut Demosthenes ab inferis excitarētur, quibus, quęso, verbis, qua oratione hoc diuinæ dilectionis præceptum commendare vehementius potuissent. Fateor vobis, fratres, perlegi frequenter locum hunc, neque vnquàm destiti nouum hoc genus commendationis admirari. Quis enim vnquàm rem aliquam tot verbis, tot signis commendauit? Quot enim verba, tot acu velut mallei cuiusdā ictus sunt, quibus hic veluti clauus magis ac magis in imo cordis nostri figeretur. Satis enim verbum esse videbatur, Erunt verba hæc in corde tuo. Occupata hac cordis sede, res in toto loco posita erat. In hac enim Propheta gloriabatur se legem Domini condidisse, cùm ait: In corde meo abscondi eloquia tua vt non peccem tibi. Adiecit ta

Deut. 6.

Psal. 118.

Enarrabis ea filiis tuis. Nec hoc contentus, addidit etiam: Meditaberis in eis sedens in domo tua: neque hoc solùm exigit, cum domestica quies ad meditandum opportuna est: sed in ipso etiam itinere constitutus, pedibus quidem viam ingredi, animo autem hanc legem meditari debebis. Et quasi hoc parum esset, addidit aliquid mirabilius: Dormiens ac consurgens. Quis vnquam tale exegit obsequium, vt ne somni quidem tempore ab officio vacarent homines? Et quidem his nihil addi posse videbatur. Habuit tamen spiritus ille cælestis quid post somnum & vigiliam adderet: signa videlicet ac memoriæ adiumenta: Ligabis, inquit, ea quasi signum in manu tua: & perinde atq. hoc lõgius distaret ab animo: Erunt, inquit, & mouebuntur ante oculos tuos; vt semper excitent animum tuũ: ac postremò; Scribes, ait, ea in limine & ostiis domus tuæ, vt ingrediens, & egrediens, tacitum concionatorem in prospectu habeas, qui hæc ipsa tibi identidem inculcet & repetat. Quæso te, vir sancte, arcanorum Dei interpres & conscius; qui cum Deo facie ad faciem (sicut homo cum amico suo) loquebaris: qui supra mundana omnia elatus, prophetico lumine, quę supra nos posita sunt intuebaris; quid, quęso, in hac Dei lege videbas, quam tot ac tam variis modis animis nostris infigere curabas? Nimirum aliis oculis, alioq. lumine te supra te ipsum attollens, videbas; quid summæ illi & immẽsæ maiestati debebatur. Videbas quomodo multis nos illi beneficiis astricti essemus; quàm magna & stupenda amatoribus Dei proposita essent præmia, quantaq. rursum neglectoribus supplicia. Et perinde acsi hæc ipsa oculis conspexisses, ita clamabas, vrgebas, instabas, quo videlicet tam frequenti eorundẽ verborum repetitione, torpentia hominum corda, ad tantæ rei magnitudinem attolleres & excitares. Quod si tantam curam studiumq. res ista meretur, fratres, quid, quæso, de his dicendum erit, qui vix vnquam huius tantæ rei meminerunt? qui vix oculos in cælum tollunt, qui Dei suiq. prorsus obliti, more pecudum vitam degunt? Qui nec quid Deus mereatur, quid ipsi debeant, quis eos maneat exitus, quę spes, quæ pœna vnquam recordantur? vt per hoc facile appareat, quot aculeis à Propheta ad huius rei memoriam excitentur, totidem eos fraudibus à diabolo excæcari, & ad obliuionem tantarum rerum induci. Sed vt ad institutum redeamus, cùm hãc tantam charitatis vim à nobis immensa & infinita illa æquitas & iustitia, meritissimo & summo iure deposcat, ex hac toties repetita cõmendatione atq. instãtia,

in illius infinitæ bonitatis cogitationem admirationemq́. assu-
gere mens nostra poterit: quæ nisi immensa esset & infinita, no-
quã ab homine tot terrenis curis & necessitatibus implicato, h-
tantam curam & solicitudinẽ postulasset. Ea enim petiit De-
quæ à natura humana, nisi rara quadam & singulari diuini n-
minis virtute adiuta, præstari minimè poterant, plura etiam p-
titurus, si plus aliquid in nostra facultate positum esset.

II.

Cæterùm, quoniam ad eandem charitatis legem pertin-
Deum supra omnia diligere, & læthale peccatum, quod-
uersatur, supra omnia detestari, quando his duabus legib-
dimus, quãtum Deus super omnia diligendus sit, reliquu-
vt quantoperè peccatum sit detestandum, ex aliis quoque-
Deut. 13. dem legibus videamus. Sic igitur Deuterono. 13. Moys-
persona Dei ait: Si audieris in vna vrbium tuarum; quas Do-
nus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos: -
gressi sunt filij Belial de medio tui, & auerterunt habitatores-
bis tuæ, atque dixerunt: Eamus, & seruiamus diis alienis, q-
ignoratis: quære solicitè, & diligenter rei veritate perspect-
inueneris certum esse quod dicitur, & abominationẽ hãc
perpetratã, statim percuties habitatores vrbis illius in o-
dij, & delebis eam, omniaq́. quę in illa sunt vsq. ad pecora,
quid etiam supellectilis fuerit congregabis in medio plate-
eius, & cum ipsa ciuitate succendes, ita vt vniuersa con-
Domino Deo tuo, & sit tumulus sempiternus. Non ædific-
tur amplius, nec adhęrebit de illo anathemate quicquã in m-
tua. Quid, quæso, fratres, hac lege seuerius? Quid agis -
mine? quid hac lege præcipis? quænam huius legis æquit-
iustitia est? Satis enim esse videbatur, vt rei criminis huius, -
aut igne interirent. Quid pueri infantes commeruerunt? -
varia ac infinita domus supellex? quid pecora, hoc est, ou-
boues, & capræ, cameli & asini? quid parietes domorum & -
nia ciuitatis, quæ omnia dirui, vastari, incendi, & ferro a-
igne deleri præcipis, neque ipsam vrbem post centum aut m-
annos, neque vllo vnquam tempore instaurari posse? Quan-
igitur, fratres, si iudicia Domini vera sunt, & iustificata in sem-
ipsa, quid est quòd hanc tantam huius legis atque iudicij se-
ritatem iustam esse decernat, qua rebus inanimatis aut in-
centibus vltimum supplicium infligitur? Quæram ego à vo-
quid illam Domini sententiam aduersus primi parentis pec-
tum iustam facit, qua non is modò, sed tota eius posterit-

fin-

finem vſque mundi perpetuo exilio & morte damnata ſit? Et rurſum item quid in cauſa ſit, vt modò etiam pro temporaria culpa, pœna infligatur æterna: & ne ea quidem ſceleris indignitate par eſſe iudicetur? Certè nihil aliud vtramque ſententiam iuſtam & æquam facit, niſi ſola immenſa & infinita diuinæ bonitatis & maieſtatis amplitudo. Hæc enim in cauſa eſt, vt infinitæ grauitatis omnis eius offenſio ſit, ideóq. ſempiterno ſupplicio punienda. Quod ergo hanc ſententiam iuſtam fecit, eadem quoque facit, vt iuſtiſſima ea lex ſit, quæ tanta ſeueritate rebellem aduerſus Deum vrbem, punire præcipit; vt non modò ſcelerati homines, ſed omnia etiam, quæ illorum manus & corpora contigerunt, vel eorum vſibus addicta erant, vaſtitate, ferro, & incendio conſumerentur, omniſque earum rerum memoria, ex hominum mentibus perpetuò aboleretur. Cùm ergo hæc tam pœnarum immanitas iuſtiſſima ſit, apparet vtique, quanta ſit illa bonitas & maieſtas, cuius violatio hoc tam immani ſupplicio vindicanda ſit.

Huic legi aliam adiungam, quæ non minus & peccati deformitatem, & eiuſdem diuinæ bonitatis immenſitatem declarat. Præcepit idem Dominus filiis Iſraël, vt idolorum templa ſolo æquarent, aras euerterent, lucos ſuccidèrent, & ſculptilia comburerent. Additque: Non adhærebit de illo anathemate quicquam in manu tua, nec inferes quidpiam ex idôlo in domum tuam ne fias anathema, ſicut & illud eſt: Quaſi ſpurcitiam deteſtaberis, & velut inquinamentum ac ſordes abominationi habebis, quia anathema eſt. (Deut. 7.) Iuſtiſſima planè lex, quę ſculptilia cõburi, & cõminui, & in puluerem redigi præcipit. Sed quæro abs te, Domine, vbi iam idôlum combuſtum & comminutum eſt, vbi figura ſublata, vbi ſola ſupereſt metalli materies, quę nullius rei imaginem repræſentat, quid piaculi erit, innocens metallum in vſus hominum reſeruari? Mira profectò diuinæ legis prohibitio, & ad implendum difficilis. Cùm enim homines tanta auri cupiditate incenſi ſint, vt nullum neque terræ, neq. maris, neq. vitæ diſcrimen propter illud vereantur: hoc tamen in loco tam immani odio illud proſequi iubentur, vt ne manibus quidem contingere permittãtur, ſed illud quaſi ſpurcitiam deteſtentur, ac velut inquinamentum & ſordes abominationi habeant. Itaq. pauper homo, multorumque filiorum pater, qui in ſudore vultus ſui panem ſibi liberiſque parat, poſitam ante pedes ſplendentem auri maſſam conſpiciens, eam non minus quàm venenatum ſerpentẽ fugere atque aduerſari iubetur: non quòd in ea

vlla ſimulacri ſpecies, ſed ſola eius materia extiterit. Hoc
ſolo nomine tam immani odio materia illa execrãda eſt. Et
quiſquam putet, hoc quidẽ ita lege caueri, vt legis tranſ
2. Mar. 12. minimè puniantur, in ſecundo Machabæorum libro le
poſt clariſſimam quandam Iudæ Machabæi victoriam,
nullos ex eius exercitu milites in prœlio occubuiſſe. Cum
ſorum cadauera requirerent, vt ſepulturæ commendare
prehenſum eſt illos ex idolorum donariis aliquid ſurri
Quod crimẽ Dominus inultum relinqui paſſus non eſt
igitur hanc legis prohibitionem iuſtiſſimam, niſi immen
bonitas & maieſtas facit: cuius offenſio ita deteſtanda eſt
modò offenſionis eius inſtrumenta, ſed innocens etiam
ria ex qua effecta ſunt, ſimili odio execranda ſint? Quo
dio voluit nos proſequi peccatum, qui informem etiam
materiam adeò nobis abominabilem eſſe voluit?

Secunda pars.

III.

His legibus, fratres, immenſam Dei bonitatem, ſum
peccati malitiam ac deformitatem vtcunque intelliger
quorum altero ad dilectionem Dei, altero ad peccati odi
eius dilectioni aduerſatur, excitamur. Nunc Dei bonit
ratione perſpecta, eius erga nos beneficentiã, quam ſecun
co propoſuimus, expendere incipiamus.

Primùm igitur homo diuina beneficia tum communi
in vniuerſum genus hominum collata ſunt; tũ priuata, q
gillatim quiſq. à Deo percepit, ſibi ante oculos ponat, vt in
raliſſimi benefactoris amorem exardeſcat. Rectè enim phi
phus quidam: Qui beneficia, inquit, inuenit, compedes i
nit: quibus videlicet beneficiarij animus benefactori ſuo a
vinculo deuincitur. Quia verò omnia Dei beneficia ſigill
recenſere, infiniti operis eſſet, vnum illud commemorabo,
Deut. 32. S. Propheta rebellis populi impietatẽ inſectatur his verbis
neratio praua atque peruerſa, hæccine reddis Domino, po
ſtulte & inſipiens? Nonne ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit, &
cit, & creauit te? Quod perinde eſt, ac ſi diceret: Si adeò na
conſentaneum eſt, vt filij parentes diligant & venerentur, à
bus exiſtendi principiũ & vitam acceperũt, quantò iuſtius
vt homo Deum quem parentem agnoſcit, multò maiori a
diligat & obſeruet? Parentes enim corporis tantũ mei auc
extiterunt: Deus autẽ optimam mei partem, nempe rational
animam, ſine illorum opera, ſolus creauit, & in meum cor
infudit: ſine qua corpus ipſum nihil aliud, quàm deforme

quilinium & cadauer esset. Quod quidem mira ratione idẽ Do-
minus in primi hominis fabricatione significauit. Formauit Genes. 2.
quippe corpus eius de limo terræ, ac formato deinde corpori in-
spirauit in faciẽ eius spiraculũ vitæ. Quid sibi vult hæc forman-
di hominis ratio? Neque enim cùm cætera animalia crearet, Genes. 1.
hac inspiratione vsus est: sed terræ iussit, vt quadrupedia & re-
ptilia; aquis autem, vt pisces auesque producerent: & ita factum
est. At cùm hominem condidit, hac bipartita opera vsus est.
Quid igitur nobis hîc innuere voluit? Certè, quod Aristoteles Aristot.
acutissimè intellexit, cùm dixit, intelligentem animam aliunde
venire, nec educi de potentia materiæ. Vidit enim vir sapientis-
simus ex corporea materia corporeas quoque formas generari
atq. erui posse. At intelligentẽ animam (quæ spiritualis substan-
tia est) non eam cum corporea materia affinitatẽ habere, vt ex
illius substantia erui res quodammodo diuina possit. Est enim
inter corporeã & spiritualem naturam infinita pænè distantia.
Quam rem Dominus nõ obscurè significauit; cùm corpus qui-
dem hominis è limo terræ formauit, animam autem non ex eo
limo, sed aliunde, hoc est, ex inspiratione sua condidit: vnde ori-
go eius cælestis esse credita fuit.

Hac igitur veritate constituta, vnumquemq. vestrũ, fratres,
compellare volo. Quid enim est, quòd homo diuina gratia de-
stitutus, maximè omniũ diligit? Respondebitis ad hoc, seipsum,
hoc est, vitã suam, propter quam tuendã sæpe matres repudiato
naturæ sensu, ex filiorum carnibus cibos sibi parauerũt: & quia
vita ipsa tota est ab anima, ideò animam quisq. suam supra om-
nia diligit. Ea enim est, quæ homini esse, quæ viuere, quæ sen-
tire, quæ moueri, quæ intelligere, quæ denique lucem, vitam,
opes, dominiumq. rerum suarũ tribuit. Si enim vel totius mun-
di imperio potiaris, imperio quidem potiris, quãdiu animã ha-
bes; si verò anima destituaris, tu, qui imperator eras, in horridũ
sterquilinium verteris. Expendamus ergo, fratres, vel hãc vnam
Deũ diligendi causam, audiantq. cælum & terra, quàm iustam
aduersus ingratos Deus querimoniã proponat. Si enim animam
tuã, ò homo, ob ea, quæ dicta sunt, tantoperè diligis, cur nõ ma-
gis Deũ diligas, à quo hæc omnia & alia longè maiora percepi-
sti? Ipse enim animæ tuæ anima, & vitæ tuæ vita est, & penitius
intra te quàm anima tua latet: ipseq. animæ tuæ tribuit, quic-
quid illa tribuit. Per illum enim es, per illum viuis, per illũ sen-
tis, moueris, intelligis, plusquàm per ipsam animã tuam. Com-
munis enim philosophorum sententia est, causam primã plus

influere in effectum quàm secundã: quoniam secũda nihil ha-
bet aliud, quàm quod recipit à prima. Deus autẽ qui prima cau-
sa est, omnes alias causas mouet, quemadmodũ primus orbis
cælestiũ, inferiores impulsu atq. motu suo secum agitat & mo-
uet. Ille ergo est, qui conseruat omnia, & omnia in omnibus o-
peratur. Cùm moues manum, magis ab illo, quàm ab anima tua
moueris. Quando viuis, magis per illum, quàm per ipsam ani-
mam tuam viuis: quando vides, sentis, & intelligis, magis illius
virtute, quàm animæ tuæ viribus hæc ipsa operaris. Si hoc
ita est, scire cupio, quî fieri possit, vt cùm animam tuam
non multò magis Deum diligas: à quo tantò magis, quàm à
D. Tho. nima tua pendes? Volũtas ipsa nostra (vt D. Thom. ait) in
dilectione magis diligere deberet eum, à quo est, quàm
quo non est: at voluntas non à se, sed à Deo est: magis ergo
lũ quàm se diligere tenetur. Idẽ autẽ de anima nostra sen-
dũ est: quæ nõ à se, sed (vt ita dixerim) immediatè à Deo
Præterea, si filij parentes suos tanto amore prosequuntur,
non magis nos cælestem parentem diligamus? Parentibus e
debemus quòd corpus habemus mortale, caducum, & inf
pænè moribus atq. miseriis obnoxium. Deo autem, quòd
tem accepimus immortalem, spirituale̅, diuinam, ad im
Dei factam, & (quod caput est) eiusdem felicitatis & glo
pacem. Si ergo corporis nostri parentes tantoperè diligim
corporum ac præcipuè animarum parentem non multò
diligamus? Celebris doctorum sentẽtia est, si instante ex
necessitatis articulo, & vrgente fame, vnus tantùm panis
retur, & hinc pater, inde filius fame periclitarẽtur, patri p
quàm filio esse subueniendum, & vnici ac dilectissimi filij
tem ferendam, vt patris vitam tuearis. Si hic igitur tantus
terreno patri debetur, quid parenti cælesti, qui non modò
tum condidit, sed modò etiam conditum seruat: sine qu
esse, nec viuere, nec spirare, nec loco moueri posses? Hac
Dan. 5. ratione Daniel Propheta Regis Assyriorum impietatem a
ficauit, quòd illum ad iracundiam prouocaret, qui flatum
haberet in manu sua. Mitto cętera eius beneficia. Hoc vnu
tis superque esse deberet, vt illi tota vita nostra militaret,
tota & semel condita est, & perpetuò conseruatur.

Dies me & vita deficeret, si causas omnes diligendi De
sequi vellem. Nulla quippe diligendi ratio est, quæ non
nobis ad eũ diligendum stimulos addat. Si enim iustitiæ
tũ attendas, nulli magis amor noster quàm illi debetur: si

si aspectes, nullius beneficia maiora sunt: si amicitiæ rationem habeas, nullius amicitiæ signa euidentiora vnquam extiterunt. Maiorem enim hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suá ponat quis pro amicis suis. Ioan. 15. Si autẽ eximia bonitatis & pulchritudinis species amorem promeretur, quis immensam illius pulchritudinem, & immensas bonitatis eius opes, mente & cogitatione comprehendere queat? Rursum, si amor pretio emitur, quis maius pro illo pretium impendit, quàm qui vitã æternam pollicetur? Si verò gratis donandus est, cui, quæso, dignius possit exhiberi? Si verò nõ donandus, sed extorquendus est, quis illo potentius extorquere possit: qui velut euaginato gladio illum postulat, & fulmen excõmunicationis æternæ aduersus ingratos per Apostolum iaculatur, cùm ait: Si quis non amat Dominú Iesum, sit anathema, Maranatha? 1.Cor.6. Quod si ita est, quid superest, fratres, nisi vt cum August. dicamus: Quis ego sum Domine, vt te à me amari iubeas, & nisi id fecero, mineris mihi ingentes miserias? Parua ne est hæc ipsa miseria, si non amem te? August.

Hac igitur ratione, vtcunque intelligere licebit, quid auctori nostro debeamus. Cæteris enim hominibus singula, illi autem omnia debemus, quandoquidem omnia ab illo accepimus. Sed inter hæc omnia charitas illi, hoc est, flagrantissimus amor super omnia debetur: qui omnium affectuum nostrorũ princeps & excitator est. Vt enim D. Augustin. ait: Solus amor ex omnibus animæ affectibus est: in quo creatura potest (quamuis non ex æquo) auctori suo respondere, ipsiq́ mutuam vicem reddere. August. Cæteris enim in rebus quid illi simile referre queas? Creauit te, num tu illum creare potes? Redemit te, seruat incolumem, innumeris quotidie beneficiis ornat, ab innumeris item periculis tum corporis tum animæ liberat, num tu horum aliquid conferre in illum potes? Potes tamen vtcunque eius in te dilectioni respondere, dum diligentẽ diligis, & amantem redamas. Hunc igitur animi affectũ præcipuè à nobis exigit, cùm hoc esse maximum & primum legis mandatum asseuerat.

His igitur argumẽtis intelligere licet, fratres, quid de his censendum sit, quorum mentes in tanti auctoris, conditoris, & seruatoris amore algent. Quid enim de eo homine iudicaretis, qui nullo prorsus amore erga parentes suos aut filios afficeretur? Hũc certè nõ hominem naturæ nostræ participẽ, sed humanitatis & communis sensus expertem, nec tam hominem quàm humanæ naturæ portentũ iudicaretis. Si portentũ est non diligere quos tantò minus diligere tenemur, quale portentum erit, illum

illum non diligere, quem infinito amore (si id per nos præsta
posset) diligere deberemus? At (quod sine summo dolore di
non potest) huiusmodi portentorum plenus est mundus. Om
nes enim qui pecuniam, qui honores, qui delicias, qui volupta
tes, qui denique cupiditates suas Deo præferunt, ij planè hom
fica monstra & prodigia sunt. Quoties enim quisque nostrûm
popularis auræ, aut pecuniæ, aut voluptatis alicuius, aut od
aut vindictę cupiditate inductus, diuinas leges violare & diu
maiestatis offensionem incurrere, ipsiusque Dei amicitiam
gratiam amittere non veretur, an non hic rebus ipsis ape
mè testatur, huiusmodi sordes atque terrenum puluerem
nis legibus, diuinæ maiestatis amplitudini, diuinæq. am
se penitus anteferre? O monstrum horrendū! ò detestabil
quitiam! ò execrandum facinus sempiterno supplicio, semp
nisque ignibus meritò vindicandum! In quē enim magis
ille desæuiet, quàm in hos diuinæ maiestatis violatores & c
tēptores? Nec ignis iste tantùm, sed creaturæ omnes, atq. a
totus ipse orbis (vt est in lib. Sapientiæ) cū Deo pugnabit adu
Sapien. 5. sus insensatos. Quid verò magis contra cōmunem humani se
sus & rationis iudicium certat, quàm vilissimam creaturam
lissimo conditori atq. parenti anteferre? Quod quidē (pro
fas) passim faciunt, quicunque lethale peccatum, quod cu
uina lege & amicitia pugnat, admittere non verentur.

Hinc (vt ad vos tandem veniam, fratres) necesse est, v
Deum diligit supra omnia, & hanc diuinam possessionem re
omnibus chariorem habet, simili ac pari odio peccatum det
tur, quod homines ab hac felicissima possessione depellit.
enim huiusmodi peccatum admittit, Deū protinus amittit
nullo modo habitat in corpore subdito peccatis. Itaque nō
biūquin & Dauid, & Petrus Apostolus, cùm in huiusmodi p
catum inciderunt, Deum ab anima sua spōtè repulerint, sem
ternisque se cruciatibus eo temporis articulo, dignos effecer
Quocirca magnū veræ dilectionis indiciū est, si quis in an
suo fixum immotumq. propositum retinet, omnia lethalia c
mina vitandi: pręsertim si in hac propositi sui firmitate diu p
stitit immotus. Quisquis igitur hoc animo atque proposito
immortales Seruatori suo gratias agat: cuius beneficio hoc ta
tum diuinæ dilectionis indicium intra se habet: quo lætus &
lacer Domini misericordia fretus, extremum vitæ diem, & a
ternæ vitæ mercedem, diligentibus Deum promissam atque
ratam poterit expectare.

IN EADEM DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN CONCIO SECVNDA:

in qua post Euangelicæ lectionis enarrationem, occasione primi & secundi mandati (de quo in Euangelio mentio fit) quo ordine vir pius virtutes sectari, & quid prius, quid posterius amplecti debeat, vt recto ordine vitam suam instituat, disseritur: deinde duo indicia veræ dilectionis (quam Dominus primo loco ponit) assignantur.

THE. *Hoc est maximum & primum mandatum.* Matth. 22.

AVE MARIA.


On habemus (inquit Apostolus) Pontificem, qui Heb. 4.
nō possit compati infirmitatibus nostris: sed tentatum per omnia pro similitudine absque peccato. Quod autem per omnia tentatum fuisse Dominum ait, non vno tantùm, sed variis tentationum modis eum fuisse agitatum, designare voluit. Si quis enim diligentius vitam Domini Saluatoris à capite ad calcem vsque consideret, inueniet planè illam extitisse perpetuam quandam crucem, variorumq́. laborum perpessionem. Primùm enim vbi in hanc lucem editus & susceptus est, protinus præsepis duri-
tiē, stabuli vilitatem, matris inopiam, Herodis odium, & Ae- Luc. 2.
gypti exilium expertus est. Vbi verò ad virilem ætatem perue- Matth 2.
nit, & prædicationis Euangelicæ negotium exorsus est, quot labores subiit? quot itinera cōfecit? quot ieiuniis attenuatus, quot inimicorum suorum opprobriis & iniuriis lacessitus fuit? Modò enim illū Samaritanū, modò maleficum, modò insanum, modò voracem & potatorem vini, & Publicanorum ac peccatorum amicum, modò legis ac Sabbati violatorem, priuatim & publicè nuncupabant. Iam verò quot aduersus illum calumnias, quot tendiculas & insidias struxerunt? quod quidem per-
secutionis genus molestissimum est. Sic enim legimus: Ca- Eccl. 13.
lumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis eius. Cæteri enim persecutores aperto Marte & recta facie nos impugnant: calumniatores autem simulata probitatis imagine, cùm

Luc. 14. cùm iniustè persequantur, iustitiam se obtendere simulant
præcedenti quidem Dominica hydropicum ante Domi
die Sabbati statuerunt, obseruantes an eo die curaret, quod
dæorum superstitio nefas esse credebat. In eo verò capite,
Matt. 22. præsentis Euangelij lectio sumpta est, tribus modis te
fuisse Domini patientiam legimus. Primùm enim Hero
blandissimis quidem verbis, sed inimicissimis animis ab e
runt, liceret ne tributum pendere Cæsari. Deinde Sad
qui magno errore decepti, corporum resurrectionem ne
quæstionem illi proponunt: quam cùm ab eo dissolui n
se crederent, inscitiæ illum atque ignorantiæ coram p
qui ab eius ore pendebat, condemnarent. Hos secuti P
paulò doctiores, sed eo ipso superbiores, simili consili
quæstionem (quam illi difficiliorem putabant) in hodier
cti Euangelij lectione proponunt: vt qui in priori solutio
ctor euaserat, posterioris ignoratione vinceretur. Videtis
tres, quàm multis laboribus vita Domini exagitata, quàm
tis modis lenitas eius & patientia probata fuit atque ex
Psal. 87. Itaque meritò is cùm Propheta dicere potuit: Pauper sum
& in laboribus à iuuentute mea.

Hoc autem in loco grauis insurgit quæstio. Cùm eni
stet Dominum Saluatorem perfectissimũ virtutum o
exemplar fuisse, & ita inter homines versatum esse, vt
Ioan. 8. dicere potuerit: Quis ex vobis arguet me de peccato?
item eam esse virtutis dignitatem, vt apud improbos quo
pretio habeatur, quî fieri poterat, vt homines isti tam
Dominum insectarentur? Tota Stoicorum Philosoph
schola in ea semper sententia fuit, vt solam virtutem in n
ro bonorum poneret, atque adeò in ea summum bonum
caret: cætera verò omnia, non inter bona, sed inter com
vel incommoda vitæ numeraret. Nos quoque fatemur
tem solam esse quæ bonum faciat habentem, & opus ei
num reddat: cuius ea conditio est, vt nemo illa malè vti p
Si ergo bonitatis ratio adeò plenè in vna virtute cernitur
num autẽ qua ratione bonum est, humana voluntas odisse
modo potest: quonãmodo tanta Domini virtus & bonitas
risæis adeò inuisa fuit? Adde quòd cùm homo rationalis
tura sit, virtus autem sit perfectissimum rationis opus, q
potest, vt rationalis creatura, id quod rationi maximè con
neũ est, odio prosequatur? Ad hoc igitur breuiter respond
fieri nõ posse, vt rationalis voluntas bonũ qua ratione bo

pederit; nisi aliunde subsit aliquid quod improbos homines lædat. Tunc enim virtutem insectantur, non qua virtus est, sed qua illis aliquod nocumentum infert. Quod autem nocumentum virtus improbis inferre potest? Hoc nimirum (vt cætera prætereamus) quòd eorum improbitatem deformiorem & magis conspicuam reddit. Vtrumque autem Dionysij tyranni filius declarauit: qui quamuis patris scelera immensa luxuria cumulasset, Platonem tamen propter egregiam eius virtutem diuinis honoribus affecit. Quem tamen posteà Syracusis ablegauit, ne in conspectu eius turpior appareret. Hoc enim præcipuè nomine improbi bonos detestantur: quoniam (vt rectè Diuus Augustinus ait) nihil ita condemnat vitam malorum, quàm vita bonorum. Rectum enim (vt Philosophi tradunt) sui atque obliqui mensura est. Videmus enim cæmentarios parietem rectum & obliquum eadem regula diiudicare. Cùm ergo humanæ vitæ regula virtus sit, ea & rectam viuendi rationem probat, & sinistram atque obliquam rectitudine sua declarat. Quantum enim mores hominum à virtute deuiant, tantum à vera rectitudinis forma distant. Sed quid his testibus opus est, cùm Dominus in Euangelio dicat: Omnis qui malè agit odit lucem: & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius? Quæ enim flagitia tenebris obducta erant, virtutis ac doctrinæ luce coruscante, conspicua fiunt: Ea enim est, quæ impiorum scelera potissimùm detegit. Memoriæ proditum est, pictorem quendã tabulã in forum produxisse, in qua galli pessimè deformati erant. Cumq. puer quidam gallos vendendos in eundem locum produxisset, pictor furibundus à conspectu suo veros gallos abegit: ne videlicet imaginis & veritatis collatione artis eius imperita euidentius appareret. Ex hoc ergo fonte tam acerbum impiorum erga pios odium proficiscitur, vt Ecclesiasticus dicat: Contra malum bonum, & contra vitam mors: sic contra virum iustum peccator. Vix poterat aliis verbis hoc odium magis amplificari. Quid enim magis malo quàm bonum, & vitæ quàm mors aduersatur? Hoc autem odium nequaquã est recens & nouum, sed iam inde à prima mũdi origine cœptum. Cur enim Cain in Abel fratrem ita desæuit, vt innocentem trucidaret, nisi quia (vt Euangelista Ioannis ait) opera eius mala erant, fratris autem iusta? Hac igitur de causa occidit non solùm hominem, sed fratrem: & eo tempore occidit, quo vnum hominem occidere, fuit mediã ferè mundi partem, quæ ex illo stipite proditura fuisset, extinguere. Quod quidẽ Chaldæus interpres nõ ignorauit:

Margin notes: August. (beside "quoniam (vt rectè Diuus Augustinus ait)"); Simil. (beside "Videmus enim cæmentarios"); Ioan. 3. (beside "Omnis qui malè agit odit lucem"); Simil. (beside "pictorem quendã"); Eccl. 13. (beside "Ecclesiasticus dicat"); Genes. 4. / 1. Ioan. 3. (beside "Cur enim Cain in Abel")

rauit: qui pro eo, quod nos legim⁹: Vox sanguinis fratris tui cla-
mat ad me de terra, vertit: Vox sanguinis generationũ, quę fu-
turę erãt succedere de fratre tuo, clamat ad me de terra. Itaque non
vnum hominem, sed maximam generis humani partem Cain o-
dio deleuit. Quod quidem odium ab illo ortum, in omnes eius
sectatores, hoc est, in omnes improbos deriuatum, ad hoc
tempus perseuerat. Hac ergo mente, hoc affectu in sacra præ-
sentis Euangelij lectione accedunt Pharisæi Dominum ten-
turi: eo videlicet consilio, vt qui vitam eius innocentissimam
carpere non poterant, doctrinam saltem accusarent: vel
(vt antè diximus) ignorantiæ illum & inscitiæ coram
arguerent.

I.

Itaque accessit vnus ex eis legis doctor tentans eũ, & di-
Magister, quod est mandatum magnum in lege? Agitaba-
tur fortassis eo tempore quæstio hæc, quam natura quidem rei fa-
cilem, superstitio tamen, auaritia & ambitio Pharisæorum diffi-
cilem reddiderant. Quia enim Pharisæi omnia opera sua facie-
bant vt viderentur ab hominibus, ea religionis officia præcipuè
commendabant, quæ hominibus maximè conspicua essent, vel quæ maxi-
mè in ipsorum lucra cederent. Itaque alij sacrificia, alij
varias oblationes (quas etiam honori parentum præferebant), alij
Sabbati religionem, decimarumque solutionem potissimum
Luc. 18. commendabant. Hoc enim nomine superbus ille Pharisæus glo-
riabatur, cùm se ieiunare bis in Sabbato, & decimas rerum om-
nium persoluere iactabat: de interna verò pietate, de charitate,
Esaiæ 29. de vera cordis humilitate, cura nulla, sermo nullus. Labiis
externisq. operibus Dominum honorabant, cor autem eorum
longè erat ab eo. Itaque cùm variæ hac de re opiniones inter le-
gisperitos essent, quærit vnus hic à Domino, quod is manda-
tum maximum esse censeret.

At mitissimus agnus, qui è cælo in terrã venerat, vt non so-
lùm hominũ redemptor, sed etiam iustitiæ doctor esset, quam-
uis non ignoraret, qua mente atque consilio Pharisæi hanc
quæstionem proposuissent (non enim dicendi, sed tentandi
gratia illum interrogauerunt) nihilominus tamen docendi of-
ficium ne hac quidem occasione intermisit: vt si illis minus pro-
desset, nos tamen (quibus præcipuè consultum esse volebat)
responsione erudiret. Quærentibus ergo Pharisæis, quod
mandatũ magnũ in lege, respondet: *Diliges Dominũ Deũ tuum
ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.*

est maximum & primum mandatum. Hæc Domini sententia, quæ præcipuum Christianæ vitæ mandatum continet, paulo post fusius à nobis explicanda est. Nũc quod sequitur in Euangelica lectione persequamur. Vbi enim Saluator dixisset: *Hoc est maximum & primum mandatum*; subiecit protinus: *Secundum autem simile est huic, Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Non video quibus verbis apertius hoc Domini præceptum enodare possimus, quàm quibus ipse alibi declarauit, cùm dixit: Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Matth. 7. Nulla iustior & honestior lex ferri potuit, quæque breuiori compendio omnia iustitiæ præcepta cõplecteretur. Hinc ethnicus quidam imperator, cùm quæ nam esset Christianæ legis summa interrogasset, & hac memorabili sententia eam contineri didicisset, religionem nostram maximè probasse dicitur.

Cùm ea verò, quæ sibi quisq. optat, multa ac varia sint: (optant enim homines diuturnam vitam, salutem, opes, & ea omnia, quæ ad vitæ cultum & elegantiam spectant) plerosque tamen videmus magis honoris & famæ, quàm vitæ cæterarumq. rerum rationem habere. Vt igitur nihil isti magis quàm bonum nomen & gloriam concupiscunt; ita nulla re magis quàm infamia & dedecoris nota offendũtur. Qua ex re colligere licet, fratres, quàm grauiter in officio delinquant, qui alienæ famæ atq. honori detrahunt.

Obseruandum autem est in hac Dominica responsione, plura Dominum respondisse quàm quærebatur. Illi enim quærebant, quod esset mandatũ magnum in lege: Dominus autẽ non solùm maximũ dilectionis erga Deum mandatum protulit, sed etiam fraternæ dilectionis (quod illi nõ quærebant) præceptum adiunxit. Quod fortassè eo cõsilio fecit, vt rectè ac dissimulanter eorum malitiã atq. inhumanitatem accusaret, qui fraudulento consilio hanc illi quæstionem proposuerant, non vt ab eo aliquid discerent, sed vt illum inscitię coram populo arguerent.

Verùm, quia nemo aduersus diuinitatem gloriari potest, sic se Dominus erga illos gessit, vt qui ipsius gloriam obscurare volebãt, suam proderent ignominiam, ignorantiæq. & inscitiæ nota quã Domino affigere volebant, ipsi inurerẽtur. Proposuit quippe illis altissimam quæstionẽ Dominus his verbis: *Quid vobis videtur de Christo? Cuius filius est? dicunt ei, Dauid. Quomodo ergo, inquit, Dauid in Spiritu vocat illũ Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis? Quomodo ergo vocat illum Dominum, si filius eius est? Et nõ potuerunt ad hoc respõdere:*

Quo-

Quoniam duplicem Christi Domini naturam non agn[o]bant: alteram, quam ab æterno habet à Patre, alteram, [quam] salutis nostræ gratia suscepit ex Virgine: secundum hanc naturam Dauidis filius, secundũ illam verò Dei filius ac [Dauidis] Dominus est. Qua quidem quæstione sic Dominus a[duer]sariorum ora obstruxit, vt non ausi fuerint deinceps illum aliqua quæstione interrogare, ne simili ignorantiæ atque [stultitiæ] coris ignomina afficerentur. Hactenus de Euangelica le[ctione]: nunc, sicut polliciti sumus, primum illud & maximum [diuinæ] dilectionis mandatum excutere incipiamus.

TRACTATIO THEMATIS II.

Hoc est maximum & primum mandatum. Cùm in h[ac] lectione Dominus de primo & secundo mandato menti[onem fa]ciat, ordinem quendam inter diuina præcepta atq. virtu[tes] obscurè designauit: vt videlicet aliæ sublimioris, aliæ inf[erioris] ordinis sint. Et quidem est in his ordo dignitatis. Aliu[s or]do est, quem vir pius in studio & exercitatione virtutu[m sequi] debet: cuius initium à vera pœnitentia, cæterisq. cõseq[uentibus] virtutibus ducitur. De hoc igitur secundo ordine in reli[qua con]cionis huius parte differemus: vt virtutis candidatus sci[at quid] primo loco, quid secundo ac tertio, &c. sectari debeat: qu[o gradu] & ordine vitam suam instituat. Primò igitur Stoicorum [opinio] conuellenda est, qui cùm in multis rectè saperent, in hoc [tamen] magnoperè desipiebant, quòd omnia honesta inter se, ac rursum turpia simili modo paria esse credebant: ac ita [omnia] peccata, quibus à recto declinabant, æqualia esse censeba[nt: nec] plus turpitudinis in furto, quã in parricidio esse iudicabá[nt. Nos] autem nõ solùm euidenti ratione, sed fidei quoque lumi[ne in]structi, constanter asseueramus, esse non in vitiis solùm, [sed in] virtutibus etiam dissimiles gradus: & esse inter ipsa virtu[tum of]ficia alia aliis honestiora, iustiora, Deoq. gratiora. Quod [legis]lator ipse significauit: qui quã legem in vna tabula scribe[re po]tuisset, in duas distinxit; quarũ altera alteri subderetur & c[ede]ret, vbi altera diuersum aliquid præcepisset. Vnde celeb[ris] Theologorum regula manauit: Secunda tabula cedit p[rimæ]: ideoq. nõ temerè legis peritus interrogat, Quod sit mand[atum] magnũ in lege. Qua in re vix dici potest, quàm variè à m[ultis] peccetur. Cùm enim piorũ hominũ varia in virtutis cu[rsu] studia sint, eaq. hominũ natura sit, vt in quo quisq. emine[t]

Deut. 4.

cæteris præstare credat: hinc factum est, vt alij aliud virtutis officium cæteris anteferant. Itaque qui se totos precationis studio dediderunt, hoc exercitationis genus omnibus penè aliis præferunt. Denique non defuerunt hæretici, qui hoc solum officiũ sufficere dicerent ad salutem. Qui verò facultates suas in pauperes distribuunt, & misericordiæ operibus vacant, omnibus aliis virtutibus hoc genus virtutis præferunt. Cæterùm, qui ieiuniis & inedia corpus atterunt, & rebellantem carnem spiritui seruire cogunt, seque ipsos hac ratione Deo immolant, sacrificium tantò gratius Deo se offerre credunt, quantò plus est se ipsum, quàm res suas Deo consecrare. Iam verò nonnulli qui monasticam vitam profitentur, tanti sacras instituti ac professionis suæ ceremonias faciunt vt eas omnibus penè virtutũ officiis anteponant: ideoq. hoc solũ à monachis exigũt, hoc clamãt, hoc solũ in cõmunibus conuentibus repetitis admonitionibus cõmendant. Quod quidẽ studium cùm laudabile sit, solum tamen esse non debet, sed internæ quoque pietati coniunctum.

Cùm igitur tam variæ sint hominum de virtutum dignitate sententiæ, quàm varia de eadem studia, operæpretium erit virtutum gradus & ordines designare. Et quidẽ hoc in loco de dignitate virtutum simpliciter disputamus (cùm præsertim constet, tres illas Theologicas virtutes, principem inter omnes alias gradum ac dignitatem obtinere) sed de eo potissimum ordine disseremus, quo illas vir pius amplecti & sectari debet: vt rectè & ordine vitam suam instituat, vt paulò antè diximus.

Huic autem quæstioni cælestis magister breuiter in præsenti lectione respondet, cùm ait, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Hoc est maximum & primum mandatũ:* quòd videlicet charitatem primo loco ponit: sine qua cætera mortua & informia, nulliusque meriti sunt. Hanc igitur vir pius ante omnia colere, hanc virtutibus cunctis præferre, ad hanc, quæ facit omnia dirigere, eamq. continuis à Domino precibus postulare debet. Hinc Moses: Et nunc, ait, ô Israël, quid Dñs Deus tuus petit à te, nisi vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in præceptis eius? Quarum autẽ rerum consideratione charitas augeatur, quoniã in superiori cõcione tractauimus, hoc in loco supersedemus. Charitati autem (vt ex hoc etiam Mosis testimonio liquet) coniuncta est diuinorum mandatorum obedientia dicente Domino, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Et rursum: Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. In prõptu verò ratio est. Quisquis enim ali- Ibidem.

 cuius

Simil. 1.Thess.4 cuius amore æstuat, vehementer etiam illi placere, inser volũtati eius obsequi desiderat. Cùm verò voluntas Dei ctificatio nostra, & diuinorũm obedientia mandatorum quens est, vt qui Deum maximè diligit, summo studio m tis eius obediat. Hæc itaque duo sunt, quæ miro modo i connexa, totius Christianæ Philosophiæ summam con

Eccl.3. Quam rem Ecclesiasticus expressit, cùm ait: Filij sapien clesia iustorum, & natio eorum obedientia & dilectio. siast. ergo nationem iustorum dilectionem & obedienti se ait: vt intelligamus curam omnem studiumque iusto Dei amore & obedientia situm esse. Hoc enim semper hoc curant, hoc loquuntur, hoc cogitant, hoc vigilant etiam dormientes meditantur, hoc dies noctesque volu omnibus curis anteferunt: imo ad nihil aliud se aut vi natos esse arbitrantur. Itaque quo studio auarus p ambitiosus honori, semper intentus est; eodem hi D ligere, Deique iussis obtemperare, nullaque in re præ ius vel leuiter violare contendunt. In hoc opes sua delicias, in hoc honores, in hoc felicitatem suã positã tutam habent, cæteris omnibus, quæ ad hoc pertinẽt, va sis. Hoc est igitur quod ait: Natio eorum obedientia & d

Cùm verò obedientiam audis, non solùm mand Decalogi obedientiam intelligas, sed etiam plenissimam dam subiectionem, qua se mens nostra perfectissimè D dit, non modò ad parendum, sed etiam ad sustinendum quid ille molestiarum & incommodorum nos ferre v

Sallust. Hoc enim vel maximè charitatis proprium est. Sic e piens quidam ait, Idem velle, idemque nolle, ea dem ma amicitia est. Verè enim amicitiæ proprium est, mentem, vnamque animam in duobus esse corporibus, idem velle idemque nolle proficiscatur. Vir itaque pi

Psal.56. animo erga Deum affectus esse debet, vt verè cum Pro dicere possit: Paratum cor meum Deus, paratum cor m hoc est, paratum ad obediendum, paratum ad sustinen paratum ad præcepta tua exequenda, paratum ad inco da à te immissa perferenda: quod tantò maius est, quan ra sunt quæ patimur, quàm quæ facere iubemur. Deca nim præcepta certo numero definita sunt: huius verò v bores, innumeri. Ad hos ergo sustinendos (ait Vat ctus) ita cor meum paratum est, vt quicquid me pati vo libentissimè patiar: quicquid esse volueris libentissimè s

ue pauper, siue diues, siue sanus, siue æger, siue gloriosus, si-
ue ingloriosus, siue liber, siue seruus, siue viuens, siue moriens,
per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam 2.Cor.6.
ad te pergam.

Hanc autem animi præparationem spiritualis vitæ magistri
resignationẽ appellat, vocabulo ab Ecclesiasticorum beneficio-
rum resignatione sumpto. Sicut enim dum clericus in Episcopi Simil.
manus beneficium resignare dicitur, illud à se penitus abdicat,
& alienæ potestati permittit, vt pro arbitrio suo cuicunque vo-
luerit, tribuat: ita viri sancti se Deo resignare dicuntur, hoc est,
quicquid in se iuris habent, diuinæ voluntati tradere, vt ipsa de
eis siue in tempore siue in æternitate, pro beneplacito suo quic-
quid voluerit agat & quomodocunque libitum illi fuerit, siue
in morte siue in vita verset ac voluat. Hæc igitur plenissima vo-
luntatis nostræ siue submissio siue traditio, qua Deo quidem a-
gendi & imperandi, nobis autem patiendi & obtemperandi vi-
ces damus; Christianæ perfectionis & fundamentũ & culmen
est. Quid enim maius aliud à creatura creator exigere, quidque
maius creatura ipsa conditori suo offerre, quã seipsam hoc mo-
do potest? Hanc igitur obedientiæ formam secundo loco post
charitatem ponimus.

Tertiò verò duos huic virtuti comites adiungimus: quibus
illa tanquam pedibus sustinetur, & velut brachiis quibusdam
fulcitur. Horum autem prior est, propriæ voluntatis abnega-
tio. Quomodo enim quisquam diuinæ voluntati se perfectè
per obedientiam subiiciet, nisi propriam voluntatem, quæ
frequentissimè diuinæ contraria est, abnegauerit? Sicut enim Simil.
nemo potest frugiferæ arboris ramum syluestri inserere, nisi
syluestrem prius abscindat: ita nemo poterit se totum diuinæ
voluntati subiicere, nisi propriam voluntatem tanquam in-
frugiferæ arboris ramum absciderit. Itaque danda nobis opera
est, ne voluntas nostra vehementer alicui rei per amorem alli-
gata sit. In generoso equo illud præcipuè laudatur, quòd frænis Simil.
obtemperet, facileque ad regentis nutum se in gyros flectat: ea-
dem quoque in viro iusto laus & commendatio est; vt sese diui-
no Spiritui in ipso habitanti accommodet: quemadmodum sa-
cra illa Ezechielis animalia facere perhibentur, de quibus scri- Ezech.1.
ptum est: Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec re-
uertebantur cùm incederent.

Huic autem virtuti alia necessariò iungenda est, quæ est il-
li obedientiæ, quam supra definiuimus, coniunctissima:

nempe firmissima in Deum spes, qua illum pios omnes pater-
Simil. no sinu & prouidentia complecti firmissimè credimus. Quo-
nim hæc vita innumeris propemodum casibus & ærumnis ſ[...]
iecta est (quæ nos à virtutis & constantiæ gradu depellere p[...]
sunt) præsentissimum horum malorum remedium fiducia[...]
spes in Deum est. Hæc est enim velut sacra anchora, ad q[...]
confugere debemus, quoties in turbido huius vitæ pelago v[...]
calamitatum fluctibus iactamur. Hæc est velut baculus, [...]
arundineus, sed solidus ac firmus, quo diuina misericor[...]
veritate subnixi, inter varia huius vitæ præcipitia susten[...]
quo qui carent, passim offendunt & ruunt, & allisi fra[...]
tur & intereunt. Vt igitur sine fide vita nostra cæca; [...]
spe tristis, misera, luctuosa, & infinitis casibus & ruin[...]
noxia est.

Ad hanc verò spem fulciendam cùm alia multa, tum v[...]
ximè diuinarum promissionum fides miro modo adiuua[...]
enim fides sperandarum rerum substantia, hoc est, solidum
nostræ firmamentum: Quonammodo? Quia dum fides d[...]
narum promissionum veritatem pij hominis menti p[...]
vehementer illum ad spem in omni calamitate retinend[...]
citat. Hac enim fide instructus, considerat primùm [...]
Rom. 8. nibus singulare illud priuilegium quod Apostolus comm[...]
rat esse concessum, nempe omnia eis cooperari in bonum [...]
est, omnia siue aduersa siue secunda ad salutem eorum i[...]
destinari. Considerat item illos magis à Deo quàm à sei[...]
ligi: illum magis illorum salutem cupere quàm ipsi cu[...]
longeque maiora pro ea tuenda quàm ipsos pertulisse: [...]
Matt. 10. esse, qui non solùm ossa, sed capillos etiam omnes elector[...]
Psal. 90. rum numeratos habeat: illum qui Angelis suis præcipiat, [...]
in manibus gestent, ne pedibus ad lapides offendant: illum
Zacha. 2. dicit: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei: illum q[...]
Psal. 54. Prophetam dicit: Iacta cogitatum tuum in Dominũ, & i[...]
Psal. 33. enutriet: illum qui per eundem Prophetã monet: Timete
minum omnes sancti eius, quoniã nihil deest timentibus
Diuites eguerunt & esurierunt; inquirentes autem Dom[...]
non minuentur omni bono. Denique (vt vno verbo cõcl[...]
1. Pet. 5. illum esse qui per Petrum Apostolum ait: Omnem solici[...]
nem vestram proiicientes in eum, quoniã ipsi cura est de[...]
Quid igitur amplius homo desideras? quid tot propositis [...]
iussoribus non speres? Si Dominus pro te solicitus est, si [...]
tua sunt, adeò studiosè curat; si dum tu dormis, ille [...]

vigilat;ſicut ſcriptum eſt: Ecce non dormitabit,nec dormiet qui Pſal. 120.
cuſtodit Iſraël: quid iam ſupereſt, niſi vt tu cum eodem Pro- Pſal. 4.
pheta ſecurus dormias & cantes (vt quidam vertunt) In pace ſi-
mul cubabo & dormiam: hoc eſt, ſimul vt accubuero, ſomnum
capiam: nec me curarum æſtus inaneſque metus vigiles noctes
traducere facient. Ecce, fratres, duo velut fulcra huic ſanctæ di-
lectioni & obedientiæ neceſſaria, nempe ſui abnegatio, & firma
in periculis & laboribus in Deum ſpes atque fiducia. Parum e-
nim eſt in pace & tranquillitate ſperare, niſi in rebus etiam
dubiis & formidoloſis ſpem firmam retineamus: in quibus flu-
ctuantis Petri fides deficit: ideoque à Domino audiuit, Modi- Matt. 14.
cæ fidei, quare dubitaſti?

IIII.

Erunt fortaſſe qui dum hæc audiunt, tacitè à me requirant, ſi iſta loca virtutibus tribuiſti, quem ergo locum ieiuniis, quem precationibus, quem ſacris ceremoniis, cæteriſque ſimilibus religionis officiis tribuas? His ego, fratres, poſt ea, quæ hactenus à me dicta ſunt, ſuum locum aſſigno. Sunt enim hæc non ſolùm egregia pietatis officia, ſed etiam præcipua obtinendæ perfectionis inſtrumenta. Hoc enim in his vel maximè commendatur, quod mirè faciunt, ad diuinam gratiam conſequendam, quæ charitatis, & obedientiæ, cæterarumq́. virtutum omnium parens eſt. Orationis enim officium eſt, diuinam gratiam ſtudioſè petere & impetrare: abſtinentiæ verò non ſolùm carnis petulantiam cohibere, ſed etiam animam & corpus parco cibo attenuatum, ad ipſum orandi ſtudium aptare. Qua ex re illud protinus ſequitur, quòd cùm præcipua horum ſtudiorum laus in hoc ſita ſit, quòd nobis ad charitatē cæteraſque virtutes viam muniunt, ſi quis diu multumque in his verſatus, adhuc ſummis illis virtutibus vacuus eſt, nondum orationum atque ieiuniorum ſuorum perfectum fructum eſt conſecutus.

Quorſùm hæc omnia tam longa oratione inducta ſunt? Primùm vt diuinorum mandatorum ordinem & dignitatem, de qua in præſenti Euangelio agitur, aperirem. Hunc enim ordinem Dominus exponere cœpit, cùm ait: *Hoc eſt maximum & primum mandatum; ſecundum autem ſimile eſt huic.* Deinde, vt à quodam communi ſiue morbo ſiue errore, multos piorum hominum hac ratione, ſi poſſem, veritate patefacta liberarem: qui ſibi hoc nomine interdum blandiuntur, quòd ieiuniis, quòd orationibus, quòd frequentandis deuotè ſacramentis incumbunt: quorum tamen nonnulli præcipuas illas vir-

virtutes, quas suprà memoraui, minus sectari student. Si e-
nim noua aliqua tempestas ingruerit, si paupertas, si fames, si
morbus, si dedecus & contumelia, aut chari alicuius mors vel
casus aliquis acerbus intercesserit, ita anguntur & perturban-
tur, ita animum abiiciunt atque despondent, ita de virtutis
& constantiæ gradu depelluntur, atque illi qui nullum penè
cum diuinis rebus commercium habent. Cum his igitur
qui sibi fortasse de iustitia blandiuntur, sic agere vellem, Si tu
ita angeris & perturbaris, vbi, quæso, plena illa obedientia, qua
se homo totum diuinæ voluntatis imperio subiicit, paratus non
modò ad obediendum, sed etiam ad ferendũ quicquid p-
rum ac laborum ei placuerit? Vbi spes illa est, quæ con-
ter fidit Deum plusquam paternam curam illorum gerere,
se illi subdiderunt, & quicquid eis eueniat, eius consilio
prouidentia ad eorum salutem destinari? Vbi est illa etiam pro-
priæ voluntatis abnegatio, qua homo cor suum ab omni re-
rum terrenarum immoderato amore diuulsit: quo sine vl-
tergiuersatione ac mora, liberam voluntatem nulloque amo-
ris glutino terrenis rebus hærentem, diuinæ voluntatis imp-
rio subdat? Itaque in his tribus excellentissimis virtutum o-
ciis video multos piorum etiam hominum claudicare: ad
mihi quidem videatur, ea, quæ à sanctis Patribus de pro-
volũtatis abnegatione scripta sunt, in eorum magis libris qu-
in nostris moribus reperiri. Quandiu ergo propria in nobis v-
luntas ius suum retinet, de profectu charitatis nostræ semp-
trepidi atque soliciti esse debemus.

Sed fortasse istorum aliquis dicat, Vnde igitur spiritual-
dulcedo, qua toties inter precandum oblectamur? Vnde n-
ui lachrymarum mentem nostram mira suauitate rigantes? A-
non ista veræ ac germanæ charitatis signa sunt? Sunt pla-
sed signa tamen, non certa & firma argumenta. Cur i-
Nunc aptate mihi aures fratres, quicunque hoc Dei amore fl-
grare vos creditis. Fiet enim fortasse, vt qui ad amoris se-
monem audiendum conuenistis, magnam vobiscum timor-
materiam referatis.

Scire igitur oportet duplicem Dei amorem à Theologis de-
scribi: alterum naturalem, qui videlicet à natura solùm non
gratia ortum habet: qualis fortasse Socratis, Senecæ, Plato-
nis, aliorumque insignium Philosophorum extitit, qui natu-
ræ, hoc est, diuini huius opificij contemplationi vacantes, i-
tanti opificis amorem ipsius naturæ impulsu rapiebantur: alt-

ri

rum verò supernaturalem, qui ab humana voluntate, Spiritus sancti appulsu excitata proficiscitur: qualis omnium sanctorum extitit. Est autem obscurissimum inter hos duos amores discrimen, non minus quàm inter duos eiusdem capitis capillos. Vterque enim siue naturalis siue supernaturalis sit, eiusdem capitis pilus, hoc est, eiusdem Dei amor est: & mira quadam vterque dulcedine & suauitate perfundit. Cuius Aristotel. rei vel ipse Aristoteles locupletissimus testis est, qui quanuis modicam nobis eandemque obscuram superarum rerum intelligentiam tribuat: eam tamen propter earundem dignitatem, suauitatis atque delectationis plurimum habere testatur. Itaque fieri potest, vt qui se charitatem habere his indiciis putat, non charitatem diuini Spiritus igne succensam, sed amorem à natura sola prodeuntem habeat, quem ad æternam salutem non sufficere certum est. Quæ res periculo magno non vacat: Prouer. 14 ac fortè hac etiam de causa Salomon ait, Est via, quæ videtur homini recta, & nouissima eius ducunt ad mortem. Itaque nemo lachrymis suis, nemo spirituali suauitati ita fidat, vt non etiam timeat à quo fonte ista procedant: possunt enim à natura, possunt & à gratia proficisci.

Quid ergo? An non vllum aliquod certius indicium erit, Richar. quo ista discernere valeamus? Richardus huic quæstioni respondet incommodorum, laborum, atque iniuriarum tolerantiam esse, quæ magnum veræ charitatis ac pietatis indicium præbeant. Quanuis enim euidens hac in re certitudo haberi nisi Deo reuelante nequeat: inter huius tamen rei argumenta & indicia hoc verè maximum est, Apostolo testante qui ait, Tribulatio patientiam operatur, patientia probatio- Rom. 5. nem, probatio verò spem, spes autem non confundit. Quisquis igitur inter vos de charitate sua solicitus est, hoc planè singulari indicio de ipsa coniecturam facere debet.

Quòd si hoc arduum vobis esse videtur, quòd sit virtus hæc perfectorum virorum, non etiam incipientium propria: dabo aliud sanè mitius & facilius, quod ex proximi dilectione colligitur. Ad hoc autem scire oportet charitatem vnicum esse habitum à Spiritu sancto mentibus nostris infusum: qui nos non solùm ad Dei, sed etiam ad hominum dilectionem excitat & inclinat. Vera enim & germana charitas hominem à Deo non disiungit, sed cum illo simul & propter illum diligit. Hoc igitur in causa est, vt quicunque diuini

amoris igne flagrant, illique omni ratione gratificari studen-
Luc.10. cùm illum neque hospitio cum Martha excipere, neque mini-
strare aliqua in re terrena possint, totum hunc amoris impetum
ad eos transferant, quos ipse vicarios suos instituit, nempe pau-
peres & egenos: illisque non tanquam hominibus, sed tan-
quam ipsi Deo omnia humanitatis obsequia exhibent. Quid
si illos ægrotare, aut contagioso aliquo morbo vexari conti-
gat, nequaquam illorum detrectant seruitium, neque cor-
halitum aut vulnera horrent, sed eorum saniē manibus suis ab-
luunt, & interdum etiam (quod multi sanctorum fecerunt) ip-
Psal.15. sorum vulnera tanquam Christi vulnera exosculantur. Hac-
te atque affectu se regius Propheta fuisse in Psalm. 15. te-
Pro eo enim, quod nos legimus, Sanctis, qui sunt in terra
&c. alij verterunt, Erga sanctos qui sunt in terra eius, & præc-
ros, omnis voluntas mea est. Præmiserat antè vir sanctus om-
salutis & felicitatis suæ spem & amorem in vno Deo sibi esse
positam. Vnde consequens erat, vt se & sua omnia ad illius la-
dem & obsequium destinaret. Verùm cùm intelligeret huius-
modi obsequiis Deum non indigere, totum illud voluntatis
studium ad eos conuertit, qui ad eum propius accedebāt, nem-
pe ad amicos et cultores Dei, nec ad hos modò, sed ad omnes
illos qui nobis ab ipso Deo commendati sunt. Ita, vir di-
quod erga ipsum Deum (quem supra omnia diligebat) ex-
non poterat, erga seruos eius, atq. adeò erga omnes homines e-
ercebat. Quam rem hoc exemplo quanuis in re longè diuer-
Simil. poteritis intelligere. Dæmon quidē immanissimo odio Deum
superbiæ suę vindicem & vltorem prosequitur. Sed quia illi no-
cere, atq. de eo vindictam expetere nō potest, in homines, quos
is ad imaginem suam condidit, quosque paterno amore prose-
quitur, totam furoris sui rabiem conuertit, odium videlicet quo
in Deum flagrat, in tentandis & vexandis illis exsatiare conten-
dens. Quod ergo in dæmonibus capitale in Deum odium facit,
hoc in sanctis viris ardēs in Deum charitas operatur: vt sicut ille
odium suum ad perniciem hominum vertit: ita contrà isti suum
erga Deum amorē ad eorundem salutem & obsequium referāt.
Hoc igitur indicio quisq. vestrum, fratres, de sua in Deum cha-
ritate (vt antè diximus) coniecturam facere poterit, si se videli-
cet officiosum erga homines deprehendat.

1.Ioan.4. Quisquis autem hoc diligenter animaduerterit, facilè, vt ar-
bitror, subobscuram illam Ioannis Euangelistæ sententiam in-
telligere poterit. Ait nanque, Si quis dixerit, quia diligo Deum

&f

& fratrem suum odit, mendax est. Si enim fratrem suum, quem videt, non diligit, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? Cuius argumentationis vis ex hisquę hactenus dicta sunt apertè colligitur. Cùm enim Deus hominem tanquam vicariũ suum in mũdo constituerit, & beneficia in eum collata ipse sua deputet, seq́. in illo refici, vestiri, atque foueri dicat, quomodo putandus est Deum diligere, qui eum non diligit, qui Dei personam gerit, quemq́ue pro se Deus diligendum atq. reficiendũ proposuit? Itaque si hunc (vt sic loquar) Deum terrenum atque visibilẽ beneficiis & amore minimè prosequitur, quomodo inuisibilem & à se longissimè distantem diliget: cùm præsertim præsens rerum conspectus vel amoris vel commiserationis affectum excitare maximè soleat? Si ergo præsens calamitosi hominis inopia, quam oculis vsurpas, cor tuum non emollit, neq. ad benignitatem & misericordiam flectit, cùm is præsertim Dei personam (vt antè diximus) repræsentet, quo pacto à te Deum quem minimè vides, diligi credam? Itaque fratres quicunq. ad charitatem (in qua totius diuinæ legis atque salutis nostræ summa constituta est) aspiratis: & an eius compotes facti sitis, anxiè & solicitè quæritis, his duobus quæ à me proposita sunt signis atque argumentis, de ea coniecturam facere poteritis. Videte quàm sitis in tentationibus & calamitatibus Domino fideles; videte quæ pietatis & misericordię viscera erga pauperes, ægrotos, carceri mancipatos, pupillos, & viduas, variisq́ue calamitatibus oppressos gesteris: & his indiciis quale erga Deum pectus animumq́. geratis, coniicere poteritis. Si enim in hos misericordes atque benigni fueritis, non dubium qui misericordiarũ pater & Deus totius cõsolationis in extremo illo iudicio, vobis ad dexteram suam cum ouibus suis collocatis dicturus sit, Venite benedicti Patris mei; percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Quod nobis supernus hic Iudex concedere dignetur, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

2. Cor. 1.
Matt. 25.

DOMINICA DECIMAOCTAVA POST PENTECOSTEN CONCIO PRIma: in qua primùm lectio Euangelica explanatur: deinde cuiusmodi fides ad salutem necessaria sit exponitur.

THE. *Videns Iesus fidem illorũ dixit Paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Matth. 9.

Simil.  Vemadmodum Sol hic oculis nostris obuius, nullo tẽpore quiescit, sed incessabili motu & maria lustrat, lucis suæ radios vbiq. diffu & calore suo inferiora huius mundi corpora triens & procreans: ita Sol iustitiæ Christus Dominus, qui huic mundo exortus est, vbi primùm se homini manifestari cœpit, nullo tempore quieuit, quia nunquam stitit mortales cunctos variis beneficiis afficere, cæcorum mentes doctrinæ suæ radiis illuminans, & algentia hominum pe-
Actor. 10. ctora charitatis suæ igne incendens. Hinc Petrus Apostolus qui pertransiit, inquit, benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo: quoniam virtus Dei erat cum illo. Id nunquam intra vnius vrbis mœnia latere voluit, sed vt iustitiæ Sol omnes terrarum oras longè lateque lustrabat, castella, non vicos, non Iudæos, non Tyrios, non Sidonios, non Gerasenos à beneficiorum suorum communione repellens, modò hos, modò illos inuisens, omnibusque salutis, vitæ, que doctrinæ suæ beneficia impartiens. Et quidem paulò ante sacrę huius lectionis historiam in terram Gerasenorum commeauerat, in qua hominem terribiliter à variis Dæmonibus oppressum liberauit. Mox autem ab ea regione digressus, Galilæam repetens, Paralyticum (cuius in sacra huius diei lectione curatio memoratur) pristinæ sanitati restituit. Cuius rei historia simplicibus verbis ab Euangelista descripta, non simplicem, sed variam ac multiplicem piis auditoribus vtilitatem affert. Quam vt in lucem proferre possimus, cælestem opem sacratissimæ Virginis interuentu suppliciter implo remus.

AVE MARIA.

Vbi Dominus Gerasenorum terram reliquisset, conscensa nauicula, transfretauit, & venit in ciuitatem suam. Consta

rem hanc Paralytici curationem in insigni illa ciuitate Capharnaum (quæ in prouincia Galilææ maximè celebris erat) edidam fuisse. Cur autem sanctus Euangelista hanc Domini ciuitatem appellauerit, cùm is Nazareth elegisset, in qua enutritus fuerat (quo nomine etiam Nazaræus appellatus fuit) variæ à Doctoribus causæ referuntur. Sed præcipua tamen illa est, quam D. Chrysostom. assignat: nempè quòd hanc præcipuè ciuitatem Dominus elegerit, in qua diutius habitaret. Quam rem is ex Matthæi verbis colligit, qui Dominum ait, relicta ciuitate, Nazareth venisse, & habitasse in Capharnaum, ideoque hanc idem Euangelista ciuitatem suã vocat, quanuis neq. in ea, neque alibi etiam rerum omnium Dominus haberet, vbi caput suum reclinaret. Neque verò alienum est, eam alicuius hominis ciuitatem appellare, in qua is sedem atque domicilium habeat. Sic enim sanctum Antonium Patauinum appellamus, quòd in hac is ciuitate diutius fuerit commoratus, quanuis Olyssippone (quæ ciuitas in Lusitania celeberrima est) ortus fuerit. Chrysost. Matth. 4.

In hanc igitur vrbem cùm deuenisset, & in quadam eius domo constitisset, auditum est, & celebri sermone vulgatum, Dominũ eò venisse. Vt autem latere Sol non potest, ita nec Dominus Iesus. Rumor enim vt fit, à paucis exortus, iam per omnem ciuitatem vagatus fuerat, Iesum esse in ædibus. Vnde sine mora tanta vis hominum eò confluxit, vt nõ solùm tota domus impleretur, sed ea etiam loca, quæ ianuæ finitima erant. Dominus autem neque aduentantium multitudine, neque irruentiũ improbitate offensus, se ipsum placidè ac benignè omnibus exhibebat, duo illa misericordiæ officia, quæ sibi ipsi delegerat, apud eos exercens, nempè doctrinam & curationem: quorum alterũ ad spiritualia, alterum ad corporea misericordiæ opera pertinet. Hoc enim Lucas designauit, cùm dixit: Et virtus Domini erat ad sanandũm eos: hoc est, virtutem suam exerebat ad salutem ægris conferendam. Simil. Luc. 5.

Et ecce, inquit Euangelista, *offerebant ei Paralyticum iacentem in lecto. Videns autem Iesus fidem illorum, &c.* Hic locus admonet, vt quoniam & in huius ægroti, & multorum aliorum curatione Dominus fidei virtuti edita miracula tribuit, quæ nam hæc fides sit, disseramus. Constat enim variam esse, ac multiplicem huius vocis significationem. Et quidem his in locis non debet fides accipi simpliciter pro credulitate, firmoque assensu eorum quæ de Deo & Christo credenda sunt; qualem fidem Hæc ex Cornelio Iansenio.

fidem etiam dæmones habent, neque rursum accipi debet vt ... sit quod fiducia, quæ à spe aut nihil differt, aut perparum; quo modo multi in multis locis exponunt, & quomodo videtur ...
Matth. 17. cipi cùm dicit Saluator Matthæi 17. Si habueritis fidem ...
Luc. 12. granum sinapis, dicetis monti huic: transi, &c. Et si fœnum ... quod hodie est, & cras in clibanũ mittitur, Deus sic vestit, quan...
Matth. 8. to magis vos modicę fidei? nam cùm dicitur de Centurione: N... inueni tantam fidem in Israël, fides Centurioni tribuitur ... tam propter fiduciam, quam habuit, quàm propter opinion... & existimationem quam habuit de Christo, credens illum ...
Matth. 9. tæ esse virtutis, vt absens ægrum sanare posset. Sic & ... Matthæi 9. cùm duobus cæcis dixisset: Creditis, quia h... sum facere vobis? & deinde illis dicentibus: Vtiq. Domine, ... sponderet: Secundum fidem vestram fiat vobis; manifest... est, nomine fidei credelitatem, & firmam persuasionem p... tiæ Christi significari. Non enim fiduciæ, quæ ad volunt... pertinet, est, credere quòd Christus posset cæcos illumina... credulitatis, quæ ad rationem & intellectum pertinet. P... rectissimè, vt apparet, dicetur nomine fidei in Euangelis ... ei tribuitur salus, aut consecutio omnium, quæ volumus ... plecti vtrunque, nempè & assensum illum firmum in cre... de Deo ac Christo, & fiduciam ex illius omnipotente bo... conceptam: quanuis in quibusdam locis magis videatu... beri ratio ad credulitatem & assensum illum mentis, in ... busdam verò ad ipsam fiduciam. Ita enim duo hæc a... cem cohærent, vt nec fiducia esse possit sine credulitate, ... credulitas sine fiducia quicquam impetret à Deo: vtque ... ciæ magnitudo ex credulitatis perfectione nascatur. ...
Ioan. 20. dum dicimus: Confido huic verbo Dei: Quorum remis... peccata, remittuntur eis; in verbo, confido, duo illa ... comprehendi videntur. Est enim sensus, Adeò persuasus ... illud esse verum, vt inde etiam mihi certò sperem per ... dotes remissionem peccatorum. Sic ergo & hoc loco fide... cipitur, cùm dicitur Dominus vidisse eorum fidem. Ma... enim de Christi potentia, simul & bonitate conceperan... pinionem; atque ex hac opinione, firmaque credulitate, ... gnam etiam fiduciam, atque spem consequendæ salutis, ... desiderabant. Quam de Christo opinionem & fiduciam ... clarabant, dum tantum laboris & molestiæ non dubi... subire, omni posito pudore, vt ægrum Christo Domino ... sentem exhiberent.

I.

Sed vt ad historiæ seriem redeamus, *vidés Dominus fidem illorum, ait Paralytico: Confide fili; remittuntur tibi peccata tua.* Quo in loco immensa Dei bonitas satis apparet, qui frequenter propter aliena merita miseris opitulatur. Vnde Ambros. Ma- Ambros. gnus Dominus, qui aliorum merito aliis ignoscit, & dum alios probat, aliis relaxat peccata. Rectè Publius ille Mimus: Libera- Mimus Publ. lis etiam dandi causas cogitat. Quo minus mirandū est, si magnificentissimo Domino aliena iustitia satis sit, vt in alios liberalis & beneficus existat. Quo nomine multa posteris Abrahæ propter eius pietatem & iustitiam donauit, quemadmodū ipse ait: Vt adducat Dominus propter Abraham omnia, quæ locutus Genes. 18. est ad eum. Qua etiam benignitate erga Dauidis posteros vsus est. Vnde ad Ezechiam eius filium ab Assyriorum Rege obsessum ait: Protegam ciuitatem hanc propter me, & propter Da- 4. Reg. 20. uid seruum meum. Quoties verò sancti regis huius filiis in fide & officio delinquentibus propter patris merita pepercit? Iā verò Pauli conuersionē D. Augustinus Stephani Martyris oratio- August. ni non dubitauit ascribere. Quid verò in Euangelio, an non fides & oratio Cananææ à dæmone obsessam filiā liberauit? An Matt. 15. non Centurionis fides Paralyticū eius seruum sanauit? An non quotidie Ecclesiæ fides in sacramento baptismi regeneratis infantibus sufficit ad salutem? Si enim tāta Dei iustitia est, vt aliena labes nascentem puerum inficiat; cur non tanta sit eius misericordia, vt aliena quoque fides & voluntas ei ad salutem conferat? Vnde facilè colligimus Ecclesiæ vota & preces hominibus siue viuentibus, siue vita functis plurimum prodesse. Hinc toties Apostolus quoque post raptum in paradisum, & gratiæ plenitudinem, quam acceperat, orationes à fidelibus exigit, vt detur sibi sermo in apertione oris sui, &c. atque vt liberetur ab infidelibus, qui sunt in Iudæa. Sic tamen his precibus atque suffragiis niti debemus, fratres, ne nos somno, inertia, atque desidia conficiamus, sed in hoc incumbamus, vt aliorum precibus preces nostras, aliorum studiis, studia quoque nostra iungamus. Mementote pro Chananæa discipulos Dominum obsecrasse: sed eius tamen oratio plus apud Deum, quàm discipulorum valuit. Aliter enim verendum est, ne si otio torpeamus, nobis contingat quod fatuis Virginibus euenit, quæ in perpetuo otio vitam agentes, imminente mortis hora, ad pru- Matt. 25. dentum Virginum opem confugêre, dicentes: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Quorum mul-

multi exemplum ſecuti, per omnem vitam otia agentes, cu-piditatibusque ſuis indulgentes, ſpemque omnem in Eccle-ſiæ ſacramentis & miſſarum ſuffragiis reponentes, ſalutem ſibi & ſecuritatem pollicentur. Tunc aiunt, præteritæ vitæ ma-culas lamentis pœnitentiæ diluam: tunc piè ac religiosè Eccle-ſiaſtica ſacramenta percipiam; tunc ereptas aliis opes reſtituam, & æs alienum quod contraxi diſſoluam, piaque legata teſta-mento relinquam, atque his ſalutis humanæ præſidiis Domi-ni miſericordiam promerebor. O quàm multos hæc perſua-ſio fefellit! Qui enim ſe totos in omni vita libidinibus dediderunt, qui in deliciis atque luxuriis corda ſua enutrierunt, qui n-Dei neque minis, neque promiſſis, neque plagis, neque be-neficiis, neque monitis à ſcelerata vita reuocari voluerunt, quam extremo vitæ actu ab ipſa iam penè vita derelicti, ſalutarē pœ-nitentiam agant? Quid quæſo magis præpoſterum, quàm eo tempore velle te nouam vitam inchoare, cùm ſpatium viuendi non ſuppetit; qui ſi longiora adhuc vitæ ſpatia haberes, diutius in iniquitate perſiſteres, quemadmodum feciſti, quandiu in vi-ta permanſiſti. Itaque fratres, quanuis dum in hoc corpore ſu-mus & ſpiramus, pœnitentiæ locus ſit: omnium tamen peri-culorum maximum eſt, ad hoc impeditiſſimum tempus, nego-tium omnium maximum reſeruare. Et quanuis pius Domi-nus (vt modò diximus) aliorum meritis aliis benignè faciat, no-men aliorum meritis, noſtra quoque merita iungere debemus. Quod ex ſacra etiā huius diei lectione colligimus, in qua Do-minus non modò portantium, ſed Paralytici etiam fidem ſpe-ctauit, quam confirmare voluit, cùm dixit: *Confide fili, remit-tuntur tibi peccata tua.* Nec enim peccata, aliorum vel precibus vel meritis, ſine eius fide, cui remittuntur, condonari poſſunt. Poſſunt quidem alia beneficia aliorum meritis, improbis e-tiam hominibus concedi: peccatorum autem remiſsio ſi-ne eius fide, cui peccata remittuntur, conſtare non poteſt.

I.

Confide, inquit, *fili, remittuntur tibi peccata tua.* Quid ag-is Domine Ieſu? Non hic peccatorum remiſſionē ſed morbi cu-rationem, non tam animæ, quàm corporis ſalutem quærit. Pro hac impetranda venit, pro hac ſuperatis omnibus impedimen-tis, tibi ſiſtitur. Verùm Dominus, qui filium appellauerat Para-lyticum, patrem ſe illi in hac curatione exhibet. Patris autē eſt non quid æger filius cupiat, ſed quid ei expediat, prouidere, id quidem priùs atque diligentius, quod maius eſt. Sic igitur

le-

Ille Pater occultum languentis animæ morbum (quem Paralyticus fortasse non viderat, qui tantò erat perniciosior, quantò nobiliorem hominis partem inficiebat) primum curare aggressus est, dicens: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Nos quidem miseri atque amentes vel animæ nostræ salutem negligimus, vel corporis salutem ei anteferimus, externa quæ videmus curantes, & interna, quæ non videmus, quamuis sint longè præstantiora, negligentes. Verùm Dominus, qui primùm regnum Matth. 6. Dei, deinde cætera quærere admonuerat, doctrinæ suæ memor, curat primum quod ad hoc regnum pertinet: deinde corporis necessitati prospicit. In quo quidem ordine seruando, salus & iustitia nostra sita est. Quem qui peruertunt, in manifestum se præcipitium coniiciunt.

Quo etiam in loco quanta sit seruatoris nostri benignitas, manifestè apparet. Verè enim abundantia pietatis suæ & merita supplicum excedit & vota. Non enim tantum pro votorum & meritorum nostrorum mensura, sed pro immensa bonitatis & misericordiæ suæ magnitudine, quæ cuncta superat vota, sua impartitur beneficia. Hic enim paralyticus solam corruptibilis corporis salutem quærebat: Dominus autem pro sua benignitate, immortalis animæ salutem donauit, quam is non petebat. Qua in re magna orationis virtus elucet, quæ à misericordiarum parente non solùm impetrat quod postulat, sed plus interdum quàm postulat. Postulauit Salomon sa- 3. Reg. 3. pientiam: Dominus autem & sapientiam, quam petebat, & diuitias, & gloriam quam non petebat, cumulatissimè præstitit. Postulauit Abraham, vt saltem Ismaël filius viueret coram ipso: at is & Isaac etiam filium (vnde tam numerosa soboles propaganda erat) illi simul promisit. Manasses Rex 4. Reg. 21. in captiuitate positus, peccatorum veniam suppliciter à Domino postulauit: at pius Dominus & veniam contulit, & amissi regni sedem post tot crimina restituit. Qua etiam liberalitate erga hunc Paralyticum vsum fuisse videmus.

Sed hoc in loco non solùm benignitas, sed prudentia quoque cælestis medici spectanda est. Ad medicum enim pertinet, non morbum tantùm, sed morbi etiam causas intelligere. Causæ autem morborum corporis, non rarò peccata sunt animarum. Vnde in Psal. legimus: Propter iniquitatem Psal 38. corripuisti hominem, & tabescere fecisti sicut araneam animam eius. Alteri quoque Paralytico iuxta piscinã sanato, Do- Ioan. 5. minus dixit: Ecce sanus factus es; iã amplius noli peccare, ne de-

terius tibi aliquid contingat. Quibus verbis morbum illum ob
admissa peccata illi contigisse designauit. Apostolus quoq; Co-
rinthios variis morbis ob neglectam erga sacram Eucharistia
Iob 33. religionem, conflictatos fuisse memorat. Hinc etiam in li
Iob legimus: Increpat quoque per dolorem in lectulo, & om-
nia ossa eius marcescere facit. Quanuis enim non rarò Domi-
nus morbos immittat non tam ad purgandos, quàm ad pro-
bandos & perficiẽdos electos suos (quos in calamitate tanqu
aurum in fornace probat) frequenter tamen morbos im-
tit, vt vel à peccatis purget, vel dormientes homines à le
ro somno excitet. Hoc enim increpationis verbum desi
videtur.

Cùm ergo Dominus peccatorũ remissionem Paralytic
nasset, scribæ, qui tum aderant, dixerunt intra se: *Hic bla*
mat. Quo verbo significare voluerunt Christum Domi
quod Dei proprium erat, sibi arrogare voluisse: cùm soli
Esa. 43. sit peccata remittere. Legerant enim illud Esaiæ: Ego sum
sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me. Moses quoq
Exod. 34. in clarissima illa visione: Miserator, inquit, & misericors
& multæ misericordiæ: qui aufers iniquitatem, & scelera
peccata, nullúsque apud te per se innocens est. At Domin
sus occultas cordium eorum cogitationes diuina virtute
ciens: *Vt quid*, inquit, *cogitatis mala in cordibus vestris? Q*
facilius dicere, Dimittuntur *peccata tua: an dicere* Surge, & am-
bula? Quod perinde est, ac si diceret: Vos me blasphemum
dicatis, quòd hac peccatorum remissione Dei mihi potest
vendicem. Sed vestrum hîc requiro iudicium, vtrum horum
noris sit potestatis, verè ac seriò dicere: Remittuntur tibi pec
ta tua; an dicere: Surge & ambula. Non dubitem quin vtru
sit æqualis, imò eiusdem potestatis: vtpotè diuinæ, cùm so
Dei sit, quidquid voluerit, solo verbo efficere. Cùm ergo vi
tis me modò hac tanta potestate vti, vt solo verbi imperio Pa
lyticum hunc subitæ sanitati restituam; consequens est, vt
hoc præstare potest, possit & peccata condonare: cùm vtru
eiusdem sit potestatis. Hoc igitur firmissimo argumento se
minus remittendi peccata potestatem habere facilè compr
uit. Quæ quidem potestas illi non modò quatenus Deus,
etiam quatenus homo conuenit. Et quidem aliter Chri
Dominus, aliter eius sacerdotes peccata remittunt. Sa
dotes enim tanquam Christi ministri hoc faciunt: Christus
tem Dominus auctoritate propria, & passionis suæ me

per quam generis humani peccata expiauit.

Vt igitur hanc Dominus potestatem se habere comprobaret, ait Paralytico: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Vix hæc verba finierat, & mox editum sermonem manifesta præsentaneáque vis consequuta est. Non enim Paralyticus paulatim ægréque cœpit se mouere, sed ad Iesu vocem statim erexit sese, quasi nullam vnquam sensisset paralysin, ac sublato in humeros lecto, per confertam hominum multitudinem egressus est, nouum omnibus spectaculum exhibens, vt qui pauló antè velut exanime cadauer à quatuor baiulis lecto affixus portabatur, nūc gestiens & alacer, tantæ etiam sarcinæ gestandæ solus sufficeret: Cumque negatus fuisset locus aduenieti, datus est exeunti. Sic enim dispensatione quadam diuina vtrumque expediebat, vt venienti obsistens turba; fidei magnitudinem omnibus faceret manifestam, & datus per mediam multitudinem exeunti locus, miraculi spectaculum omniū oculis subiiceret. Hactenus, fratres, de Euāgelica lectione; nūc de fide, cuius in propositis verbis mentio fit, paucis disseramus.

TRACTATIO THEMATIS.

II.

Videns Iesus fidem illorum, dixit Paralytico, &c. Quanuis de eo fidei genere, cui Dominus quæ edebat miracula tribuebat, pauló antè à nobis dictum sit: nūc de fide, quæ totius Christianæ vitæ fundamentum est, generatim dicamus. Cernere enim licet, fidelium multos tantam sibi securitatem de sola fide, deque diuinis beneficiis, quæ nobis eadem fides proponit, polliceri, vt hac occasione multi in sceleribus suis persistentes, salutem suam in tuto positam esse arbitrentur. Ad hanc enim veluti sacram anchoram confugiunt, quoties illos periculi sui admonemus.

Et quidem negari non potest, inter clarissima diuinæ benignitatis munera fidem numerari, Apostolo testante, qui ait: Philip. 1. *Vobis pro Christo donatum est, non solùm vt in illum credatis, sed etiam vt pro illó patiamini.* Quæ sit autem fidei vis, quæ eius clarissima opera, idem Apostolus in Epistol. ad Hebræos, longa oratione commemorat: Hebr. 11. cuius certè laudibus vix vlla oratio par esse queat. Fides enim (vt cæteras eius laudes prætereamus) humanæ mentis oculus est, quæ pedes nostros in viam pacis & sempiternæ felicitatis dirigit. Fides velut salutaris quidā medicus est sanandis animæ nostræ vulneribus medicamēta præscribens. Fides legislator noster est, viuendi leges & iura

ra demonſtrans , & vitam hominum præceptis ſalutaribus in-
ſtituens . Fides velut architectus primus eſt , qui inferioribus
artificibus exemplar operis, quod ſequi & intueri debeant, pro-
ponit. Fides Sol vitæ eſt , quæ mortalium mentes illuminans,
docet quò & qua tendere debeant. Fides dux noſter eſt, quæ
nobis in cælum oſtendit. Fides talentum illud eſt, quo in
vita negotiari , & bonorum operum merita cumulare poſſu-
mus. Denique tanta fidei dignitas eſt , vt etiam ſi informis
mortua ſit (ideoque ad ſalutem minimè ſufficiens) ſua
vtilitate non careat. Hominem quippe intra Eccleſiæ ſinum
Euangelij ſagenam continet , Chriſtoq; capiti quanuis im-
fectè iungit , ipſumq. ſupra humanæ naturæ conditionem
tum, ad altiorem ordinis diuini ſtatum attollit: vt pote q
ſe diuinum ſemen, hoc eſt, fidei lumen incluſum teneat.
quidem quandiu in homine manet, adhuc illi via patet, q
luti ſuæ proſpicere valeat.

Cùm ergo fides adeò magnum Dei donum ſit, quas nos
ius beneficij largitori gratias agere par eſt , qui inter tot va
hæreſum monſtra atque portenta, quæ noſtro hoc infelici ſæ-
lo inundauerunt (quodque maius eſt) inter innumeras in
lium hominum, hoc eſt, Turcarum, Sarracenorum, Iudæ
Paganorumque nationes (quæ vniuerſum penè terrarum
bem impleuerunt) nos electi à Deo fuerimus, qui in pu
grege cenſeremur, cuius incorrupta & ſyncera fides eſt
ductum ſequi voluerimus , ſine vllo errore ad ſempiternæ
citatis portum appellere valebimus ? Si felices octo illæ a
fuerunt, quæ in arca Noë mundo pereunte ſeruatæ ſunt: q
noſtra felicitas eſt , qui toto penè terrarum orbe infidelitatis
luuione ſubmerſo, in arca veri Noë, hoc eſt, in Eccleſia C
manentes , ab hoc tanto fidei naufragio incolumes con
mur ? Quas ergo dignas illi gratias agemus , qui nos hoc
munere donauit : quique vt fidem nobis contulit, ita hac
integram incorruptamque inter tot fidei procellas atque
fragia conſeruauit?

Sed cùm fides tam magnum Dei donum ſit, tantumque
mines ad pietatem & iuſtitiam iuuare luminis ſui ductu
quid, quæſo, in cauſa eſt, cur tam multi ſint, qui cùm veram
retineant, adeò perditè viuant, vt fidem profitentes Chriſti
Cicero. rum, mores habeant Ethnicorum ? Epicurus apud Cice
Dei prouidentiam , & bonorum atque malorum delect
adimit. Itaq; is hoc modo, & Deũ magno onere, & me

tem) magno metu liberat. Quis enim (ait ille) hanc prouidentiam esse credat, qui non dies noctesque diuinum numen exhorreat? Qui igitur hac mente erat; quid, quęso, diceret de multorum Christianorum scelerate viuentium fide, cùm eorum quidem fidem audiret, & mores animaduerteret? Quamobrem inquisitione dignum est, cur qui ista inconcussa fide tenẽt, adeò perditè viuant. Huius rei cùm multæ sint causæ, non postrema illa est, quòd neque fidei dogmata quæ profitemur, ad mentem reuocamus, neque quid in eis contineatur, attendimus. Quis enim Deum incarnatum & passum, quis eius aduentum in iudiciũ, quis immensas cælestis gloriæ opes, quis horrẽda gehennæ supplicia, quæ improbis constituta sunt, solicitè ac diligenter cõsideraret, & diutius in peccato maneret? Fidei igitur dogmata hoc modo discussa, acerrimos ad virtutem & pietatem stimulos addunt. Vt enim aromata preciosa tum maximè odoris sui vim ostendunt, cùm in mortariolo conteruntur, & in minutissimas partes rediguntur: ita fides tum maximè iuuat, cũ eius dogmata velut in quodam mentis nostræ mortariolo, solicita indagatione minutatim conterimus & expendimus. Simil.

Adde etiam quòd quemadmodum cæteræ virtutes sine charitate mortuę sunt (ab ea enim & vitã & merendi vim accipiũt) ita etiam fides ipsa sine charitate, neq; spiritualem vitam, neque salutarem acrimoniam, & meriti dignitatem habet. Hinc D. Augustinus: Fides, inquit, sine charitate potest esse, sed non prodesse D. quoque Cyprianus: Credenti, inquit, præmium datur, si quod creditur, & geratur. Omnes quippe cælestes virtutum habitus, qui à Spiritu sancto in viri iusti anima infunduntur, etiam ij, qui sedem sibi in intellectu fixerunt, ad rectè operandum dati sunt. Quocirca fides in hoc fidelibus concessa est, vt iuxta diuinæ legis præscriptionem, hominum vitam instituere doceat. Ideoque fidei obedientia copulãda est, vt quæ fideliter audimus & credimus, studiosè ac diligenter exequamur, quò beatitudinis eorum participes efficiamur, qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud. Quam rem nobis illa Pharaonis responsio innuit, qui populum ab ipso alimenta petentem ad Ioseph (quem rei frumentariæ præfecerat) his verbis remisit: Ite ad Ioseph: & quodcunque dixerit vobis, facite. Ad hunc ergo modũ cælestis Rex nos ad verum Ioseph mundi Saluatorem mittit: quem omnium cælestium gratiarum atque donorum dispensatorem constituit: sed ea tamen lege, vt nõ modò illum per fidẽ adeamus, sed etiam vt quæ ipse nobis præceperit, exe-

Simil. Augus. Cypria. Simil. Genes. 41

exequamur. Ipse nanque factus est omnibus obedientibus sibi causa salutis æternæ: hoc est, iis, qui ita illum audiunt, vt salutaribus eius præceptis obediant.

His igitur virtutum actionibus ac præcipuè charitati copulata fides, gratissimum Domino sacrificium, sempiterna mercede dignum offert. Sunt inter odorifera vnguenta quædam eius generis (vt à superiori exemplo non recedamus) quæ per se vel nullum vel exiguum odorem emittunt: quæ tamen aliis adiuncta, miram odoris suauitatem aliorum compositione mutuant. Sic igitur informis fides, quæ salutem per se præstare nequit, charitati & bonis operibus adiuncta, gratissimum Domino iustitiæ sacrificium offert. Vt verò his virtutibus sociata, & munere suo fungitur, & salutem præstat: ita his destituta, non modò vitam & salutem credenti non confert, sed in maiorem etiam vitio nostro damnationis cumulum cedit. Quanto enim maiora nobis ad benè viuendum adiumenta suppeditat, tantò deteriorem eius causam facit, qui tot beneficiis adiutus, nihil in pietatis & iustitiæ curriculo profecit. Quam rem apertissimè Saluator docuit cùm exprobrans ciuitatibus, in quibus diutius versatus fuerat, ait: Væ tibi Corosaim, Væ tibi Bethsaida. Quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent. Quid deinde? Subdit protinus remissionis plenissimam. Veruntamen Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij quàm tibi. Et quidem Tyrij & Sidonij idola colebant: quorum cultum vitiorum omnium causam, initium & finem esse Sapiens ait. Quos tamen Dominus in formidando illo iudicij die leuius quàm fideles Capharnaitas (inter quos ipse versatus fuerat) plectendos esse apertissima oratione testatur. Cur ita? Quia cùm tot isti ad pietatem & iustitiam adiumenta ex Saluatoris doctrina, & miraculis percepissent: nihil tamen in fide & iustitia profecerant. O mirandam diuinæ iustitiæ seueritatem! ô verè pertimescendam æquitatis diuinæ censuram! Quid nos ad hæc dicemus, fratres? Si enim qui fidei argumenta videntes increduli permanserunt, tam graues perfidiæ suæ pœnas daturi erant; quid nos timere par est, qui fidei lumine instructi, & hæc ipsa credimus, & multò adhuc maiora confitemur? Ante oculos enim nostros vnigenitus Dei filius verberibus concisus, colaphis atque alapis cæsus, spinis coronatus, sputis illitus, opprobriis saturatus & in cruce appensus est. Ante oculos nostros proposita nobis sunt tot mysteria

Simil. (margin, beside "de dignum offert")

Matt. 11. Luc. 10 (margin, beside "tatibus, in quibus")

Sapien. 14 (margin, beside "& finem esse Sapiens ait")

tot exempla, tot sacramenta, tot beneficia, tot aculei nos ad amorem & spem in Deum excitantes. Ante oculos nostros quotidie pro nobis Dominus in altari immolatur: nobisque non solum adorandus, sed etiam sumendus proponitur. Ante oculos nostros vita & mors, iudicium, gehenna, & cælestis gloria quotidie in Ecclesia prædicantur. Quis ergo dubitat, non minora esse hæc ad fidem & pietatem incitamenta, quàm quæ illis data sunt? Si igitur adeò seuerè puniendi erant, qui post tot diuina opera in impietate sua permanserunt: quonam modo punientur qui post tot ad virtutem adiumenta, desides adhuc, ingrati, atque rebelles permanent? Hoc est enim ingens illud periculum, quod Apostolus proponit his verbis: Quam ob rem oportet obseruare nos ea quæ audimus, ne fortè pereffluamus. Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia iustam accipit mercedis retributionem; quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Videtis ergo, fratres, quantā timoris causam nobis præbeat tantorum mysteriorum fides, si frustra nobis ea omnia proponuntur? Quam enim in extremo illo examine impietatis & socordiæ nostræ causam prætexemus, qui tot modis ad pietatem excitati, in impietate & iniustitia vitam omnem infideliū more, qui nihil horum agnoscunt, traduximus? Hoc periculum verbis quidem indicari potest: pro dignitate tamen amplificari non potest. Hebr. 2.

Quin & aliud extat otiosæ atque mortuæ fidei periculum, quod nō modò vitam & salutem credenti non confert, sed ipsa etiam nonnunquam interire, & lumen suum amittere solet. Quod non obscurè Apostolus significauit, cùm Timotheo discipulo bonæ conscientiæ synceritatem commendauit: quam quidam repellentes, fidei naufragium eos fecisse ait. Qua de causa dęmon ad peccata semper instigat, vt fidē tandē si potuerit euertat. Eius enim illa vox est: Exinanite, exinanite vsq. ad fundamentum in ea. Fides enim virtutum omnium atque totius Christianæ vitæ fundamentum est. Quam dæmon (permittente Deo) auertere conatur: cuius conuersionem Propheta describit his verbis: Ecce conteretur contritione præualida, vt non relinquatur in ea fragmentum quo tollatur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fouea. Sublata quippe fide, nihil in homine cælestis seminis manet, quod illam à sempiterna morte vindicare, & ad pietatis & iustitiæ cultum excitare possit. Ea verò plerunque amitti solet, cùm perditi homines 1. Tim. 1. Psal. 136. Esai. 30.

eius vocibus & occultæ instigationi obstinato animo resistun. Tunc enim eò interdum amentiæ perducuntur, vt vel diuin prouidentiam tollant, vel in aliam hæresim prolabantur, q ipsos licentius peccare sinat, qualis hæreticorum nostræ æ est: qui solam fidem iactantes, & bonorum operum meri lentes, flagitiis omnibus fræna laxarunt. Quocirca auctori dei & consummatori Domino Iesu gratias agamus, eius laudes indefesso studio prædicemus, qui nos ab hac pestile simorum hominum colluuione secreuit: simulque demu ram, vt fidem & bonam conscientiam retineamus, hoc es ius monitis acquiescamus, vt eius ductum sequamur, Hebr. 2. ius lumine gressus nostros dirigamus, vt quæ ille fa præcipit, exequamur; quæ timenda proponit, form mus; quæ diligenda, amore prosequamur; quæ vener randa, tota animi contentione & auiditate speremus, de remus, & ad ea contento cursu contendamus. Quod nobis cedere dignetur Dominus Iesus, qui est benedictus in sæ seculorum. Amen.

IN EADEM DOMINICA DE MAOCTAVA POST PENTECOSTEN C cio secunda: in qua post Euangelicæ lectionis planationem, de spirituali animorum para agitur.

THE. *Offerebant ei Paralyticum iacentem in lect* Matth. 9.



Matth. 8. PRiusquàm S. Euangelista Paralytici huius rationem describeret, aliud insigne miracu commemorat, quod Dominus in terra Ge norum patrauit, duos homines à multis dæ nibus obsessos liberans. Qui molestè admod ferentes se ab illa statione deturbari, Dominum precati vt in gregem saltem porcorum (qui ibi tunc fortè aderat) mitteret eos ingredi. Quo permittente porcos statim in præcipitauerunt. Quo in loco Domini benignitas & le spectanda est, qui ad piorum eruditionem ac disciplinam monum quoque voluntati morem gerere dignatus est.

eam permissione infelicem impudicorum hominum sortem designauit. Porcorum enim nomine, qui non floribus suaueolentibus, sed olido cœno delectantur, in eoque libenter quiescunt, scortatores & impudici homines significantur; qui libidinum suarum cœno immersi, in eo solo delectantur: nihilque aliud neque cogitant, neque loquuntur. Vsqueadeò enim fœdi huius vitij voluptas eorum mentes occupat, vt ab omni cœlestium rerum sensu & cogitatione abducat, eamque in turpitudinis huius luto obruat atque sepeliat. Vnde sancti Patres mentis hebetudinem & obscuritatem huius vitij comitem esse definiunt. In talibus igitur libenter dæmones habitant & oblectantur: in quibus vix quicquam inueniunt, quod eorum prauæ voluntati obsistat: à quibus timor Domini & omnis diuinarum rerum commentatio longissimè abest. Sed quò tandem hospites suos dæmones abducant, declarat planè gregis huius præcipitatio: hoc enim præmio carnales homines afficere dæmones solent: quos enim in vita obsident, præcipites in morte secum in gehennam trahunt. Matth. 8.

Cæterùm Geraseni tam iniquo animo porcorũ suorum iacturam tulerunt, vt Dominum Saluatorem à finibus suis expulerint, ne videlicet simili incommodo afficerentur. Quàm aptè hoc indicio Dominus perditorum hominum mentem atque animum designauit, qui vsqueadeò terrenis rebus affixi sunt, tantoque illas amore prosequuntur, vt non dubitent vnicum Dei filium humanæ salutis & felicitatis auctorem, bonorumque omnium fontem à se expellere, ne à rerum inanissimarum possessione pellantur. Itaque miseri & amentes terrena cœlestibus, temporaria sempiternis, & falsa atque fallentia bona veris solidisque bonis (dæmone mentes eorum obcæcante) anteferunt.

Dominus autem ne hac quidẽ repulsa solita benignitatis officia intermittẽs, dũ ab aliis excluditur, ad alios venit. Transfretauit igitur, & venit in ciuitatem suam, ibiq. protinus hunc Paralyticum in lecto iacẽtem, qui à quatuor portabatur, quòd se is nullo modo mouere posset, inuenit. His verbis satis liquet, quãta sit huius morbi vis, quæ hominẽ membrorũ omnium motu priuat, eumq; lecto ceu viuum quoddam cadauer affigit, vt neq. se loco mouere, neq. ipsius etiã naturæ necessitatibus nisi aliorum ope adiutus, satisfacere valeat: quodq; miserabilius est, omnem salutis spẽ ęgroto adimit, cùm morbus sit humana arte immedicabilis. Porrò autẽ si huius tãti mali causam à medicis re-

quiras, non rarò nefastum aërem esse dicent, qui sic omnes ner-
uorum meatus (qui sentiendi atque mouendi organa sun
humore noxio obstruit & implet, vt illa vis animi, quæ sens
& motum ciet, per eos transire non possit. Et quidem non
hoc, ferro aut igne opus est: sufficit enim vel mollis aër. I
quidem ad muros & mœnia vrbium diruenda variis homi
vtuntur machinis, atque tormentis: ad corporis verò no
fabricam diruendam vel modicus aër satis esse solet. Quid
tur tali corpore imbecillius? quid infirmius? Sufficere qui
nobis vitæ nostræ breuitas ad malorum cumulum poterat:
tamen multis animantium, vt coruis, cornicibus, eleph
bus, & serpentibus longior ab auctore naturæ data est. E
inde ac leue esset adeò breuis æui spatio vitam nostram cir
scribi, eadem etiam adeò fragilis est, vt leui flatu, atque
rupto aëre infici possit ac dissipari. Vbi sunt ergo qui tam
gilis vitæ fundamento nixi tot extruunt turres, tam longa
bi ætatem pollicentur, tam multa in tam breuis & mome
neæ vitę vsuram conferunt, & in tam longa temporum spa
spes suas proferunt, quas vel exiguus aër deludere atque p
Luc. 12. scindere potest? Hoc enim contigit insano illi diuiti, qui i
aiebat, Habes anima mea multa bona reposita in annos p
mos: Cui hoc modo deliranti dictum est: Stulte, hac noct
petent à te animam tuam: ea quæ parasti cuius erunt? M
Cicero. igitur Cicero miserandam hanc humanæ vitæ sortem dep
his verbis: O fallacem hominum spem, fragilemque fortu
& inanes nostras contentiones, quæ in medio spatio sæpè f
guntur & corruunt: & antè in ipso portu obruuntur, quàm p
tum conspicere potuerint.

I.

Sed vt ad historiam redeamus, cùm ij qui Paralyticum p
tabant propter confertissimam turbam, quæ domum circu
debat, sistere illum ante Dominum minimè possent: quid p
tis eos consilij cepisse? Tantus erat salutis amor, vt noua ra
ne excogitata, scalis admotis, supra tectum ascenderint, teg
que & asseribus sublatis, Paralyticum in lecto iacentem ma
ad supera loca labore sublatum, funibus demissum ante Do
num Iesum posuerint: nihil morantes Domini domus i
riam, cuius tectum perfoderunt: nec eorum periculum qui
tus erant animaduerterunt: neque (quod erat grauius) con
nantis Domini sermonē intercidere atque impedire veriti f
Hæc enim omnia impedimenta flagrās salutis amor super

Quanto ſtudio animæ ſuæ ſalutem homines, quanto corporis quærerent! Quid enim non faciunt, vt corporis ſaluti proſpiciant? Quas opes non profundunt? Quibus ſe laboribus nõ addicunt? Et quid non tandem huius rei gratia patiũtur? Si ob hoc enim ad longinquas terras peregrinandum ſit, peregrinantur: ſi corpus diuturna inedia extenuandum, extenuant: ſi à ſolitis voluptatibus atque deliciis abſtinendum, abſtinẽt: ſi ferro, & igne, & inciſionibus opus ſit, ferrum patiuntur & ignem, vt corporis diſpendio maius redimant eiuſdem corporis diſpendium. Quæ igitur inſania eſt cùm morituri corporis gratia tam multa facias, nihil propter immortalem animam pati? Quanta verò inter vtranque partem nobilitatis diſtantia eſt? Altera quidem cæli, altera terræ portio eſt: altera mortalis, altera immortalis: altera diuinæ pulchritudinis, altera belluarum imaginem refert: altera ex limo, hoc eſt viliſſima terræ parte formata, altera afflatu diuini pectoris in corpus infuſa: altera nobis cum brutis, altera cum angelis communis eſt. Poſtremò quicquid in corpore pulchritudinis, vitæ, & gratiæ eſt, ab animæ virtute proficiſcitur: quod planè eius à corpore ſeparatio declarat. Cur igitur nobiliſſima noſtri parte neglecta, tanto ſtudio viliſſimam curamus? Si domus tua, aut ſtabulum ex æquo ſimul periclitarẽtur, vtri potius ſuccurrendum putares, domui, an ſtabulo? Si nauis oneraria, aut ſcapha tua in mari periclitaretur, vtri potius ſubuenires, naui, an ſcaphæ? Si arca quidem vna poculis aureis plena, altera verò æneis repleta à latronibus ſuffoderentur, vtri earum potius ſubueniendũ exiſtimares? An non extremæ eſſet dementiæ his rebus pretioſis relictis, viliſſimis ſubuenire? Cùm ergo tã multis partibus anima corpori præſtet; quæ inſania eſt, omnem curam & ſtudium in tuenda corporis ſalute ponere, nullamque omnino diuinæ huius partis rationẽ habere: opes omnes in illius ſalutem & indulgentiam effundere, & vix obolum in animæ ſalutem expendere? Fateor nulla eſſe verba, nullam dicendi vim, quæ huius tantæ cæcitatis indignitatem (qua maxima generis humani pars laborat) pro meritis explicare queat.

Sed ad hiſtoriam redeamus: *Videns Dominus fidem illorum, ait Paralytico, Confide fili, &c.* Hoc in loco quæri meritò poteſt, cur Dominus horum hominum fidem potius attenderit, quàm eorum ſtudiũ, qui ægrotanti tanta cura ſubuenire volebãt, quod miſericordiæ & charitatis opus erat, quæ virtus Deo gratiſſima eſt. Cur non etiam attendiſſe dicatur longam ægroti ex diuturno morbo patientiam, aut magnam illius miſeriam, quæ il-

lum misericordiæ fontem ad misericordiam commouere sæpe
solet. Non dubium igitur, quin hæc omnia miseratione digna
essent: Dominus tamen fidem præcipuè vidisse dicitur, non so-
lùm ad fidei commendationem, sed ob hoc etiam, quòd fidei
proprium sit, à Deo consequi quod credit & sperat. Vt enim
Charitas merendi, ita Fides principium & causa est impetrandi,
dicente Domino, Quicquid orantes petitis, credite quia acci-
pietis, & fiet vobis. Quo in loco fidem simul cum fiducia co-
pulauit: credere enim ad fidem, spectat: quòd autem id
quod credis, accepturum speres, ad spem atque fiduciam
pertinet. Ex hac autem Domini sententia intelligere licet
tres, quantæ sint huius spei atq. fiduciæ opes. Quid enim
ius homini promitti potuit, quàm quòd ab omnipotente
assequatur quicquid hac spe & fiducia postulauerit? Hac e
ratione Deum homo ad se trahit, & per illum omnia pot-
Rom. 5. spes enim (vt Apostolus ait) non confundit. Quid igitur illi po-
test nocere? quid obesse? qui hac virtute Deum sibi tutorem,
protectorem, atque patronum facit? Quæ illum solicitudo a-
gere, quæ cura torquere poterit? Huius autem viri felicitatem
Hierem. 17. atq; opes Hieremias Propheta describit his verbis: Benedictus
vir qui sperat in Domino, & erit Dominus fiducia eius; h
nunquam illi frustrà fidet, nunquam illi Dominus deerit
autem Dominus fiducia eius, quia omnipotens Dominus
in tutorem ac defensorem præbebit. Quid autem ex hac fi-
consequatur, declarat protinus, cùm subdit: Et erit quasi lignum
quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit
dices, & non timebit cùm venerit æstus. Et erit folium eius
ride, & in tempore siccitatis non erit solicitum, nec vnquam
desinet facere fructus. Hactenus ille. Quod verò ait: In tem-
pore siccitatis non erit solicitum, apertè indicat pios homines
virtutis huius firmitate munitos, nihi metuere, nihil trepida-
re, etiam si variis vndique periculis & angustiis cincti sint, cum
Deum habeant salutis & incolumitatis suæ vindicem ac defen-
sorem. Hinc virtutis huius præsidio regius Propheta fultus, p
Psal. 26. mosa illa verba protulit: Dominus illuminatio mea & sa
mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ à quo tre-
dabo? Si consistant aduersum me castra, &c. Sic etiam E
sæus eadem spe confirmatus, seruo trepidante, ipse placidis-
4. Reg. 6. mo & tranquillo animo erat: puerοque lucem à Domino im-
trauit, qua cæleste præsidium quo Propheta cingebatur, ap
Esai. 40. videret. De hac eadem spe Esaias quoq;: Qui sperant, in

in Domino, mutabunt fortitudinem; quia videlicet humanam fortitudinem in diuinam quodammodo permutabunt. Quæ res quantam Deo atque homini gloriam pariat, breui oratione Diuus Bernardus complexus est cùm ait: Nihil est quod Bernar. omnipotentiam Verbi clariorem reddat, quàm quòd omnipotentes facit sperantes in se. Quam viri sanctissimi senten- Marc. 9. tiam Dominus in Euangelio confirmat. Cuidam enim patri lunatico filio salutem dubia adhuc fide petenti, ac dicenti, Si quid potes adiuua nos misertus nostri, Dominus respondit: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Videtis hic omnipotentiam dari credentibus, sic videlicet credentibus, vt etiam quod credunt, fideliter à Domino sperent? Hac enim de causa Apostolus dixit, Omnia possum in eo, qui me confortat. Omnia Philip. 4. verò posse Dei solius est, aut eius qui Deum intra se habeat protectorem.

Quid igitur ex his consequitur fratres? Illud certè, vt hæc tam magnifica Dei promissa, & has tantas spei atque fiduciæ opes considerantes, preces nostras hac virtute munire atque iuuare studeamus, eademque freti in omni calamitate ad eius opẽ & misericordiam confugiamus, qui suppliciter ac fidenter ad se confugientibus nunquam deest.

II.

Video autem fratres, vos altissimæ huius virtutis amore incensos à me requirere; qua potissimùm ratione eam fulcire & corroborare valeatis: cùm præsertim peccatorum memoria, & inopia meritorum mentem nostram ab huius spei firmitate deiicere soleat. Hoc est igitur, quod paulò fusius vobis explicare contendam, quo pretiosam hanc margaritam vobis comparare valeatis.

Primùm igitur attollite paulisper oculos, & immensam Dei misericordiam & bonitatem contemplamini; quæ tunc illustrior apparet, cùm indignioribus parcit, nec ab eis miserationum suarum opem subtrahit. Hac enim de causa Apostolus ait, Rom. 3. iniquitate nostra Dei iustitiam commendari: eiusque veritatem in nostro mendacio abundare. Qua de re sic Picus Mi- Picus Mir. randulanus:

Maior in erratis bonitatis gloria nostris,
Et dare non dignis, res mage digna Deo est.

Itaq. prudẽtissimè mihi Diuus Basilius (vt in eius vita scribi- Basil. tur) orasse Dominum videtur. Ad quem cùm femina quædam multis peccatis, eisdemq; grauissimis obnoxia venisset, vt per il-

lum

lum veniam impetraret, ad Dominum conuersus ait, Domin
mulieris huius peccata numerari possunt, misericordiæ autem
tuæ numerari non possunt. Qua oratione placatus Domin
mulieri peccata dimisit.

Deinde verò in merita Domini Saluatoris & pretiosum eius
sanguinem oculos conuertere debemus, quem proposuit Deus
propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Quæ quidem e
ius merita non solùm ad peccatorum remissionem, sed ad om
nia etiam vitæ pericula depellenda nobis opem conferunt. H
bemus autem innumeros in literis sanctis huius diuinæ m
Ioan. 14. cordiæ atque prouidentiæ obsides. Hinc ipse Dominu
Ioan. 10. men, amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine
dabit vobis. Idemque alibi: Ego, inquit, sum ostium ou
Per me si quis introierit, saluabitur & ingredietur & egre
tur, & pascua inueniet; hoc est omnibus in rebus atque ne
tiis immensas diuinæ gratiæ & misericordiæ opes per me
quetur, quibus eius anima mirabiliter in Domino pascatur
oblectetur. Quam cælestium donorum abundantiam indi
protinus cùm subdit: Fur non venit, nisi vt furetur, & ma
& perdat. Ego veni vt vitam habeant, & abundantius ha
O aurea verba, & in imo pectore nostro altissimè infi
quibus in cunctis precibus nostris, & in omni calamitate
pressura labentem animum erigere, atque in spem att
possemus! His enim verbis Dominus inperuestigabiles
uitias suas, & amplissimam noui testamenti, & aduentus
Ioan. 10. gratiam designauit; quæ longè copiosius quàm anteà in h
mines effusa est. Hoc enim significauit, cùm ait, Vt vi
habeant, & abundantius (quàm antea videlicet in lege hab
runt) habeant. Hæc igitur præcipua spei nostræ column
firmamentum est.

Tertiò in diuinæ promissionis fidem atque veritatem me
tem attollere debemus: quæ certissimam misericordiæ suæ
ad se suppliciter confugientibus, innumeris sanctarum scrip
rarum locis promittit. Hinc Saluator in Euangelio curis at
peccatis grauatos homines ad se amantissimis his verbis vo
Matt. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego ref
Apoc. 22. vos. Quid illud in Apocal. Qui sitit, veniat ad me, & bibat
quam vitæ gratis? Hoc est igitur tertium spei nostræ fun
mentum; nempe diuinæ promissionis veritas: cuius firmitat
atque constantiam Dominus etiam iureiurando confirmat
Hebr. 6. (quemadmodum Apostolus ait) per duas res immobiles, qu

im

impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus: qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram animæ habemus tutam atque firmam. Singulari autem ratione, spei vim anchoræ nomine designauit. Vt Simil.
enim anchora in mediis fluctibus nauem tutam conseruat: ita spei virtus mentem hominis variis calamitatum fluctibus agitatam, non solùm ab omni periculo, sed etiam ab inani formidine atque trepidatione immunem retinet.

His tribus firmissimis spei nostræ columnis quartam addo, nempe præterita diuinæ clementiæ beneficia: quæ quisque nostrum recepisse se meminit. Hinc regius Propheta admi- Psal.45.
randam illam fiduciam demonstrauit cùm dixit: Deus noster refugium, & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis. Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris. Nihil his verbis confidentius, aut animosius. Quis igitur, vates sancte, tantum pectori tuo spei robur contulit? Certè præteritorum beneficiorum recordatio, quæ futura sperare me docuit. Is enim adiutor fuit in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis. Quocirca nihil dubito, quin à futuris cladibus incolumes seruet, qui à præteritis benignissimè seruauit. Contra verò Assa Regem grauissimè per Prophetam corripuit, qui cùm misericordiam atque tutelam Domini aduersus innumerabilium hostiũ exercitum expertus esset, vbi se à Rege Israëlis obsideri vidit, prioris beneficij immemor, spem omnem ad humana præsidia conuertit. Sic enim de eo Paralip. 2. scriptũ est: In tempore illo 2. Para.16.
venit Hanani Propheta ad Assa Regem Iuda, & dixit ei, Quia habuisti fiduciam in Rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo; idcirco euasit Syriæ Regis exercitus de manu tua. Nonne Aethiopes & Libyes multo plures erant quadrigis, & equitibus, & multitudine nimia: quos, cùm in Domino credidisses, tradidit in manu tua? Oculi enim Domini contemplantur vniuersam terram, & præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum. Stultè igitur egisti, & propter hoc in præsenti tempore aduersum te bella consurgẽt. Simili ratione Dominus discipulos suos corripuit cùm eos solicitos vidit, quòd panes secum iter facturi non portassent. Sic enim ad illos ait, Quid cogitatis inter vos modicæ fidei, quia panes non habetis? Nondum intelligitis neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum, & quot cophinos sumpsistis? nec septem panum, & qua- Matt.16.
tuor millia hominum, & quot sportas tulistis? Videtis ergo, fratres,

tres, grauiter increpari discipulos, quòd præteritis benefici instructi, futurorum spem non conciperent? His igitur quatuor columnis spei nostræ infirmitatem fulcire debemus, fratres. Quæ omnia non eo consilio à me dicta sunt, vt hac ipsi virtute & fiducia diuinæ misericordiæ ansam improbis hominibus ad peccandum darem. Talium enim non quidem spes, sed præsumptio nequissima est: quæ non iram Dei placat, sed prouocat: non eius misericordiam impetrat, sed indignationem meretur: non eum honorat, sed blasphemat, quæ eius bonitate & misericordia ad suam abutitur nequi Quorsum igitur hæc à te inducta sunt? Hac planè de vt (quemadmodum paulò antè diximus) preces vestra spe munire studeatis, cuius est impetrare quod sperat; de etiam vt in omni calamitate trepidantem atque nutantem mum hac diuinæ misericordiæ fiducia sustentare atque e re valeatis. His ergo rationibus, fratres, incomparabilem thesaurum adipisci poterimus, per quem in tenebris lucem periculis victoriam, in morbis sanitatem, in egestate diuitias rebus dubiis consilium, in afflictis inuictum animi robur, postremò ipsum Dominum in vitæ atque salutis nostræ p ctorem atque defensorem nancisci poterimus.

Longius forsitan in huius virtutis commendatione e sum: verùm id consulto feci, ne parum absolutam doct de spei virtute relinquerem, si cùm eius opes tantoperè mendassem, rationem, qua eam adipisci possetis, non ape sem. Nunc ad sequentia veniamus.

Cùm ergo Dominus dixisset: *Confide fili, remittuntu bi peccat tua*; Pharisæi & scribæ qui tum aderant, blasphe re illum arbitrati sunt, quòd peccata remitteret, quam rem uinæ potestatis esse intelligebant. Eius enim est offensam mittere qui offensus est. Quorum Dominus cogitationes spiciens, *Vt quid* (inquit) *cogitatis mala in cordibus ve Quid est facilius dicere, Dimittuntur tibi peccata tua*; an di *Surge & ambula? Vt autem sciatis quia filius hominis hab testatem in terra dimittendi peccata, tunc ait Paralytico*, S *tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* His verbis minus eiusdem potestatis esse docuit Paralyticum sanare peccata remittere: hoc enim designauit cùm dixit, *Quid e cilius dicere?* perinde atque vtrunque opus eiusdem facili vel difficultatis esset. Cui tamen sententiæ obsistere vid quod Augustinus illum Ioannis locum 14. Maiora horu

gie, explanans ait, maius esse opus impij iustificationem, quàm terræ molitionem. Verè enim maius & illustrius opus est impium iustificare, quàm ægrotum sanare: cùm illud ad spiritum, hoc ad corpus pertineat. Nihilominus tamen rectè Dominus vtrunque ad se pertinere probauit. Cùm enim sine nominis alicuius inuocatione solo iussu & imperio Paralyticum sanauit (quod nemini sanctorum conuenit) se verum esse Deum comprobauit, ad quem spectat peccata remittere. Deinde cùm miraculum curationis Paralytici ediderit, vt se potestatem remittendi peccata habere comprobaret; necessariò sequebatur hanc ipsum potestatem habere; cùm miraculorum sit eius rei fidem facere, in cuius testimonium fiunt. Sunt enim quasi sigillum quoddam Dei, quo is aliquid auctoritate sua verum esse confirmat. Hactenus de Euangelica lectione: nunc de spirituali animorum paralysi in reliqua concionis parte disseramus.

TRACTATIO THEMATIS.

Iam primum cōstat, dilectissimi, inter res omnes à Deo conditas singulare quiddam ac proprium in homine reperiri. Omnes quippe res simplici natura constant. Aut enim incorporeæ sunt, in quo numero substantias separatas ponimus, quas Angelos vocamus; aut prorsus corporeæ, cuiusmodi bruta animantia, cæteraque brutis animantibus inferiora sunt. Homo verò ex duplici natura ita constitutus est, vt Apostolus non dubitauerit in vno homine duos homines dissimilis naturæ, internum scilicet & externum assignare. Cuius rei illud in causa est, 2 Cor. 4. quòd ea quæ inter duo extrema velut media constituta sunt, vtriusque extremi naturam participant. Rationalis verò anima inter formas corporeas, & incorporeas media collocatur. Ideoque tanquam forma brutorum hæret corpori suo, vitā illi præbens, ipsumque informans & viuificans: eademque instar separatæ substantiæ à corporeo organo disiuncta, intelligēdi vim tanquam Angeli, habet. Itaque altera sui parte cum brutis, altera cum Angelis mirabili Dei virtute atque sapientia cohæret. Quo nomine rectissimè à Philosophis mundi nodus appellatur, quòd in se supera & infera, spiritualia atque corporea in vnum conglutinet. Sic enim voluit sapientissimus ille mundi architectus conditarum rerum ordinem in vnius hominis natura connectere atque colligare, ne rerum ordo à se veluti diuulsus atque disiunctus esset.

Cùm igitur in vno homine duas naturas adeò inter se dissimiles,

similes, corpoream scilicet ac spiritualem agnoscamus; necessa-riò fatendum est, vt quemadmodum duplicem in eo naturam ponimus, ita duplicem vitam, duplicemque sanitatem cōfite-mur. Neque verò pauciores aut leuiores animorum mor-quàm corporis sunt; sed multò etiam plures & grauiores: cu-longè grauius & periculosius sit meliorem hominis partem quàm inferiorem ægrotare.

Verùm, cæteris in præsentia omissis, de spirituali par-quæ ad huius sacræ lectionis rationem pertinet, à nobis differendum est. Hanc inter omnes animæ ægritudin-
Climacus. Bernar. ximè lethalem esse Ioannes Climacus ait, eamq; (vt pau-videbimus) insensibilitatē animi vocat. A qua sententia D. nard. non abhorret, cùm ait, longius à salute abesse mem-quod obstupuit, & ægrum sese non sentiens, periculosius l-rare. Faxit autem Christus ne quis dum hoc argumentum-ctamus, hoc eodem morbo laboret. Frustrà enim nihil se-tem admonebimus, nisi interius ille mentem moueat, qu-
Gregor. Homil. 30. die Paralytico sensum & motū contulit. Hinc D. Gregor. N-Spiritus sanctus adsit cordi audientis, otiosus est sermo d-ris. Nemo ergo docenti homini tribuat quod ex ore docēti-telligit: quia nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua in va-exterius laborat. Hæc ille.

Sciendum est igitur, esse quandam spiritualem anim-paralysim, cuius naturam ex corporea paralysi intelligen-bit. Vt hoc autem intelligamus, scire oportet, quòd quema-dum ab hepate sanguinolentæ venæ, & à corde arteriæ, à capite nerui deriuantur, per quos lucidissimi spiritus comm-quos animales medici vocant; qui in omnia corporis mem-diffusi, sentiendi atque mouendi vim tribuunt. Si qua-autem humor aliquis noxius hos neruorum meatus obstr-rit, omnia deinde membra torpent, atque omni motu pri-tur: Ita fit, vt Paralyticus homo viuum quoddam cadauer videatur, qui lectulo affixus, membrorum omnium vsu at-motu careat. Rursus etiam sciendum est, quòd cùm in an-nostra (vt paulò antè diximus) duæ partes dissimilis adeò n-ræ sint, vt altera brutorum, altera angelorum similitudinem-rat; in hoc homo à Deo conditus est, vt superiorem illam an-suæ partem, in qua intellectus, voluntas, atque memoria e-superiora atque diuina attollens cælesti lumine & gratia d-nisq; illuminationibus, quæ spiritualem vitam alunt, atq; p-ciunt, cōpleatur. Quam rē sanctissimi quiq; viri diligenti-

profiterunt, qui se totos diuinarum rerum studio consecrarunt. Quos Theodoretus appositissimo nomine mentes alatas habere dixit. At contrà carnales homines ab hac cura longissimè abducti, has easdem animæ suæ vires vsqueadeò terrenarum voluptatum & cupiditatum studio addixerunt, vt nihil per eas diuinum, nihil spirituale, nihil cæleste transeat. Itaq. misera anima sic affixa iacet infelici grabato cupiditatum carnis, in quibus conquiescit, vt viuens mortua sit, nullumq; ex seipsa robur habeat, quo à terrenis ad cælestia erigatur: quodque miserabilius est, cùm eadem ad terrena bona consectãda viuacissima & oculatissima sit, ad cælestia atque diuina cæca prorsus & mortua est. Legimus in libro Regũ, cùm ciues Iabes Galaad à Rege Ammonitarum graui obsidione premerentur, pacem his verbis ab eo postulasse: Habeto nos fœderatos, & seruiemus tibi. Quibus ille: In hoc, inquit, feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dexteros. Hoc igitur pacti genus mũdi princeps cum perditis hominibus pepigisse videtur. Cùm enim in spirituali homine duplex sit oculus; dexter, quo cælestia & diuina contemplatur, & sinister, quo terrena & humana intuetur; sic carnalium hominum naturam inuertit, vt cùm ad terrena omnia penetranda oculatissimi sint, ad cælestia atque diuina talpis ipsis cæciores habeantur. Quo fit, vt leuissima corporis bona auidissimè consectentur, animæ verò bona, quę sunt multis partibus præstantiora prorsus negligant atque fastidiant: sic etiam illorum iacturam acerbissimè deflent, horum autem, nec sentiunt quidem. 1. Reg. 11.

Neque intellectum modò, sed memoriam quoque hoc modo dæmon inuertit, vt sola quæ ad hanc breuem & momentaneam vitam pertinent, assiduè recolant, quæ verò ad illam quæ sempiterna & felicissima est, prorsus obliuiscantur. Fingunt fabulæ poëtarum esse apud inferos Lethæas quasdam aquas, quas vbi defunctorum animæ ebiberint, rerum omnium, quæ in hac vita reliquerunt, obliuiscuntur. At princeps huius mundi similes his aquas improbis hominibus propinasse videtur, quibus hoc efficit, vt cùm ea, quæ ad hanc vitam spectant in prospectu semper habeant, quæ ad aliam pertinent sic obliuiscantur, quasi ad illa neq. nati, neq. conditi à Deo essent. Hæc est ergo animorum paralysis, quæ miserum hominem ad spiritualia atq. diuina velut emortuum atque insensibilem reddit. Cui illud Salomonis conuenit: Peccator cùm venerit in profundum malorũ, contemnit: hoc est, quicquid ante eius oculos posueris, quo ad Prouer. 18

resipiscendum inducas, si mortem, si iudicium, si gehennam, si cælestem gloriam, si deniq; Christi crucem atque passionem, si innumera Dei beneficia, si quotidianas clades tum publicas tum priuatas propter scelera hominum immissas, si hæc inquã omnia oculis eius subiicias, pro nihilo ducit atque contemnit.

Prouer. 23 Huius enim est illa vox verberauerunt me, & non dolui: traxerunt me, & non sensi.

Hunc autem morbum Ioannes Climacus ait esse ignorationem compunctionis, desperationis ianuam, obliuionis ma diuinique timoris exclusionem. Qui autem (inquit) tales sunt, mortuos videntes rident, in oratione stantes lapidei toti ri, tenebrisque pleni sunt: sacramque intuentes mensam ad gustandum communem panem conueniunt. Hactenus macus. Quod autem hic sanctus vir insensibilitatem, D. Ber cor durum appellat, cuius naturam graphicè describit his v bis: Cor durum est, quod nec compunctione scinditur, nec pi tate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagel duratur, ingratum est ad beneficia, infidum ad consilia, sæuum ad iudicia, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, in humanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum ob liuiscens, præsentium negligens, futura non prouidens: ip est, cui præteritorũ præter solas iniurias nihil omnino no terit: futurorum nulla, nisi fortè ad vlciscendum prospec

Bernard. Cõsider. Hactenus Bernard. qui elegãtissima oratione huius morbi (quod vtinam latissimè non pateret) enumerauit. Talem igi hominem cùm videris, Pharaonem alterum existimato, qui monitis ac plagis Domini iterum atq. sæpè repetitis, noluit cipere disciplinam. In quanto autem salutis discrimine isti v

Eccl. 3. sentur, Ecclesiasticus breuiter exponit, cùm ait, Cor durũ habebit in nouissimo. Quia (vt D. August. inquit) hac p punitur peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui dum viu oblitus est Dei. Iustum quippe est vt difficilem experiatur D in morte, quem tota vita Deus difficilem atq. rebellem inu

III.

Sed nunquid hic morbus prorsus incurabilis est? Est pl Dominus Iesus, qui solo sermone restaurat vniuersa: cui mortui viuunt, ita insanabiles morbi sanari possunt. Hac

Hierem. 8 de causa Propheta clamat: Nunquid resina non est in Gal aut medicus non est ibi? Quare ergò non est obducta cic filiæ populi mei? Verùm expendamus qua ratione huic P lytico salutem Dominus contulit, *Surge* (inquit) *tolle grab*

bnum & vade in domum tuam. Quorsum hæc? An non satis erat dicere, Sanare, vel sanus esto? Satis planè: sed vt euidēs morbi curatio esset, surgere, grabatum tollere, & pergere in domum suam iubetur. Hæc enim apertissima perceptæ salutis indicia erant, eademque mysticè intellecta, spiritualis paralysis curationem & sanitatem indicant. Sunt enim qui se sanos arbitrantur, cùm nō sint: sunt rursus qui se ęgros esse existimāt, cùm sint sani. Quibus autem coniecturis Paralyticus noster de salute sua pronuntiare aliquid poterit? Habemus hîc (vt D. Bernard. ait) mystica perceptæ salutis signa: Si videlicet surgimus: si tollimus grabatum, & ambulamus. Bernard.

Primum itaque signum est surgere. Surgit autē homo, cùm sese ad rerum cælestium studium atque amorem attollit. Surge ergo quisquis in infimis iacebas, qui humiles voluebas in pectore curas: qui dies noctesque terrenis rebus incubabas. Quid enim aliud carnales homines in vita curant, quid cogitant? quid amant? quid cupiunt? quid aliud vigilantes ac somniantes agūt? Si verò iam paulatim oculos in cælum tollis, si cælestia meditaris, si de futura vita incipis esse solicitus: si mortem ante oculos quotidie impendentē vides: quisquis hoc facis, iam incipis surgere, teque iam ad hoc excitat Propheta cùm ait, Excutere de puluere, consurge, sede Hierusalem. Surge ergo qui in puluere terrenarum rerum iacebas, quibus amore nimio copulatus eras, sede, hoc est, in amore & complexu diuinarum rerum, à quo longissimè aberas, requiesce. Hoc ergo est primum perceptæ salutis signum. Esaiæ 52.

Proximum verò est, si tollis lectum in quo iacebas & à quo vehebaris. Hic se nobis fratres, pulcherrima philosophādi materia offert. Meminisse igitur oportet (quod paulò antè diximus) duplicem in anima nostra portionem esse, alteram superiorem, alteram inferiorem; quarum illam angelis, hanc brutis similem esse diximus. Illa enim consilio, ratione, atque diuina lege ducitur: hæc autem more pecudum impulsu & impetu cęco agitur. Cùm autem hoc ratio atque lex diuina pręscribat, vt inferior hæc portio à superiori dirigatur, tanta in carnalibus hominibus peccati vis est, vt hunc naturæ atque diuinæ legis ordinem prorsus inuertat; ita, vt inferior pars superiorē de statu & sede sua deiiciat, sibique seruire faciat. Ita fit vt sapiens à stulto, oculatus à cæco, nobilis ab ignobili, ac postremò dominus à stulto seruo, & (quod est multò indignius) homo à bellua in operibus suis dirigatur, dū sordida et cęca caro imperat, et spi-

ritus imperanti cedit & obſequitur. Quo quid eſſe mõſtroſiu,
Prouer. 30. quid indignius poteſt ? Hoc eſt enim , cuius gratia iuxta Salo-
monis ſententiam mouetur terra, cùm videlicet ancilla caro q-
ius erat conditio ſeruiendi ſedem vſurpat imperandi. Hoc eſt
igitur myſticè in grabato iacere , & à grabato vehi . At cùm ab
hoc infelici morbo Chriſti Domini virtute conualuerit hom-
iam tunc non à grabato portatur, ſed ipſe grabatum portat, h-
eſt, non à carne & carnis appetitionibus ducitur, ſed ipſe car-
ducit, eiuſque appetitiones ſibi ſubiicit ac moderatur. Tu-
tem homo, qui curuus incedebat , qui Tyranno ſubditu-
iam rectus incedit, iam naturæ ordinem ſeruat, iam ſed-
& dominationis ſceptrum recipit , & à turpi carnis ſer-
manumiſſus, in filiorum Dei libertatem aſſeritur, ac poſt-
à carnis tyrannide, eiuſque cupiditatibus liberatus, implet-
Eſai. 14. quod eſt à Propheta dictum : Erunt capientes eos qui ſe c-
rant, & ſubiicient exactores ſuos. Hoc eſt igitur myſticè gr-
tum portare, qui à grabato portabatur . Quam rem omne-
Dei præſtant, qui non iam carne ſed ſpiritu Dei aguntur.

Ex his ergo patet quæ ſit vel maxima inter ſpirituales ca-
lesque viros differentia, quòd illi videlicet ſpiritu, ratione
iudicio ducuntur , carnem ſpiritui ſubiicientes: iſti autem
cupiditatibus obſequentes, hisque cæcis monitoribus ac-
giſtris traditi, vitam ſuam non tam dirigunt , quàm conf-
In illis quidem princeps ratio regit affectus , in iſtis verò
Pſal. 118. ctus rationi imperant. Illi dicũt : Conſilium meum iuſtific-
Galat. 5. Eſaiæ 65. nes tuæ, & implent illud Apoſtoli ſi ſpiritu viuimus, ſpir-
Eccl. 2. ambulemus. Hi verò dicunt : Poſt cogitationes noſtras ib-
Et illud: Omnia quæ deſiderauerunt oculi mei, non nega-
neque prohibui cor meũ, quin omni voluptate frueretur.
igitur ſecundum & maximum ſpiritualis ſanitatis ſignum
Tertium verò eſt ambulare . Quid eſt autem autem
tualiter ambulare , niſi paulatim de virtute procedere in v-
tem? Iuſtus enim vt ex fide in fidẽ , & à claritate in clarit-
Philip. 3. ita ex virtute procedit in virtutem ; ſic fit , vt homo Ap-
exemplo quæ retrò ſunt obliuiſcens , ad anteriorem ſe ſe
extendat.

Bernard. Hæc igitur tria (vt D. Bernard. ait) ſigna ſunt hominis i-
nati . Neque enim quis ſurgeret, niſi pondere peccatorum
niatus eſſet; neque lectum ſuum portaret , niſi nouas vi-
gratiam accepiſſet; neque ingredi & ambulare poſſet, niſi
Pſal 83. dus peccatorum depoſuiſſet. His igitur gradibus ſanatus

[vir]tute progrediens in virtutem, tandem eò deueniet, vt per-[fe]cta mentis sanitate & integritate adepta, videat Deum deo-[rum] in Sion, cui est gloria & imperium in secula seculorum. [A]men.

DOMINICA DECIMANONA POST PENTECOSTEN CONCIO PRIMA: in qua lectio Euangelica explanatur.

THE. *Simile est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, & misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias.* Matth. 22.



PRæceperat olim Dominus filiis Israël, vt si ad expugnandam aliquam ciuitatem accessissent, primùm ei pacem offerrent: quam si ciues recepissent, cunctus populus, qui in ea esset saluus & incolumis relinqueretur. Si verò eam accipere renuissent, oppugnari iubebat, & interfici omne masculinum in ore gladij. Hanc legem, quam Dominus hominibus erga homines tulit, ipse etiam cum hominibus simili tenore custodiuit. Prius enim pacem & misericordiam suam hominibus offert: nolentes verò eius misericordiam recipere, aut ea in suam libidinem abutentes, debitis suppliciis pro eo, atque eorum improbitas meretur, plectit. Misericordiam ergo suam prius offert, in eos verò, qui misericordiam reiiciunt, exercet iustitiam. Inter has autem duas Domini virtutes hoc vel maximum discrimen est, quod misericordia gratis impenditur, iustitia verò meritis irrogatur. Vnde ad misericordiam impartiendam non semper requiruntur merita recipientiū: ad iustitiam verò exercendam subesse prius debent culpæ reorum.. Vnde misericordia ex Deo est, iustitia verò partim ex Deo quidem, partim ex nobis: dum peccator prius admittit culpam, & diuina postmodum censura exercet vindictam. Hoc autem (vt Clemens Alex. ait) columna illa nubis atque ignis, quæ filios Israël in deserto præcedebat, nobis innuit. Nubis enim (inquit) est refrigerare, atque à solis æstu & ardore protegere: ignis verò contrà, comburere atque vastare. Quos ergo nubes non fouet, ignis vastat, & ideò quisquis reiicit vmbram refrigerantem, ignem sentiet combu-

Deut. 20.

Clemens Alexand.

burentem. Idem etiam ſub alia metaphora apud Hieremiam
Hierem. 1 Dominus ſignificauit. Ait enim: Quid tu vides Hieremia? Et
ille, Virgam, inquit, vigilantem ego video. Ab eodemque
ſum interrogatus, quid videret, Ollam (inquit) ſuccenſam
video, & faciem eius à facie Aquilonis. Hoc in loco virgæ no-
mine paternam Dei diſciplinam intelligimus, qua is flagellat
omnem filium, quem recipit, nõ vt euertat, ſed vt corrigat. H-
eſt enim præcipuum huius paternæ virgæ officium. Hin-
tes regius de regno Chriſti loquens, Virga (inquit) direct-
Simil. virga regni tui. Vt enim paſtor virga vtitur, non qua oues
ſed qua eas à deuiis itineribus ad recta deducat: ita rex
idemque rationalium ouium paſtor virga correctionis v-
non vt oues ſuas feriat, ſed vt eas per ſalutis iter in vitam
Hier. 31. gat. Sic enim hæc virga direxit illum, qui ait: Caſtigaſti me
mine, & eruditus ſum, quaſi iuuenculus indomitus. Rectè
Senec. Seneca de huiuſmodi caſtigatione: Nemo, inquit, prudens
nit quia peccatum eſt, ſed ne peccetur. Ad hunc ergo mo-
Dominus etſi aliquando iuſtè punit, quia peccatum eſt, f-
quentiſſimè tamen punit ne peccetur. Prius ergo Propheta
D. Chry. in Hom. ad Pop. Ant. gam videt vigilantem, deinde ollam ardentem: quia nim-
(vt D. Chryſoſto. interpretatur) ei, qui paternę virgæ caſtig-
nem non recipit, olla ſuccenſa, hoc eſt, gehennæ ignis pa-
eſt. Quorſum hæc? Nimirum quia hoc ipſum eſt quod
hodie Euangelica parabola deſignat. Ea nanque ex altera p-
largiſſimam Dei noſtri erga nos gratiam & miſericordiam
ponit: ex altera verò iuſtiſſimam atque ſeueriſſimam adu-
huius gratiæ & miſericordiæ contemptores, veluti ſpectan-
proponit. Ait igitur:

Simile eſt regnum cælorum homini regi, &c. Regni cælor-
nomine quo frequentiſſimè Saluator in Euangelica doct-
vtitur, non modò ipſum regnum (quò omnia fidelium v-
aſpirant) ſed omnia etiã quæ ad hoc regnũ conſequendum p-
tinent, intelligimus. Regnum verò cælorum de quo in p-
ſenti agitur Euangelio, Eccleſia eſt: Rex verò, Deus Pa-
Sponſus, eius filius: Sponſa autem quæ illi quæritur, ſac-
ius humanitas eſt. Huius verò matrimonij pronubus, Spir-
ſanctus extitit, qui æternum Dei verbum inexplicabili rat-
humanæ naturæ in vnitate perſonæ ita coniunxit, vt in du-
natura vna tantùm perſona conſiſteret. Nuntij verò qu-
eas nuptias homines inuitant, Prophetæ, Apoſtoli, atque o-
nes diuini verbi doctores fuerunt. Prophetæ enim Iud-

Ap

Apostoli verò atque Apostolici viri non modò Iudæos, sed etiam gentes ad has filij Dei nuptias vocauerunt. Ad has autem nuptias vocari, nihil est aliud, quàm ad bonorum omniũ communionem, quæ filij Dei incarnatio attulit in mundum, inuitari. Quidquid enim gratiarum sacra illa humanitats recepit, in salutem hominum redundauit. Christo enim seruatori illa vox maximè conuenit: Si comedi buccellam meam solus, & alienus non comedit ex ea. Quid hoc est? Nimirum quod Iob. 31.
Apostolus breui oratione explicauit, cùm nos & Christi participes effectos, & Christum induisse ait. Hic igitur fratres (vt vno verbo dicam) harum cælestium nuptiarum & apparatus & fructus est.

Liceat tamen nobis quærere à te Domine Iesu, quæ te vis impulit, quæ necessitas adegit, vt hanc adeò infimæ conditionis sponsam tibi volueris copulare? In matrimoniis nanq; homines generis nobilitatem in coniuge primùm spectare solent. Humanitas verò hæc quam in sponsam cupis assumere, ignobilissimi generis est: vtpotè quæ à primo generis humani parente, atque adeò proditore originem ducit. Si alios verò parentes requiras, qui post primum illum sequuntur, inuenies quidem alios homicidas, alios adulteros, alios idolorum cultores, alios verò multis variisque criminibus contaminatos. Quomodo ergo tam ignobili genere sponsam eligere cupis? Adde his etiam consanguineorum sortem non minus refugiendam. Quamuis enim ingenuus aliquis ingenuam ducere velit vxorẽ, si ea tamen consanguineos habeat vel ære alieno oppressos, vel multorum criminum reos, ab huiusmodi coniugio deterretur: propterea quòd omnia hæc onera atque debita in virum tandem recidere debeant. Hæc igitur & multa alia cælesti huic sponso obiicere possemus: quæ tamen omnia vehementissimus generis nostri amor superauit. Simile quiddam Samson matri suæ respondit. Cùm enim alienigenam vxorem ducere Iud. 14.
vellet, & parentes illi indignum esse dicerent, ex incircuncisorum genere vxorem ducere, cùm essent multæ egregiæ feminæ in populo suo quibus matrimonio copulari posset, ille quidem in eadem sententia perstitit, & amorem huius coniugij causam esse dixit. Idem ergo Christus Dominus huic interrogationi nostræ respondere posset, se generis nostri amore deuictum, humanam sibi naturam desponsasse, quò in ea generis humani (quod primi parentis vitio perierat) salutẽ operaretur. Hic igitur summus erga nos Dei nostri amor huius tãti beneficij

Bernard. præcipua extitit causa. Amor inquam (vt D. Bernard. ait) digni-
tatis nescius, dignatione diues, affectu potens, suasu efficax, &
laborum omnium periculorumque contemptor. Hic ergo a-
mor tantum apud rerum omnium conditorē potuit, vt (quem-
Philip. 2. admodum Apostolus ait) exinaniret semetipsum, formam ser-
ui accipiens, in similitudinem hominum factus, obediens fact(us)
vsque ad mortem.

I.

Nunc quoniam quò se demiserit diuina maiestas vidi(mus),
quò sublata fuerit assumpta humanitas, videamus. Quis (non)
exclamet? quis non obstupescat? In vulgaribus quidem h(omi)-
num cōiugiis sponsæ, bonorum omnium sponsi particip(es ef)-
ficiuntur: hic autem assumpta humanitas non modò ad bo(norum)
omnium sponsi societatem, sed etiam ad altissimam illam & (in)-
effabilem in eadem persona filij Dei communionem sic ele(ua)-
ta fuit, vt illo eodem esse, quo Dei verbum subsistit, huma(nitas)
quoque subsisteret. Quo factum est, vt cùm vtriusque na(turæ)
idem sit suppositum, atq. persona, mutua quoq. sit omniū id(io)-
matum & proprietatum cōmunio, ita vt quæ hominis prop(ria)
sunt, Deo conueniant: & quæ sint Dei singularia, homini (tri)-
buantur. Quo quid esse mirabilius atq; sublimius potest? V(e)-
ris igitur quo assumpta humanitas per Dei gratiā fuerit e(leua)-
ta? Certè ne per ipsam quidem diuinā potentiā altius attol(li po)-
tuit. Hanc autem summā infinitamq; dignitatē cætera de(inde)
dona consecuta sunt. Propter hanc enim vnionis gratiam gr(atiæ)
deinde capitis, absq. vlla mensura ei data est: gratia quidē v(nio)-
nis ad eius humanitatis gloriam: gratia vero capitis, ad nost(ram)
Ioan. 1. omnium salutem. De plenitudine quippe eius (vt Ioannes (ait)
nos omnes accepimus gratiam pro gratia: hoc est, pro gratia (quæ)
ei data est capitis, gratiam iustificationis. Hoc est igitur nupti(arum)
conuiuium, ad quod in præsenti Euangelio homines inuita(n)-
tur, vt videlicet gratiarum omnium participes fiant, quas D(ei)
filius per incarnationis suæ sacramentum attulit in mundum.

Cæterùm inuitati ad has nuptias homines venire noluer(unt).
Videte quæso, fratres, hinc quidem immensam Dei nostri (bo)-
nitatem, inde verò execrandam hominum prauitatem: vid(ete)
summum Dei nostri desiderium, summumque hominis fa(sti)-
dium. Ille esurit salutem nostram, quæ nihil ad se pertinet: n(os)
verò, quorum tota salus est, eam negligimus & fastidimus. C(er)-
tè si Deus ipse nostro esset iudicio æstimandus, vlterius pro(ce)-
di minimè debuisset. Immensa tamen eius bonitas & char(itas)

qui salutem nostram desiderat, in eadem vocatione ipsum per-
sistere facit. Itaque ne hac quidem adeò illiberali hominum re-
pulsa deterritus (velut pius pater, qui ægrotanti filio salutaria Simil.
pharmaca repudianti, iterum atque iterum eadem ingerere nō
cessat) ita alios rursum seruos destinauit, qui propositis magni-
fici huius conuiuij dapibus, eos ad illud inuitarent. *Dicite* (in-
quit) *inuitatis: Ecce prandium meum paraui. Tauri mei & alti-
lia occisa sunt, & omnia parata, venite ad nuptias.* Hac oratione
Dominus omnia, quæ ad humani generis salutem pertinent, v-
nico verbo complexus est: quando omnia parata esse dixit. Atq;
vt hoc apertius intelligatis, præcipua Dominici aduentus causa
prius intelligenda est. Vt autem vno verbo hoc expediā, in hoc
Dei filius venit in mundum, vt (quemadmodum D. Thom. ait) D. Thom.
homines Deos faceret, factus homo. Quonammodo Deos?
Quoniam ad hoc venit, vt eos diuinæ felicitatis & gloriæ parti-
cipes efficeret: quæ quidē felicitas soli Deo diuinitatis iure non
vlli rei creatæ conuenire potest. Quia verò huius finis adeptio
omnem creatæ naturæ facultatem superat, ideò supernatura-
libus donis & auxiliis egebat homo, quò illum assequeretur.
Hæc igitur omnia copiosissimè nobis contulit Christus Domi-
nus. Primùm enim (quod caput erat) reconciliauit nos Patri, I.
à quo nos peccata nostra abalienabant.
Deinde (quod maxime necessarium erat) iter nobis in cęlum II.
non inuolucris & figuris (vt in lege olim) sed apertissima Euan-
gelicæ doctrinæ luce patefecit. Ipse admirandis vitæ virtu- III.
tumque suarum exemplis incomparabilem doctrinæ videlicet
atque efficaciam addidit. Ipse etiam nouæ legis sacramenta IIII.
instituit: quæ non modò peccatorum remissionem & gratiam
conferunt, sed etiam animorum nostrorum morbos & vulnera
sanant. Iam verò cùm tota salus nostra in charitate sita sit, di- V.
lectio autem beneficiorum perceptione maximè excitetur, tam
multa is in nos, tam varia, & magnifica beneficia nascens, vi-
uens, moriens, resurgens, & in cælum ascendens contulit, vt
plusquàm ferrei cordis sit, quisquis illum toto pectore, totis-
que visceribus non diligit. Ipse etiam cùm nos nudos à nu- VI.
dis videlicet parentibus propagatos, & meritorum, atque vir-
tutum, spiritualiumque diuitiarum egentes cerneret, omnium
virtutum, laborum, dolorum meritorumque suorum sic esse
participes voluit, vt præter corporis & nominis sui gloriam,
nihil sibi ex tanta meritorum suorum segete sumpserit; sed
ea omnia ad inopiam nostram leuandam atque locupletandam

VII. contulerit. Nec his tantis præsidiis donisque contentus, tan- quam æternus sacerdos perpetuò apud Patrem interpellat pro nobis, dum sacram illam humanitatem quam pro nobis sum- psit, & vulnerum stigmata, quæ pertulit, hoc est, pretium redemptionis nostræ ante illius conspectum jugiter offert. Hac igitur interpellatione, his meritis, & primam gratiam, & eius incrementum, & cætera Spiritus sancti dona nobis pro- meritus est. Quæ autem oratio consequi possit, quæ di- nus hic Spiritus in piorum mentes illapsus, operatur? qui- los luce perfundit? qua charitate incendit? qua virtute ro- rat? quibus deliciis oblectat? quam illis pacem? quam cor- corporis puritatem tribuit? Huc enim omnia Saluatoris a merita & beneficia tendebant, vt hic cælestis spiritus men- nostris illaberetur: sola quippe eius virtus atque præsentia a- iumenta omnia atque præsidia quibus propositam nobis feli- tatem assequamur, plenissimè præstat. Quid enim illi ad sa- lutem & vitam deesse poterit, qui intra se salutis & vitæ aucto- rem habet? qui ipsum moneat? qui protegat? qui regat? qui di- rigat? & à cunctis hostibus & periculis tueatur? Quæ cùm i- sint, an non immeritò Saluator omnia parata esse dicit, quæ salutem nostram necessaria erant? Hæc sunt ergo præcipua cula nuptiarum, ad quæ nos Dominus olim quidem per a- stolos, modò verò per Ecclesiam inuitat.

II.

Nunc expendamus, quid inuitati ad hæc respondeant. Cer- omnia relinquere, nullam moram interponere, gestire, & ex- re præ gaudio, & immortales Domino gratias agere deberen- ipsumque perpetuis hymnis & canticis celebrare: quòd nu- sua necessitate, sed sola bonitate, indignos & immeritos ad hoc cæleste epulum, hoc est, ad tantorum bonorum communionem vocare dignatus sit. Hoc ratio, hoc æquitas, hoc grati animi offi- cium, hoc ipsa demum vtilitas nostra exigebat. Sed quid tand- inuitati fecerunt, ô deploranda hominum cæcitas atque demen- tia. *Neglexerunt* (inquit) *& abierunt, alius in villam suam: a- lius ad negotiationem suam. Reliqui verò tenuerunt seruos eius, & contumeliis affectos occiderunt.* Quis hunc tantum perdito- rum hominum furorem non miretur, non detestetur, non ex- horrescat? Ea tamen hostis antiqui potentia, ea mundi nequitia, ea carnis nostræ malitia, ea multorum cæcitas est, vt ad has ep- las inuitati venire recusent. Quid igitur eos detinet? quid re- moratur? Hoc planè rebellionis indignitatem auget. N-

ca

enim ingens aliqua dignitatis spes, aut insignis commoditas,
sed vile lucrum,& carnis voluptas, & labētis seculi amor ab hoc Simil.
conuiuio reuocarunt. Itaque vt olim filij Israël ad eum cibum
quem illis Dominus pluerat (in quo saporum omnium suaui- Num.21.
tas inerat) nauseabant,& cæpe atque allia,& cucumeres, atque
pepones Aegypti, auidissimè cupiebant: sic isti cælestes dapes
fastidiunt,& fœdas carnis voluptates atq; terrena lucra illis an-
teferunt. Quid agis miser? quid eligis?quid relinquis? quid in
pretio habes?quid contemnis ac despicis?O quàm verè sub no-
mine Canaan de improborum hominum peruersitate Prophe-
ta dicit:Canaan,in manu eius statera dolosa;in qua videlicet nō Oseæ 12.
æquis ponderibus spiritualia & temporaria bona librantur. Hic
enim velut in altera stateræ parte Deus & hæreditas æterna, in
altera verò terrenum lucrum, aut popularis aura, vel voluptas
carnis proponitur: & in tam dispari rerum conditione homo
adeò desipit & insanit,vt in statera cordis eius fœdissimam bru-
torum voluptatem Deo anteferat, plusque apud illum vile lu-
crum cum ipsa vita periturum, quàm hæreditas æterna nun-
quam interitura valeat. Quis igitur hoc non miretur? quis non
obstupescat? Quia verò homines hac tanta rei indignitate non
commouentur, cælos idem Dominus apud Hieremiam aduo- Hierem.2.
cat his verbis: Obstupescite cæli super hoc,& portæ eius desola-
mini vehementer. Cur ita Domine? quæ tanta stuporis cau-
sa?Quia duo (inquit) mala fecit populus meus, me dereliquе-
runt fontem aquæ viuæ:& fecerunt sibi cisternas dissipatas,quæ
continere non valent aquas. Hoc est,felicitatis siti laborantes,
fontem aquę viuæ,qua plenissimè satiari poterant deseruerunt;
& ad ea bona confugerunt,quæ non sitim extinguere, sed ma-
gis acuere & excitare solent;hoc est,ad fugitiuos honores, peri-
turas diuitias, & pecorum voluptates,quibus fœda carnis pruri-
go non extinguitur,sed irritatur.

Quid igitur supernus ille Rex faciet? Nimirum propter ne-
glectam misericordiam,exercet (vt initio diximus) vindictam,
& neglectoribus pacis, bellum dirum & exitiale infert. Vn-
de sequitur: *Rex autem cùm audisset, iratus est, & missis ex-
ercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum suc-
cendit.* Hic euidenter Dominus Iudæorum populum notat,
qui Messiam suum & Euangelicam gratiam recipere noluerūt:
aduersus quos diuina deseuit iustitia, dū eorū ciuitatē atq; Rē-
pub.deleuit. *Tūc ait Rex seruis suis: Nuptiæ quidem paratæ erāt,
sed qui inuitati erāt,nō fuerūt digni.Ite ergo ad exitus viarū &c.*

Quid

Quid hoc est? Nempe id quod apertè Apostolus significauit, cùm ad Iudæos dixit: Vobis oportebat primùm audire verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vita, ecce conuertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus Iesus, cùm aliàs, tum maximè cùm in hac parabola dixit: *Ite ergò ad exitus viarum, & quoscunque inueneritis, vocate ad nuptias: Et egressi serui eius in vias, congregauerunt omnes, quos inuenerunt bonos & malos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium.* Sequitur deinde:

Intrauit autem Rex, vt videret discumbentes: & vidit hominem non vestitum veste nuptiali. Hanc nuptialē vestem, omnes charitatem esse interpretantur. Dicitur autem vestis, tris quidem de causis. Vt vestis enim tegit animæ nuditatem, operit multitudinem peccatorum, ornat mentem ceu splendida vestis, & pulchriorem reddit, ac tandem tuetur à frigore huius gelidæ regionis, in qua tantum alget charitas, quantum flagrat immensa & infinita cupiditas. Nuptialis vero dicitur, quoniam ea potissimùm indutus Dei filius venit, cùm ad nuptias cum humanitate nostra celebrādas processit. Quamuis enim omnium virtutum fulgore ornatus fuerit, cùm ad nuptias venit, præcipuè tamen in eo charitas emicuit, quæ illum impulit, vt humanam sibi naturam copularet. Hanc enim de causa Dominicæ incarnationis opus Spiritui sancto peculiari quadam ratione tribuitur (cùm alioqui totius beatissimæ Trinitatis opus fuerit) quia nimirum Spiritus sanctus Patris & Filij amor est. Ideoque opus hoc illi assignatur, quod totum ex immenso Dei in genus hominum amore processit.

Quo in loco diligenter obseruandum est, duo generahominum in hac parabola designari, in quos diuina censura desæuit: alterum eorum qui ad nuptias venire renuerunt: alterum eorum qui inuitati quidem venerunt, veste tamen nuptiali caruerunt. Priorum nomine infideles accipimus, qui ad fidei conuiuium inuitati, noluerunt venire: posteriorum verò nomine eos, qui fidem quidem susceperunt, charitate tamen fidei socia atque germana destituti erant. Vtrique tamen à Domino damnantur: illi, quia sine fide, isti quia sine charitate ex hac vita decesserunt. Quod si ita est, quid illi dicent, qui de sola fide sine charitate blandiuntur? Vbi sunt, qui has vanæ fiduciæ voces iactare solent? Ego fidelis sum, Christum colo & adoro, ipse pro me mortuus est, morte sua mihi vitam peperit, san-

nis

uine ſuo peccatorum meorum ſordes lauit, vulneribuſq; ſuis vulnera mea ſanauit. Si quid admiſi, ipſe pro me luit, pleniſſimeq; æterno Patri ſatisfecit. Si hæc igitur informis & nuda fides ad ſalutem ſine charitate ſufficit, quid ſibi vult quod Dominus ad hunc hominem ait: *Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* Quiſquis enim intrauit in domũ conuiuij, vtique per fidei oſtium intrauit. Chriſtus enim oſtium eſt, per cuius fidem in Eccleſiam ingredimur. Et tamen qui huiuſmodi fidem charitate nudatam habuit, ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores mittitur. Quocirca nemo ſibi, fratres, quicquam de ſola nuda & informi fide ſine operũ atteſtatione polliceatur. Hæc enim mortua fides vitam, qua ipſa caret, præſtare homini non poteſt. Scitote ergo duas eſſe portas, quibus ad inferos hominibus aditus patet: alteram infidelium qui fide carent: alteram fidelium, qui fidem habentes, charitate & bonis operibus vacui ſunt. Si igitur vera fide ſuffultus es, prior illa gehennæ porta (fateor) occluſa tibi eſt: patet autem altera, qua intrant qui fidem quidem habent, charitatem verò & charitatis opera non habent. Si autem ad inferos perrexeris, parum refert, an hac vel illa porta eò tandem peruenias: niſi quod (vt Saluator ait) grauius eſt ſeruus ille puniendus, qui fidei lumine inſtructus, Domini ſui voluntatem agnouit, nec impleuit, quàm is qui neque nouit, neque impleuit. Sed inſtabunt alij, & ad ſacramentorum remedia confugient, quorum virtute multi ſalutem ſibi pollicentur, etiam ſi tota vita ſæculo & ventri ſeruierint: quibus ſimiliter reſpondemus, hunc hominem, qui ſine nuptiali veſte ad conuiuium venit, non modò in domum conuiuij per fidem ingreſſum fuiſſe, ſed ad menſam etiam cum aliis conuiuis aſſediſſe: quorum alterum ad fidem, alterum ad fidei ſacramenta refertur. Et tamen quia veſte nuptiali caruit, neque fides illum, neque percepta ſacramenta à tam acri Domini obiurgatione & ſententia eripuerunt. Sic enim ad illum ait: *Amice quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* Sed ais rurſum: Sacramenta nouæ legis reddunt homines ex attritis contritos. Hoc ergo mihi ſufficiet, vt nuptialem veſtem per contritionem aſſequar. Confiteor ſanè ſacramentorum virtutem: ſed an tu te ſic geras & præpares, vt ex attritione ad contritionem proficias, incertum eſt. Quotannis enim confiteri multos videmus, quos an hac ratione ad contritionem peruenerint, ignoramus. Conſtat autem plurimos ex his qui quotannis confitentur, ſine vllo pietatis & iuſtitiæ pro-

fectu in vitiorum ſuorum luto, & ante confeſſionem, & po
illam perpetuò volutari. Quæ res indicium facit, illos vel
nimè ſacramenti gratiam percepiſſe: vel acceptā protinus p
pter prauæ conſuetudinis vim atque tyrannidem ami
Contra vanam autem horum fiduciam, qui malè viuendo
lutem per ſola ſacramenta ſperant, meritò propheticum
Hier. 11. iactari poteſt: Nunquid carnes ſanctæ auferent à te m
1. Cor. 11. tuas, in quibus gloriata es? Et contra hos item tonat Ap
lus: Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi m
cat & bibit.

III.

Sed quid expoſtulanti regi conuiua hic reſponderit, v
mus. Nihil omnino reſpondit, ſed obmutuiſſe memo
Quod quidem verbum non vulgarem mihi emphaſim h
videtur. Quod enim nihil habuerit quod pro ſe diceret, q
ſit iuſta improborum damnatio, tacitè innuit. Duo enim
acriter accuſabunt: alterum gratiarum atque donorum
ſtium dignitas gratis à Deo oblata, quam contempſerun
terum rerum vilitas & indignitas, propter quas tam mag
dona deſpexerunt. Hæc autem accuſatio adeò illos in
premet, vt omnes aliæ quamlibet grauiſſimæ ſint, huius
Ioan. 3. paratione ſileantur. Quod iudex ipſe teſtatur, cùm ait: H
autem iudicium: quia lux venit in mundum, & dilexerun
mines magis tenebras, quàm lucē. Lux (inquit) venit in
dum, hoc eſt, ſapientia, veritas, vita, iuſtitia, gratia, ſancti
tio, redemptio, peccatorum venia, cælorum regnum, acip
nique Dei filius venit in mundum. Peruerſi autē homine
tam ampla & magnifica dona contemnentes, errorum & c
ditatum ſuarum tenebris obcæcati, falſa bonorū ſimulacra
ctis eius donis atque muneribus prætulerunt. Quo ergo m
gratia & miſericordia maioraque ſalutis adiumēta eis data
hoc minus habebunt quo cauſam ſuam apud ſupernum iu
tueantur. In cuius rei argumentum infelix conuiua obmu
ſe memoratur.

Cùm ergo reus nihil haberet quod pro ſe diceret, ſent
iudicis aduerſus eum pronuntiata eſt. *Ligatis* (inquit) *ma
& pedibus mittite eum in tenebras exteriores*. Exteriores t
bras, id eſt, corporeas, ad interiorum differentiam appella
teriores enim ſecum impij tulerunt, qui in tenebris ſemper
bulantes, in regione vmbræ mortis conſederunt. Ab inte
ergo tenebris ad externas gehennæ peruenient. Ibi enim

Sol lucet, neque Luna, neque stellarum splendor: ex solo tamen igni, quo ibidem miseri vruntur, tantum lucis emicabit, quantum ad calamitates reproborum augendas, non ad tristitiam illius æternæ noctis leuandam satis futurum sit. Hac ergo subobscura luce auarus pater filium videbit, quem vt alienis opibus ditaret, & se & illum in gehennam præcipitauit. Paterque malè precabitur filio, propter quem locupletandum ipse damnatus est: contraque filius maledicta congeret in patrem, qui alienis opibus relictis, damnationis illi materiam præbuit. Huiusmodi ergo lucem ad maiorem malorum cumulum ignis ille præstabit: qui tamen perpetuò non corpora modò, sed animas etiam damnatorum cruciabit. Quia enim improbi corpore & anima Dei leges perfregerunt, ideò corpore & anima scelerum suorum pœnas pendent. Si quæras autem qua ratione ignis ille (qui non spiritualis, sed corporeus vt hic noster est) animas torquere possit, quæ spirituales substantiæ sunt, ad hoc Theologi respondent, id quidem omnipotentis Dei virtute fieri, qui hoc instrumenti genere ad improborum supplicium vti solet. Si enim is omnipotentia sua aquæ baptismatis eam virtutem contulit, vt corpus exterius abluens, animas interius à peccatorum sordibus mundet; quid mirum si eadem potentia corporeo igni vim tribuat ad impiorum animas cruciandas? *Simil.* Si autem nemo nostrûm est, qui non dico totum corpus, sed ne digitum quidem igni admotum vel vnius horæ spatio possit sustinere, quis sic vitam suam instituat, vt meritò hunc ignem non ad horam solùm, sed perpetuò sustinere debeat? Omnis namque ad salutem aditus miseris in eo loco interclusus est. Hoc est enim, quod in præsenti lectione significatur, cùm reus homo ligatis manibus & pedibus in tenebras mitti præcipitur. His enim vinculis impeditus, nec fuga sibi consulere, nec manibus defendere, nec aliquid rectè operari potest, quo sibi Regis gratiam & misericordiam conciliare queat. Itaque si miseris istis liceret, vt pœnis suis eruditi, huc iterum remeare, & errata priora emendare possent, minus quidem esset hoc periculum formidandum: sed nostis iam nullum ab illo extremo supplicio ad salutarẽ pœnitentiam aditum patere. Extrema nanq. illa pœna neque vlla pœnitentia dilui, neque vllis suppliciis compensari, neq. vllis precibus minui, nec vlla tẽporis diuturnitate aut intermitti, aut etiam mitigari poterit. Ideò enim longiora vitæ & pœnitentiæ spatia nobis Dominus in hoc seculo contulit: quoniam omnis ibi ad

pœni-

pœnitentiam aditus interclusus est. Quisquis autem eius abutitur patientia, sentiet posteà in pœnis vltorem, quem hîc monitorem audire neglexit.

Quid igitur vos in hoc tanto discrimine consolatur, fratres? quæ spes animum vestrum in hac tanta re erigit? quid nunc animo voluitis? quid cogitatis? quid in hac causa solatij capitis? Quid hîc, quæso, agit ratio? quid sensus? quid mens atque consilium? Si igitur hoc ita est, si hoc veritas dicit, si fides & credit & confitetur, quomodo qui ita manibus pedibusque ligati sunt, manus habent ad nocendum, & pedes in mali operis vsum? Hoc est, quomodo tã facilè, tamq; leuibus de causis committere audent, quod sempiterno eodemq; acerbissimo supplicio vindicandum est?

Sæpè, fratres (vt verum fatear) huius tantæ tamque stuporis cæcitatis causam mecum ipse indagare curaui. Atque (vt aliam qui serpentis fraudes & mendacia prætermittam) duæ mihi huius tanti stuporis causæ esse videntur. Vna est, quòd assidua ac penè quotidiana consuetudo hæc ipsa, quæ diximus, audiendi, velut callos quosdam auribus nostris obduxisse videtur. Quo fit, vt nihil eis audiendis commoueamur, quæ quotidie

Simil. & passim audimus. Qui nunquam ligonem tractauerunt, primùm versare illum manibus cœperint, grauiter ab eo læduntur. Qui verò diu versarunt (quales sunt qui victum labore quærunt) obductis iam laboris exercitatione callis, nihil penè sentiunt. Idem ergo nobis euenit, quorum aures iam terroribus audiendis assuetæ, nihil commouentur: cùm tamen huius tanti supplicij consideratio elingues nos & attonitos reddere debuisset. Quod quidem in longè dissimili supplicio Danieli Prophetæ contigisse legimus. Vbi enim proposito Nabuchodonosoris somnio, inauditum illud supplicium quo Rex ille plectendus erat, Deo reuelante cognouit, & insignem illum orbis monarcham ab illa tanta celsitudine deiectum, inter bestias agri more pecudum septennio vitam acturum, & rore cæli tingendum esse intellexit, adeò perterrefactus est, vt vnius horæ spatio attonitus & elinguis effectus, ne vnum quidem verbum exigenti Regi reddere potuerit. Quale autem hoc supplicium est, si cum damnatorum hominum supplicijs conferatur? Quantò enim grauius est inter dæmones, quàm inter feras agere? Quantò atrocius flammis vltricibus cruciari, quàm rore cæli tingi? Quantò acerbius in omni æternitate quàm septem annorum spatio torqueri; Postremò si adeò

mirandum est figura hominis retenta, cor feræ gestare, quanto est formidabilius sub hominis figura cor dæmonum habere, & perpetuò Deum cum illis blasphemare. Si illud igitur Prophetam tantopere perterrefecit, vt vnius horæ spatio mutus & elinguis efficeretur, quid homines facient, cùm in extremo iudicij die tot mundi principes & monarchas ad nunquam finiendos cruciatus cum dæmonibus damnari viderint?

Altera verò stuporis huius causa est, quòd hæc ipsa supplicia, quæ fide credimus & confitemur, nunquam ad memoriam reuocamus: neque quantum bonum illud sit, quod peccantes amittimus, quantumque supplicium, quod peccantibus imminet in statera cordis nostri ponderamus. Hoc enim esse malorum nostrorum fontem Oseas apertè definiuit, cùm de improborum turba sub Ephraim nomine ait: Factus est Ephraim quasi columba seducta, non habens cor: quia videlicet improborum vulgus, erga omnia Dei beneficia, promissa, atq; supplicia ita se gerit, ac si corde penitus destitutum esset. Nihil enim minus de his tãtis rebus cogitat, quàm si mortuum cor in corpore viuo gestaret, cùm tamen ad terrena lucra modis omnibus augenda viuacissimum sit. Quo nomine iustissima illum obiurgatione Dominus per Esaiam arguit, cùm dicit: Qui vides multa, nonne custodies? qui apertas habes aures, nonne audies? Verè enim omnem superat admirationem, quòd cùm in minimis etiam rebus, quæ ad huius breuis vitæ vsum pertinent disquirendis, plusquam lynceos oculos habeamus, ad illa sempiterna siue bona, siue mala, quæ nos manent, quæq; magnitudine sua omnem humanæ vitæ mentis intelligentiam superant, ipsis etiam talpis cæciores simus. Hæc igitur, fratres, præcipua huius tãtæ cæcitatis causa esse videtur. Quocirca quisquis ab his tantis malis eripi cupit, inter alia remedia atq. consilia hoc præcipuè curet, vt hæc ipsa mysteria quæ inconcussa fide credit, & omni humana veritate veriora esse iudicat, sedula cogitatione ruminet, & quantum quæque ponderis & momenti habeant, studiosè consideret. Itaque impendentem vnicuique mortem, & districtum diuini iudicij examen, quod statim à morte sequitur, & æternum siue præmium siue supplicium, quod post hoc iudicium omnibus in commune propositum est, quotidie animo versemus. Hæc enim maxima aduersus peccatum remedia Ecclesiasticus docet, cùm ait: Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Peccati Eccl. 7.

autem obice sublato, nihil erit, quod ad cælestes illas agni nuptias quæ in superna illa Hierosolyma celebrantur, nobis aditum præcludere queat.

IN EADEM DOMINICA DECIMANONA POST PENTECOSTEN

Concio secunda: in qua lectio Euangelica explanatur.

THE. *Simile est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* Matth. 22.



IN lectione sancti Euãgelij, fratres charissimi, iucundissima quædam parabola nobis hodie à Christi magistro proponitur. Est autem parabola sententia aliud verbis, aliud sensu significans: aliud intus cælans, aliud extra præseferens. Hoc autem genere sermonis frequẽtissimè Dominum in Euangelio vsum esse constat. Vbi enim ipse homo factus, velut quandã parabolæ imaginem induit (dum hominem foris ostendens, Deum celabat intus) ideò etiam parabolico ferè sermone vtebatur, vt qui velut parabola pro nobis factus erat, ad nos quoque in parabolis loqueretur. Hoc autem docendi genus ad Euangelicæ doctrinæ lucem magnopere pertinebat; quòd sit ad erudiendos popularium animos maximè accommodatum: quorum institutionem atque salutem Dominus præcipuè captabat. Est autem operæpretium parabolæ seriem ad verbum proponere, deinde eius explanationem ab initio exordiri.

Parabola igitur sic habet: *Simile est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias, &c.* quæ sequuntur, vsque ad finem.

AVE MARIA.

Nunc iam parabolæ interpretationem aggrediamur, opem ab eo expectantes, qui nobis parabolę doctrinam donare dignatus est. Hic ergo Rex qui filij sui nuptias celebrare decreuit, Deus Pater est. Sponsa verò quæ Regis filio in matrimonio copulatur, Ecclesia est. Duas enim Christi sponsas agnoscimus, quarum altera est sacra illa humanitas, quam Dei filius indissolubili vinculo in vnitate personæ sibi copulauit (quod enim

nē assumpsit, nunquam dimisit: de qua sponsa in superiore concione disseruimus) altera verò sponsa, de qua nunc agemus, Ecclesia est: siue ea quæ in præsenti seculo militat, siue ea quæ in cælo triumphat. Vtraque enim vna Ecclesia & vnica Christi sponsa est: quanuis hæc militet, & illa triumphet. De hac autē Ioannes in Apocal. ait, Vnus de septē Angelis loquutus est mecum dicens, Veni & ostendam tibi sponsam vxorem agni. Et sustulit me in spiritu in montē magnum & altum: & ostendit mihi ciuitatem sanctam Hierusalem descendentē de cælo à Deo, habentem claritatem Dei. Hæc enim diuina claritas in sponsa elucens, & illam mirificè exornans, dignam filij Dei sponsam efficit. Huius autem coniugij mirabilis figura in primo generis nostri parente præcessit: ex cuius latere dormiētis detracta costa, vxor formata est. Quam cùm is ante se vidisset, & formationis eius rationem Deo reuelante cognouisset, ad eam dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Propter hāc relinquet homo patrē & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Hanc autem historiam nuptiarum Christicum Ecclesia imaginem extitisse, Apostolus testatur cùm ait, Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & Ecclesia: cuius verba paulò fusius à me explananda sunt. Illa enim formationis ratio qua à viro femina desumpta est, atque ingens ille viri erga vxorem amor, cui magis quàm Christo Domino conuenit? Ipso nanque in cruce mortis somnum capiente, sacrum eius corpus lancea patefactum est: vnde sanguis manauit & aqua: ē quibus tota sponsæ huius pulchritudo & decor exortus est. Apoc. 20. Genes. 2. Ephes. 5. Ioan. 19.

Nunc expendamus, an vulgarium nuptiarum leges in his Christi & Ecclesiæ nuptiis inueniantur. Prima nuptiarum lex animorum vnio est: quæ mutua vtriusque coniugis dilectione conflatur. Qua quidem cælestis hic sponsus Ecclesiam suam ita prosequutus est, vt idem Apostolus dicat: Viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam nō habentem maculam, aut rugam. Altera verò coniugum lex est rerum omnium communio: nihil enim in matrimonio proprium, sed omnia vtrique parti sunt communia. Hæc autem lex longè perfectius in his nuptiis quàm in corporeis reperitur. Quo nomine rectissimè Paulus sacramentum hoc magnum esse prædicat. Quid enim maius quàm hominem ad diuinitatis consortium attolli, Deum verò ad humanæ infirmitatis Ephes. 5. Ephes. 5.

humilitatem demitti? Omnium quippe gratiarum, diuiti-
donorum atque laborum Christi Ecclesiam esse particip-
Ephes. 2. clarat idem Apostol. cùm Deum Patrem ait, conuiuifica-
in Christo, & conresuscitasse, & consedere in cælestibu-
se. Quid hoc igitur est, nisi nos omnium bonorum so-
cum Christo copulare? Vnde illud sequitur, vt quibus
stum oculis cælestis Pater aspicit, eisdem nos quoque
in quibus filij sui spiritũ & imaginem adumbratam cer-
etiam illa eiusdem Apostoli verba testantur: Fidelis De
1 Cor. 1. quem vocati estis in societatem filij eius. De qua etiam
1. Ioan. 1. Simil. Ioannes in Epistola sua meminit. Quæ quidem societ-
catorum societati valde similis est. Constat autem in co-
societatis, quo mercatores vtuntur, eam esse legem, vt n-
lucrum proprium, sed omnibus omnia communia sint.
ergo tam felicem societatem cum Deo Patre & filio eiu-
sumus, vt ingentes ipsorum opes atque diuitiæ nobisc-
communes essent. Qua felicitate quid maius hominico-
1. Petri, 1. re poterat? Petrus verò Apostolus nouo & miro loquend-
re nos ad aspersionem sanguinis Christi vocatos esse ait.
nomine non obscurè significare voluit, totum domini-
sionis mysterium, pretiosumq; filij Dei sanguinẽ in cr-
fusum, ad nos pertinere, nobisq. impendi, vt illius pretio
ta nostra redimamus, & cælestis hæreditatis patrimoniu-
nere valeamus. Est enim ea lex coniugij, vt quæ vir terra-
depugnans, & grauia pugnando vulnera excipiens, adep-
rit, vxor (quæ laborum omnium expers domi clausa ma-
lum atque fusum versans) sibi quoque matrimonij iure
cet. Quæ quidẽ lex nullibi pleniùs quàm in hoc spiritua-
trimonio seruata est: quando cælestis sponsus omnem lab-
suorum fructum in Ecclesiã confert, nihil sibi quod ad gr-
gloriæ præmium attinet, reseruans: vtpote qui his me-
hoc nõ egebat: qui nulla mensura spiritũ acceperat. Vide-
go, fratres, quàm variæ atque ingentes opes Ecclesiæ ex h-
lici coniugio accreuerint?

Nunc expendamus, quid vicissim sponsus ex eodem c-
gio fuerit consequutus. Certè quidquid sponsa eius secun-
Roman. 3 ad eum pertinet. Sponsa autem ex hominibus constat.
autem hominum sine peccato: quia (vt Apostolus ait) om-
Adam peccauerunt, & egent gloria Dei: Salomon quo-
Prouer. 20 Eccles. 7. Prouerb. Quis potest dicere: Mundũ est cor meũ, puru-
peccato? Idemq; rursus: Non est homo iustus in terra qu-
bo-

bonum,& non peccet. Ipse quoq; Dominus apud Esaiam: Re- Esai.43.
ducme (inquit) in memoriã, iudicemur simul; narra si quid ha-
bes, vt iustificeris. Pater tuus primus peccauit, & interpretes tui
præuaricati sunt in me. Hoc est, primus generis humani parẽs,
qui fuit legis naturæ principium, præceptis meis inobediens
extitit: & interpretes tui, hoc est principes tui Moses & Aaron
qui scriptæ legis ministri fuêre, ad aquas contradictionis præ-
uaricati sunt in me. Ex quibus illud colligimus vniuersum ge-
nus hominum innumeris peccatis co taminatum fuisse; quæ
omnia sponsus ipse in corpore suo diluenda atque expiãda sus-
cepit. Peccata autem esse debita, quotidie in oratione profite-
mur, cùm dicimus, Dimitte nobis debita nostra. Hæc est igitur
dos, hæ opes, hoc patrimonium Christi, quo sponsa ad illum
dotata venit: in quo omnia mundi debita continentur; quæ
sponsus ipse matrimonij iure dissoluenda suscepit. Hoc au-
tem illa Prophetæ verba significant: Omnes nos quasi oues er- Esai.53.
rauimus, vnusquisque in viam suam declinauit; & Dominus
posuit in eo iniquitates omnium nostrum. Quam rem idem Psal.68.
sponsus in Psalm. confirmat, cùm ait: Quæ non rapui, tunc
exoluebam. Quod si ita est, an non meritò Apostolus sacramen- Ephes.5.
tum hoc magnum appellat? Quanta enim fuit in his nuptiis
diuinæ bonitatis dignatio, quando Dei filius opes omnes, &
gloriam, atque imperuestigabiles diuitias gratiæ suæ, sponsæ
communicauerit; ab ea autem omnia mundi scelera sanguine
suo delenda atque expianda susceperit? Vnde autem talis re-
rum commutatio, nisi ab inexhausta illa diuinæ bonitatis abys-
so potuit dimanare?

Est & alia causa, cur diuinus Apostolus sacramentũ hoc ma-
gnum vocauerit: quam scio vobis omnibus non minus gratam,
quàm præcedentem fore: quòd hac ratione summus Christi a-
mor erga Ecclesiam apertissimè figuratur. Cùm primus ille ge-
neris humani parens speciosissimam ante se coniugem vidis-
set, & formationis eius rationem (vt ante diximus) Deo traden-
te cognouisset, vxoremque quam coram cernebat, non ex aliena
materia, sed ex ipsa sui corporis substantia desumptam intelle-
xisset, illa amoris plenissima verba pronunciauit, Hoc nũc os ex Genes.2.
ossibus meis, et caro de carne mea: propter hanc relinquet homo
patrẽ & matrẽ, &c. Ex quibus verbis quo amore coniugẽ dile-
xerit, manifestè liquet: non enim vt aliquid à se alienum aut ex-
traneũ, sed vt seipsum illã dilexit: quam sciebat ex corporis sui
substantia fuisse delibatã. Vnde quemadmodum parentes filios Simil.

suos flagrantissimo amore diligunt, quòd eos ex corporis sui substantia in similitudine naturæ formatos agnoscunt, ideoque illos tanquam seipsos siue aliquid sui diligunt: ita primus ille generis humani parens coniugem dilexit, non modò vt coniugẽ, sed etiam vt corporis & substantiæ suæ partem. Hanc autem similitudinem ad Christum transferamus, vt sacramenti huius magnitudinem clariùs perspiciamus. Hoc ergo modo, & hac eadẽ de causa Christus Dominus diligit Ecclesiam. Illud nanq spirituale ac diuinũ esse quod Ecclesiã efficit spõsam Christi, ab ipso vtique Christo in illam transfusum atque deriuatum est. Ob eius nanque passionis & sanguinis meritum idem Christi spiritus (qui in ipso plenissimè habitauit) in Ecclesiam transfusus est: quo illa informata, eius imaginem refert, cuius spiritum percepit. Ita fit, vt Christus sic affectam & informatam Ecclesiam tanto amore diligat, vt illa eadem primi hominis verba verè dicere possit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.
Genes. 2. Hoc est, ô amantissima sponsa, quæ de latere meo formata es, in qua ego non modò spiritum meum habitantem cerno, sed imaginem quoque meam aspicio: ideò te nõ tanquam aliquid à me alienum & extraneum, sed tanquam me ipsum intueor & agnosco: nec possum te non vehementer diligere, quandiu me ipsum diligo; quia in te meipsum video. Quæ cùm ita sint, an nõ merità diuinus Apostolus sacramentum hoc magnum esse dicit? Verè magnum, & admirandum, & lætissimo corde suspiciendum: quandoquidem pij omnes, qui se Christo Domino charitatis vinculo vnitos esse coniiciunt, exultare, triũphare, & quodammodo insanire præ gaudio debeant, quòd se intelligant à summo illo rerum omnium parente tanto amore diligi? Atque vt vobis, fratres, quod in hac parte sentio, dicam, fateor nihil mihi hactenus, & huius diuini amoris magnitudinem & eius causam adeò apertè, vt hæc Apostoli verba significasse. Hac enim ratione inductus, facilè intelligo impossibile esse virum pium à Deo non amari, & non vehementer quidem amari. Si enim fieri non potest, vt Christus Dominus non amet se, ita neque fieri potest, vt non illum amet in quo videt se. Cùm autem amor donorum omnium primum, & maximũ, & aliorum omnium causa sit; quid non sperare ab opulentissimo rerum omnium Domino potest, qui sic ab eo diligitur? Hæ igitur, fratres, nuptiæ, hæc huius conuiuij fercula, hæc magnificentissima dona, ad quæ fideles omnes (qui Ecclesiæ membra sumus) inuitamur.

I. Qu

I.

Quid autem inuitati faciunt? qua celeritate ad has nuptias properant? *Noluerunt* (inquit) *venire*. O stupendam hominum dementiam! ô detestanda mentis humanæ cæcitatem! Christus nos ad omnes gratiæ suæ opes clementer inuitat, nos verò inuitantem & vocantem nimis furenter contemnimus & repudiamus. En, fratres, summa Dei nostri bonitas, summaque hominum peruersitas. Qua tamen clementissimus Rex non ita offensus fuit, vt ab hac pia inuitatione cessaret: sed alios iterum seruos destinauit, quibus in mandatis dedit, vt ad inuitatos dicerent: *Ecce prandium meum paraui, tauri mei, & altilia, & omnia parata, venite ad nuptias.* His verbis Dominus sub splendidissimi conuiuij metaphora omnes diuinæ gratiæ opes, quas nobis incarnati verbi mysterium attulit, hoc est, omnia salutis nostræ instrumēta & adiumēta, quibus ad felicitatē æternā adiuuamur, complexus est. Constat enim in hoc Dei filium descendisse de cælo, vt homines secum subleuaret in cælum, vnde ipse ad eos descenderat. Quia verò non est mollis ad astra è terris via, ipse hanc viam, quæ multis modis antea impedita erat, cælestis gratiæ subsidiis planissimam fecit. Qua verò vbertate & copia hæc tam multa munera gratiarum in nos effuderit, quibus hoc iter conficere, & cælestem hanc hæreditatem cernere possemus, licebit tum ex personæ dignitate atque præstantia, tum ex operis magnitudine atque excellentia colligere. Cùm enim vnigenitus Dei filius (in quo habitat plenitudo diuinitatis) è cælis ad terram descenderit, vt hoc humanæ salutis & redemptionis negotium promoueret (quod planè omnium diuinorum operum præclarissimum est) necessariò fateri debemus, perfectissimè atque plenissimè illum hoc opus absoluisse, & quidquid ad salutem nostram necessarium erat, cumulatissimè præstitisse. Quod etiam ex ea prouidentia, qua naturam omnem administrat atque conseruat, comprobare licet. Vt enim quadrupedum, volucrum, cæterarumque rerum species omittam, quàm multi pisces ex vno pisce generantur in mari? quàm multa frugum, reliquarumque herbarum grana ex vno grano producuntur? Vix enim quisquam est, qui ea possit numerare. Vincitur namque rerum multitudine numerus. Si ergo tanta cura Dominus ea quæ ad naturæ conseruationem pertinent, curat, ne videlicet naturalium rerum species intereant; qua cura quæ ad gratiæ suę opera spectant, curabit, ne homines intereant, quos ad ima-

Simil.

ginem suam condidit, quorumque obsequio non modò terrestria, sed etiam cælestia corpora destinauit? Hoc igitur argumento intelligere licebit fratres, quid Dominus significare voluerit, quando omnia ad nuptias parata esse dixit. Infinitam enim gratiarum abundantiam, immēsam donorum vbertatem, opes ingentes, copiosissimam redemptionem, quæ nobis incarnationis & passionis suæ beneficio contigerunt, voluit designare. Quarum rerum vbertatem & copiam ingens illa regni Salomonis opulentia adumbrauit: cuius tempore tanta argēti copia quanta & lapidum extitisse dicitur in Hierusalem.

3. Reg. 7. Quod si dixeritis: Cur ergo tam rari sunt qui per viam salutis incedant, cùm tam multa nobis salutis adiumenta data sint? Non est difficile huic quæstioni respondere. Quid enim mihi pretiosissima maximeque salutaria medicamenta conferre poterunt, si ego illis vti nolo? si ea vulneribus meis admouere negligo? Tunc autem hisce spiritualibus medicamentis vtor, cùm Saluatoris doctrinam lego, cùm varia eius beneficia atque mysteria considero, cùm eius sacramenta frequento, cùm in eius nomine diuinam opem & gratiam à cælesti Patre postulo. Eius namque doctrina mentem illuminat: bèneficia autem voluntatem diuini amoris igne succendunt: sacramenta verò animorum morbos sanant. Oratio cælestem opem & gratiā impetrat: gratia verò virtutes omnes secum affert, quibus homo ad omnia virtutum officia excitatur. Si tu ergo nihil horum attingis; quid miraris, si nihil tibi conferant remedia: quando eisdem vti renuis? Hoc autem genus hominum inuitati isti repræsentant, qui terrenis negotiis & curis implicati, ad nuptias venire noluerunt: qui videlicet ita sese secularibus curis addixerunt, vt omnem hanc spiritualium rerum commentationem & studium prorsus negligant.

Cùm igitur qui vocati prius fuerant, venire recusauerint, alij pro eis subrogantur. Expulsis enim Iudæis, Gentes ad has nuptias, hoc est, ad Euangelicam gratiam vocatæ sunt; & sic tandem impletæ sunt núptiæ discumbentibus. *Intrauit autem Rex, vt videret discumbētes, & vidit ibi hominē nō vestitum veste nuptiali.* Huius autem nuptialis vestis nomine charitatem significari, quæ filios regni à gehennæ filiis distinguit, notissimum est. Itaque conuiua hic fidem habebat, qui conuiuij domum ingressus erat; charitatem autem non habebat, quæ ad huius conuiuij solennitatem celebrandam necessaria erat.

Aduersus hunc ergo Rex grauiter commotus ait: *Amice qu*

quo

...huc intrasti, non habens vestem nuptialem? Iustissima sanè expostulatio. Perinde enim est ac si diceret: Quomodo te vel domus ipsa in quam intrasti, vel fides ipsa per quam intrasti, vestem istam hoc conuiuio esse indignam non admonuerunt? Tu enim per fidem credebas Deum tanto amore homines prosequutum, vt propter eos non modò carnem suscipere, sed crucis etiam supplicium subire dignatus fuerit. Hoc enim profitebaris cùm in fidei symbolo diceres, Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, hoc est non propter suam vel vtilitatem, vel necessitatem, sed propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus, & passus, & crucifixus, & mortuus est. Amor itaque illum è cælo traxit in terram, amor vinctum tradidit manibus impiorum, amor vinculis suis ad columnam ligauit, amor illum diris spinarum aculeis coronauit, amor illum opprobrium hominum & ludibrium fecit. Amor denique crucem humeris illius imposuit, & in eadem illum cruce confixit, felle & aceto potauit, & sacrum eius latus dira lancea transfixit. Si hoc ergo per fidem credebas, quomodo tantum amoris incendium, tantum amoris opus, tantum charitatis exemplum, tantum diuinæ dilectionis argumentum simul & beneficium ad simile dilectionis obsequium te non accendit? Quî ergo fieri potuit, vt tam ingens charitatis vis tuum pectus non adusserit, teq; non ad redamandū impulerit? Quid igitur ad hanc iustissimam expostulationem peccator homo respondere poterit?

Quid verò si alias etiam fraternæ dilectionis causas enumerem? Aduersus illum enim, qui fratris odio laborat, sic agere licebit: Intrasti in domum Dei, in qua pater est vnus, scilicet Deus: mater vna, scilicet Ecclesia: mensa vna, scilicet panis Christi: baptismus vnus, quo omnes regeneramur: lex vna, quæ eandem nobis viuendi regulam tradit: fides vna, quam omnes vno ore profitemur: spes vna, qua nobis hæreditas æterna proponitur: atque spiritus vnus, quo omnes in nouam vitam animamur. Quomodo ergo inter tot vnitatis & charitatis vincula tu fraterna odia atque dissidia meditaris? Hæc autem sententia eos præcipuè ferit, qui priuatis inter se odiis atq; inimicitiis dissentiunt: qui illatæ iniuriæ veniam nec ipsi petere, neque petentibus dare volunt.

Hæc eadem laceræ vestis exprobratio ad eos quoq; maximè pertinet, qui indignè ad panem Angelorum sumendum accedunt. Sunt enim nonnulli, qui magis frigida quadam consuetu-

dine ducti, aut superbiæ spiritu impulsi (ne videlicet parum pij atque deuoti videantur) ad hoc diuinum sacramentum accedunt. Aduersum hos quoque meritò Rex poterit inclamare, Amice, quomodo huc intrasti non habẽs vestem nuptialem, quam hæc mensa à te præcipere requirebat?

II.

Cùm ergo Rex hanc vestis indignitatem sedenti ad mensam exprobrasset, ille prorsus elinguis obmutuit. Cumque miser nihil haberet quod pro se diceret, Rex aduersus illum sententiam protulit, Ligatis (inquit) manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores. Manus in literis sanctis, opera; pedes vero affectus & desideria significant. His ergo verbis Dominus reprobos in gehennam sic esse in malo obstinatos innuit, vt neque bonum aliquod operari, nec etiam desiderare queant. Quoniam in eo statu sunt, in quo non satisfaciendi, sed satis patiendi locus est: quia hîc in via, ibi in termino viæ constituti sunt. In via autem potest homo regredi, vel ingredi, hoc est, mereri vel demereri (quod quidem pertinet ad rationem viæ) in termino autem constitutis hoc minimè licet: quia si vlterius progredi possent, iam non in termino, sed in via essent. Hac autem de causa

Eccles 9. opportunè nos Salomon admonet: Quodcunq. potest manus tua, instãter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapiẽtia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas. His verbis Salomõ omnem salutis aditum damnatis hominibus interclusum esse docet, quando eos nullum opus, nulla ars, nulla scientia, non fraudes, non doli, non vis aliqua, non denique vlla pœnitentia iuuare quicquam poterit. Hanc autem salutis desperationem sequitur deinde quod Saluator subdit: *Ibi erit fletus & stridor dentium*: quo aduersus sempiternum iudicem frement, & blasphemas in eum perpetuò voces iactabunt. Quę quidem pœna piis mentibus supra cunctas alias maximum sanè horrorem atque tremorem incutere debet; quòd perpetuò ibi nomen Domini blasphemetur: nec aliud ibi opus in tota æternitate exerceatur. Hoc enim malorum omnium summum, maximeque fideli homini

Psal. 83. pertimescendum est. Sicut enim beati ideò felices à Propheta prædicantur, quia in secula seculorum laudabunt Dominum: ita damnati ob hoc maximè infelices sunt, quia in secula seculorum eundem blasphemabunt: & aduersus eum rabido atque acerbissimo ore concitabuntur: neque ab hoc vnquam fu-

Psal. 73. cessare poterunt. Sic enim Propheta: Superbia, inquit, eorum qui te oderunt, ascendit semper. Quanuis enim liber-

arbitrium miseri habeant, quia tamen id in malo obfirmatum est, nullo modo velle possunt bonum: quemadmodum nec beatæ mentes in cælo quanuis libero arbitrio præditæ sint, malum velle possunt. Et quanuis peccare reprobi possint (imò semper vt modò diximus peccent) peccant tamen (vt Theologi loquuntur) actu damnatorio, nō demeritorio. Quis igitur, fratres, ad hæc tanta fulmina, quæ oracula diuina nobis proponūt, non expauescat, non contremiscat, præsertim si in eo statu sint, in quo secundum præsentem iustitiam hoc illi supplicium debeatur?

Erunt tamen fortasse aliqui, qui nonnihil solatij capiāt, quòd ad hanc tantam pœnam vnus solùm homo inter tot conuiuas damnatus fuerit. Vtinam, fratres mei, vtinam solatium hoc capere nobis liceret. Sed huic persuasioni sequentia Domini verba quibus parabolam clausit, aduersantur. Subdit enim: *Multi sunt vocati, pauci verò electi*. Quæ verba mihi non tam verba, quàm fulmina esse videntur. Cùm enim gehennæ supplicium adeò sit horrendum; quid magis formidandum erit, quàm paucos esse qui ab eo liberati, in electorum sorte numerentur, multos autem qui ad illud damnandi sint? Hæc enim quæstio de multitudine, aut paucitate electorum multos exagitat, qui de salute sua soliciti hanc quæstionem proponere solent. Cùm autem multa hac de re dici possint, illud tamen constat verissimū esse quod Apostolus ait: Qui sine lege peccauerūt, sine lege Roman. 2 peribunt. Qui autem in lege peccauerunt, per legē iudicabuntur. Lex autem per quam iudicandi sunt qui in lege viuunt, ea est quam quotidie in fidei symbolo profitemur: Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala, in ignem æternum. Lex item est: Semel loquitur Deus, duo hæc audi- psalm. 61. ui, quia potestas Dei est: & tibi, Domine, misericordia; quia tu reddes vnicuique iuxta opera sua. Hier. 17. Eandem legem Hieremias cum Domino loquens repetit his verbis: Fortissime, magne, & potens: Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu: cuius oculi sunt super omnes vias filiorum Adam, vt reddas vnicuiq; secundum vias suas, & secundum fructus adinuentionum eius. Lex præterea est: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignē mittetur. Hę sunt ergo leges per quas iudicādi sunt qui in lege viuunt, quāuis præuaricatoribus legis pœnitētiæ remediū non negamus. Ex his ergo legibus verum esse liquet, eos qui cùm fideles sint, Ethnicorū more viuunt, Ethnicorū supplicia esse passuros. Quod quidē illa Domi-

nī

ni apud Ezechielem verba testantur: In via sororis tuæ ambu-
lasti, dabo calicem eius in manu tua. Hoc est, si Ethnicorum
mores sectatus es, eodem fellis & absinthij calice potaberis. V-
ta porrò Ethnicorum tribus potissimum vitiis inquinatur: am-
bitione, voluptatum amore, & pecuniæ cupiditate. Quatenus
enim Ethnicus homo rationalis est, honores affectat: quatenus
verò animalis est, appetit more pecudum voluptates: ad vtrum-
que verò consequendum, pecunias ardenter exquirit (quod
auaritiam pertinet) quæ ad vtramque rem fomenta minist-
Ex his autem tribus cupiditatibus ceu fontibus quibusdam
odium, inuidia, cæteraque vitia consequuntur. Quicunq
tur se ipsos his vitiis penitus dediderunt, ad eorum sortē p
nent, quorum vitia sectati sunt.

III.

Quid igitur? an non fidei dignitas & professio, qua ab inf
libus fideles distinguuntur, eos aliqua in re iuuare poterit,
si eorum vitia consectentur? Multi enim sunt, qui malè viu
tes hoc fidei titulo sibi blandiuntur. In quo crimine Iudæi
qui quòd circuncisionis sacramento à cæteris nationibus se
essent, & legem à Domino percepissent (quam tamen mini
seruabant) salutem sibi pollicebantur. Aduersum quos long
ratione initio statim epist. ad Rom. Paulus disputat, disput
nemq; suam hac breui sententia cōcludit: Circūcisio quidē
dest, si legem obserues: si verò præuaricator legis sis, circun
tua præputium facta est. Hoc est, qui fidelis eras, infideli sim
effectus es. Ex qua quidē Pauli sententia fideles infideliūm
viuentes, infidelibus pares esse colligimus. Circuncisionis n
que & præputij nomine, Iudæi & Gentiles illo tempore d
gnabantur. Ad hunc igitur modum cū homine Christiano
sceleratè viuit, agere possumus: Sacramentum quidē fidei
baptismatis tibi proderit, si Dei legem obserues. Quam si vi
ueris, nihil tibi baptismi sacramentū, nihil dignitas professio
nihil postremò fides proderit, si vita minimè cū fide consen
hoc est, si fidem habens Christianorū, mores secteris Ethnico
Hanc autem sententiam confirmat illud quod in actis Apo
lorum legimus: nempe fuisse quosdā, qui cùm animaduerte
Actor. 19. Paulū in nomine Iesu dæmones ab obsessis corporibus e
lentem, tentauerunt & ipsi inuocare super eos qui habebā
ritus malos, nomen Dñi Iesu, dicentes: Adiuro vos per Ie
quē Paulus prædicat. Respondens autē spiritus nequā dix
Iesum noui, & Paulū scio; vos autē qui estis? Et insiliens i

ho

grauiter cœpit.
homo in quo erat dæmoniũ pessimum torquere grauiter cœpit.
Et quo loco animaduertere licet, nequaquã dæmones nominis
sanctitate, sed vitæ integritate moueri. Hoc enim nõ obscurè il-
la verba designant: Vos autẽ qui estis? Quod perinde est ac si di-
ceret, Nihil moror sacra nomina, quæ ore pronunciatis, animũ
scrutor, vitam intueor, mores contemplor, ab ista nominis san-
ctitate alienos: & ideò in vos insilio, vos torqueo, supra vos cru-
delẽ dominatum exerceo, quos scelerata vita mihi subiecit. Vi-
detis ergo sacra nomina nihil cõferre vbi ab his nominibus mo-
res hominum abhorrent. In talibus igitur adeò diuini numi-
nis cognitio ad salutẽ minimè proficit, vt maiorem etiã damna-
tionis materiã illis ministret: Cùm alioqui ignorantia non parũ
infideles excuset. Deniq; cõmunis Theologorũ sententia est in-
fideles quibus Christi Euangeliũ non est annunciatũ, nullas in
gehenna infidelitatis suę pœnas dare. Propter alia ergo crimina,
nõ autẽ propter infidelitatis crimẽ punientur. Quantum verò
ignorantia peccãtes excusat, tantũ fidei lumẽ & veritatis cogni-
tio eosdẽ accusat. Ex hac ergo tam longa disputatione verũ esse
colligimus, quod paulò antè dictũ est, nempe eos quorum pra-
ua & dissoluta vita est, ad infidelium sortẽ pertinere. Cùm autẽ
tã multos esse constet, qui hoc modo viuant, quiq. sine vllo di-
uini numinis metu effrẹnata mẽte sese in omnia scelera effun-
dant, qui pro lege habẽt quod libido suggerit, aut cupiditas ex-
igit, aut caro flagitat, aut oculi concupiscunt, neque illis vnquã
aut mortis cogitatio, aut diuini iudicij metus, aut rationis red-
dendæ tẽpus in mentẽ venit, nonne vel hoc vno argumẽto cõ-
stat, multos esse vocatos, paucos verò electos? Quæ igitur cuiq;
nostrum maior timoris causa obiici potest? Quod vt cõmodius Simil.
intelligatis, fingite nunc animis ingentẽ hominum exercitũ in
cãpo coactum, oraculo Dñi certiorẽ factum, tantã vim fulminũ
esse repente super eos casuram, vt maxima eorũ pars fulminibus
icta occumbat. Si hoc igitur omnes isti certa fide tenerẽt, quo ti-
more concuterentur? quas non latebras exquirerent? quid non
facerẽt, vt se tanto discrimini subducerent? Quale autẽ hoc ful-
minis periculũ est (quo celerrimo dolore vita aliâs breui defu-
ra absumitur) si cũ illo fulmine cõferatur, Ite maledicti in ignẽ
æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius? Si ergo tã mul-
ti sunt, qui hoc fulmine ferientur (cùm stultorum infinitus nu-
merus esse dicatur) tam pauci verò qui ad beatorum sortem co-
optandi sint, quis stupor? quæ cæcitas? quæ amentia nostra est?
qui in vtranque aurem dormimus, neque huius tanti periculi

quod

quod nos manet, vnquam recordamur? Non ita cōuenit, fratres mei, nō ita cōuenit: sed prima curarū nostrarū sit, hæc nobis sæpè somnū adimere, sæpè cibū (quod multis frequēter sanctorū contigit) eripere debet. Has igitur pœnas pertimescamus, has nobis semper ante oculos proponamus, has die noctuq. in animo versemus, ne si eas modò neglexerimus, perpetuò sustinere cogamur. Nūc nos opportunè sermo diuinus admonet, ne, quæso, frustrà salutarē hanc admonitionē audiamus: ne nobis in hac causa cōtingat, quod Pharaoni seruisq. eius euenit. Priusquā enim horrifica illa grādinis plaga Aegyptū vastasset, Moses Pharaonē et seruos eius ab hoc periculo seruare volēs, his verbis monuit: Mitte (inquit) iā nunc, & congrega iumēta tua, & omnia quę habes in agro: homines enim & iumēta, & vniuersa quę inuēta fuerint foris, nec congregata de agris, cecideritq. super ea grādo, moriētur. Sequitur deinde: Qui timuit verbū Dn̄i de seruis Pharaonis, fecit cōfugere seruos suos, & iumenta in domos: qui autē neglexit sermonē Dn̄i, dimisit seruos suos & iumēta in agris quę omnia vi grādinis interiêre. Simile igitur quiddā, fratres, verbi Dei ministris nō rarò cōtigit. Nobis enim diuinæ iustitiæ seueritatē, reproborū pœnas, gehēnæ incēdia, immortalē vermē, suppliciorū æternitatē nullo vnquā tēpore finiendā, præsentissimū quotidianę mortis periculū vobis ante oculos proponētibus, quidā his nostris vocibus annuētes opportuno tēpore suscepto pœnitentiæ proposito saluti suæ prospiciūt. Contra verò alij (quemadmodū amentes illi Pharaonis serui) salutaria monita nostra parui facientes, seipsos in manifestū præcipitium & barathrū nunquā amplius inde extrahendi, coniiciūt. In quo magno suo malo discent quantæ cæcitatis, atq; socordiæ fuerit Ecclesiæ opportunè monentis voces aspernari: cùm videant se minimo labore atq; negotio, dū in viuis agerent, saluti suæ consulere potuisse, cui non iam ne æternis quidem cruciatibus atq; lamentis perpetuò mederi poterūt. Itaq; nonnulli fortasè modò hæc ipsa quæ diximus fideliter audientes, nuptialem vestem sibi comparare studebunt: vt ante superni iudicis conspectum non nudi, sed charitate vestiti inueniantur. Qui verò frustra audit, ipse sibi damnationem acquirit, seroque illum facti pœnitebit, quando ligatis manibus & pedibus nullus ei pœnitentiæ locus dabitur. Illam ergo vestem quæramus, fratres, quæ multitudinem operit peccatorum: vt ea induti, ad cæleste conuiuium & immaculati agni nuptias, quæ in superna Hierusalem celebrantur, cum beatis illis conuiuis admitti mereamur.

DOM

DOMINICA VIGESIMA POST PENTECOSTEN CONCIO PRIMA: IN qua lectio Euangelica explanatur.

THE. *Rogabat Iesum, vt descenderet, & sanaret filium eius: incipiebat enim mori.* Ioan. 4.



Habemus in hodierna sancti Euãgelij lectione insigne miraculum: quo Reguli cuiusdam filius iam iam moriturus imperio Christi Domini sanatur: quod Sanctus Euangelista Ioannes memorat his verbis: *Erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum: hic cùm audiret, quia Iesus adueniret à Iudæa in Galilæam, accessit ad eum, & rogabat, vt descenderet, & sanaret filium eius: incipiebat enim mori: & c.* quæ sequuntur vsque ad finem.

AVE MARIA.

Non ignoro, fratres, quanta sit paterni amoris erga liberos charitas & indulgentia. Hoc autem ita esse, vnius Dauidis exemplo discimus: qui parricidam filium ita deperibat, vt eiusdẽ mortem acerbissimo luctu prosequeretur, dicens, Absalon fili mi, fili mi Absalon Quis mihi det, vt ego moriar pro te, Absalõ fili mi, fili mi Absalon? Qualis, quæso, ille amor erat, qui huc vsque peruenire potuit? Denique talis parentum erga liberos amor est, vt vulgò dici videamus, Centum filiis alendis vnum satis esse parentem: centum verò filios vix vni patri alendo atque curando sufficere. Huius autem imparitatis inter filiorum & parentum amorem causas aliquot Philosophi assignant. Efluxus enim (inquiunt) naturæ est principij in ea, quorum principium est, non contrà. Sic enim humor à radicibus profluit in ramos: non contrà à ramis in radicem. Sic autem natura comparatum est, vt quò effluit virtus atque substantia, eòdem etiam vis amoris tendat & profluat. Deinde parentum est etiam beneficia in filios conferre, cùm Apostolus dicat, non debere parentibus thesaurizare filios, sed contrà parentes filiis. At verò (vt Aristoteles ait) benefactores magis beneficiarios diligunt, quàm ipsi à beneficiariis diligantur. Illi enim amant, cùm benefaciunt: isti verò amare tenentur, quia beneficium acceperũt: non tamen protinus qui amare tenentur, amant: alioqui nõ esset in mundo ingratis locus, quorum non exigua turba est.

2. Reg. 18.

Simil.

2. Cor. 12. Aristotel.

Sed

Sed præcipua tamen huius amoris ratio est, quòd cùm natu-
ra, hoc est, naturæ conditor & moderator non deficiat in iis quæ
ad amantium vitam conseruandam necessaria sunt: erat autem
maximè necessarium, vt parentes filios diligenter educarent,
eosque ab iniuriis teneræ ætatis vindicarent: nihil ad hoc natu-
ræ auctor commodiùs facere potuit, quàm ardentissimũ prolis
amorem parentibus ingenerare: hoc enim vno naturæ benefi-
cio satis superque huic educationis officio consultum erat. Ni-
Bernard. hil enim amore fortius, nihil ad labores perferendos poten-
Rectè enim D. Bernard. In eo quod amatur, aut non labor
aut etiam ipse labor amatur. Amemus ergo nos Dominu
facile erit omne difficile.

Atque vt aliquid hoc in loco ex Philosophorum sent
dicam, quo diuinæ prouidentiæ mirabilem curam & solerti
agnoscatis, scitote maiorem auibus quàm cæteris animanti
pullorum amorem, naturæ auctorem indidisse: quod in gall
animaduertere licet: quæ cùm maximè timeat atque fugiat h
mines, ob pullorum tamen defensionem, armatum etiam h
minem aggredi non veretur: amore videlicet filiorum, n
num eius timorem superante. Cur igitur hoc filiorum am
aues magis flagrant? Nimirum, quoniam maior illis in al
filiolis labor indicebatur. Non enim expediebat, vt aues q
volandũ conditæ sunt, distenta lacte vbera, vt animantia ca
gestarent: quòd earũ volatus hoc pondere impediretur. Q
igitur necesse illis erat, vt cibum iam in viscera conditum,
ipsis eriperent, quo filios alerent (quod sine magna in prol
charitate fieri non poterat) diuina prouidentia vt maiorem a
bus laborem in filiorum educatione præbuit, ita maiorem i
eorundem amorem ingenerauit. Sed iam ad Regulum de f
salute, propter hunc amorem solicitum, veniamus.

Hic vbi ægrotante filio, omnia alia salutis remedia frus
tentasset, ad Saluatoris opem confugit: qui nisi ita prome
tur, nunquam fortasse Dominum adiisset, neque tanti mira
li spectator factus esset: quo non modo salutẽ filio, sed sibi et
totique domui suæ clarissimum fidei donum Domini bene
cio impetrauit. Hac autem de causa frequenter Dominus va
hominibus calamitates immittit, vt eos ad se clementer & be
Origen. gnè trahat. Hinc Origenes de Pharaone loquẽs, Nemo, inqu
flagella Domini perniciem putet: ecce Pharao durissimus, pr
Exod. 10. proficit verberatus: ante flagella, Dñm nescit: post flagella
rò ait, Rogate Dñm pro me. Idẽ exemplũ habemus in Va
I

Imperatore, eiusq. præfecto, nomine Modesto: quorum vterq.
cùm esset Arrianæ fautor hæreseos, & vterq. hac de causa D. Ba-
silio vehemẽter infensus (vtpote quem paulò antè Valens exi-
lio mulctare decreuerat) tamen vtrumque, imminentis morbi
periculum, ad Basilij opem implorandam compulit. Qua de re
sic D.Gregor. Nazianzenus, Filius, inquit, imperatoris ægrota- Gregorius Nazianzen.
bat: pater etiam, vtpote pater, ęgrotabat simul; remedium vnde-
cumq. morbo conquirẽs, atq. optimos quosq. medicos deligens,
ac precibus (vt si aliàs vnquam) incumbens, humiq. prouolutus.
Nam Reges quoq. calamitas deiicit. Nec mirũ, cùm Dauidem 2 Reg. 13.
etiam ob filij morbum, eodem morbo affectum fuisse, scriptura
testetur. Cùm autem huic malo medicinam nullam inueniret,
ad Basilij opem confugit: & quoniam ob contumeliam recens
ipsi illatam, eum suo nomine accersere verebatur, aliis quos ar-
ctissima familiaritate & beneuolentia complectebatur, hanc le-
gationem cõmittit. Idem autem & eius præfecto Modesto, non
multò pòst accidisse narrãt. Nam huncquoq. morbus quispiam
obortus, viri sancti manibus substernit. Quæ res profectò cor-
datis hominibus in documentũ cedit. Nam plerumq. prospero
rerũ successu, melior magisq. expetenda est afflictio. Aegro cor-
pore erat, illachrymabatur, distorquebatur, Basiliũ accersebat,
obsecrabat. Satisfactionẽ habes, clamabat, da salutẽ: & quidem
hãc cõsecutus est. Hactenus Gregor. Cernitis hîc, fratres, quan-
tum corporis afflictio, ad animæ salutem contulit? Quid verò 2 Mach. 6
Antiochum referam: qui cùm omnes Asiæ Reges impietate
superasset, morbo tamen graui à Deo percussus, ingentes illos
spiritus, quibus tumebat, demisit. Sic enim de eo scriptum est:
Antiochus igitur, qui sibi videbatur etiam fluctibus maris im-
perare, & montium altitudines in statera appendere, nunc hu-
miliatus ad terram, in gestatorio portabatur, manifestam Dei
virtutem in semetipso contestans. Hinc igitur cœpit ex graui
superbia deductus, ad agnitionem sui venire, diuina admonitus
plaga. Deniq. ait, Iustum est, subditum esse Deo, & mortalem Ibidem.
non paria Deo sentire. Videtis etiam hoc exemplo, fratres, quis
sit calamitatum fructus? Quid ergo mirum, si Regulus hic, fi-
lium in agone mortis constitutum cernens, vbi humana reme-
dia defecerant, ad opem Domini Saluatoris confugerit? Quo-
circa nemo calamitates & morbos corporis accuset, qui frequen-
ter languentis animi medicamenta sunt: quæ torpentes animas
excitant, & ad Deum ire compellũt. Quid autẽ nobis hoc tem-
pore facto opus sit, Salomõ nos admonet, his verbis: Disciplinã

Domini fili ne abiicias, nec deficias cũ ab eo corriperis. Qu
enim diligit Dominus corripit, & quasi pater in filio compl
sibi. Itaq. tantum abest, vt huiusmodi castigatione homo
sum sibi Deum esse suspicetur, vt hinc magis paternæ dile
nis & prouidentiæ argumentum colligere debeat. Quam
aptissima similitudine paterni officij Apostolus conclu
verbis: Tanquã filiis, vobis se offert Deus. Quis enim fili
non corripit pater? & paucis interiectis. Patres quidẽ car
stræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos: nam no
magis obtemperabimus patri spirituum, & viuemus? I
tem argumento colligit eos qui in hac vita non corrip
Deo, Dei filios non esse; sic enim ait: Quod si extra disci
estis, cuius participes facti sunt omnes (videlicet legiti
ergo adulteri, & nõ filij estis. Vnde colligimus eũ qui
flagellorũ, esse etiã extra numerũ filiorũ. Quæ quidẽ res
variis calamitatib. cõflictãtur; maximo planè solatio esse d

Hoc ipsum autẽ Regulus noster exemplo suo confirma
filij morbo excitatus cælestẽ medicum adiit, opportunã a
nactus occasionem, quòd is à Iudæa descẽderat in Galilæ
piorq. ciuitati suæ factus, facilè ab eo adiri potuit & rogar
dem quoq. nos opportunitas ad idem officiũ inuitat, fra
Dominus à spirituali Iudæa in spiritualem venit Galilæa
dæa enim locum designat confessionis & laudis: Galilæ
trãsmigrationis & mutationis. Vbi ergo Dominus ex loc
dis & cõfessionis, in hunc mutationis locũ descendit, vicin
nobis beneficio incarnationis factus est, tũc à publicanis &
catoribus, à Chananæis & adulteris mulieribus adiri patitu
rogari. Venit enim Dei Filius in Galilęam huius mundi, qu
do carnem nostram induit, quando mutationibus nostris, do
ribus, ac mortalitati nostræ obnoxius fieri dignatus est: qu
humano more esurire cœpit. sitire, algere, & per increm
temporum quotidie secundum corpus mutari atq. augeri,
in æternitate sua idem semper est. Hæc autem non solùm o
sio petendi, sed etiã sperandi atq. impetrandi ratio est. Ait
Hebr. 2. Apostolus: Debuit per omnia fratribus assimilari, vt miseri
fieret & fidelis pontifex. In eo enim, in quo passus & tent
est, potens est & iis qui tentãtur auxiliari. Quando ergo in
Dominus Galilæam, actus amore nostri descendit, atq. vt m
nostris mederetur, mala nostra suscepit: tunc opportunè ad
dum ad illum accedere possumus. Quis enim homo Deum
minem, hoc est, naturæ suæ consortem adire recuset? Qui

P

pętibus negabit, qui seipsum cõtulit? Quomodo fugiet quærentes, qui fugientes ipse quæsiuit? Quid mihi de eo polliceri non possim, qui vt mihi benefaceret, mala mea in se diluenda suscepit? Quomodo sine vllo suo labore aut incõmodo prodesse mihi recusabit, qui tot laboribus me redemit? Videtis ergo, fratres, quanta hic opportunitas sit, non modò ad rogandum, sed etiã ad sperãdum, cùm Dominus à Iudęa descẽdit in Galilęam.

Hanc igitur opportunitatem Apostolus noluit nos prætermittere, cùm ait: Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, ecce annus Iubilęi placabilis Domino, ecce tempus propitiationis & reconciliationis; quando quicquid erat in thesauris diuinæ misericordiæ, in terram effusum est. Nemo igitur hanc opportunitatem abire vacuam patiatur. Imitemur nautarum morem, qui vbi secunda spirare aura cœperit, protinus à littore soluunt, & vela ventis permittunt, & vectores vel paululũ morantes deserunt, ne opportunitatem illam prætermittant, serò redituram. Quid multis? Ipse idem qui opem laturus est, nos ad hoc inuitat, cùm petere, quærere, & pulsare iubet. Medicus est qui vocat, & veritas quæ salutem pollicetur. Si ergo vocatus adsis, & obtemperes, nũquid Deus deseret te, & subtrahet se? Non est Deus illusor (inquit Augustinus) excipiet te, & curabit te.

2 Cor. 6.
Simil.
Mat. 11.
August.

I.

Hoc est igitur quod huius Reguli petitio nobis innuit: nunc quid ei Dominus responderit, videamus: *Nisi*, inquit, *signa & prodigia videritis, non creditis*. Hæc verba asperitatem quãdam præ se ferre vidẽtur, quæ Reguli incredulitatem arguunt. Quæ quidem incredulitas Saluatori erat adeò molesta, vt aduersus alium parentem, simili incredulitate laborantem, exclamando, dixerit: O generatio incredula & peruersa, quousque apud vos ero? quãdiu vos patiar? Vtraq. autem obiurgatio declarat, quãtò maior Seruatori nostro animarum quàm corporũ cura sit, qui nõ corpora (quæ velimus, nolimus, paulò pòst interitura sunt) sed immortales animas curaturus aduenerat. Itaq. Regulus quidem de filij morbo, Dominus autem de patris infidelitate solicitus erat: vtpote qui probè nosset quantò morbus hic grauior esset & perniciosior. Sic etiam cùm paralyticus illi curandus offerretur, ille (tanquam iustissimus rerum æstimator) ad animæ paralysim magis intentus, hanc prius curare voluit, cùm dixit: Fili, remittũtur tibi peccata tua. Quid agis Domine? Portitores

Marc. 9.
Matth. 9.

isti non de peccatorum remissione, sed de paralysis morbo solli-
citi sunt. At prudentissimus medicus indignũ putabat, grauiori
morbo prætermisso (qui animam lethaliter sauciabat) corpo-
morbo medicinam facere. Prius igitur curare statuit, vel non
rogatus, quòd maius ægroto nocumentum afferebat. Is enim
est, qui abundantia pietatis suæ, & merita supplicum excedit &
vota. Hoc ipsum etiam cùm Regulo facit, quem prius ab infi-
delitatis morbo, quàm filium à febri curare cœpit, cùm ait: Ni
signa & prodigia videritis, non creditis.

Sed hîc non leuis insurgit quæstio, qua ratione incredul-
arguitur Regulus, qui desperatam à medicis salutem à Do-
no postulabat: nec enim salutem ab eo quæreret, quem non
Gregor. deret Saluatorem? Cui tamen quæstioni facilè D. Gregorius
spondet, illum partim quidem credidisse, quando salutem f-
poposcit: partim verò non credidisse, quoniam hanc sine corpo-
rali Saluatoris præsentia præstari posse non credidit. *Vnde ro-
bat, vt descenderet, & sanaret filium eius.* Sic igitur credebat Re-
4 Reg. 5. gulus, quomodo olim Naaman Syrus, qui Propheticæ man-
contactum & orationem ad curationem morbi sui credidit ne-
cessariam. Hac igitur de causa iure est à Domino reprehens-
non quia omnino non credidit, sed quia imperfectè credid-

Longè tamẽ altior hinc quæstio consurgit. Simili enim
Matth. 9. do Archisynagogus laboranti filiæ salutẽ à Domino petiit, V-
ni, inquiens, impone manum tuam super eam, & viuet. Ad-
sus quem nihil Dominus asperè respondit: sed cum eo benig-
profectus, ipsum etiam in fide vacillantem in itinere confirm-
Ibidem. uit, Noli, inquit, timere: crede tantùm, & salua erit. Cur igit
in tam simili causa, tanta in responsione disparitas est? Vterq
princeps erat: vterq. salutem petebat: vterque præsentiã Dom-
ni necessariam esse, & credebat, & postulabat. Nullum hîc d-
crimen intercedit, nisi quòd alter filio, alter filiæ salutẽ petebat
Cur ergo Dominus illi obsequitur, cum eo descendit, & nuta-
tem confirmat & consolatur? ad hunc verò neq; venire voluit,
Rom. 11. eum verbis grauissimis exacerbauit? Quis pro dignitate h-
quæstioni respondere potest? Quis enim cognouit sensum D-
mini, & consilium eius? Hoc igitur in loco fatendum est, aliqu-
aliud, vel in fide, vel in oratione, vel in humilitate alterius fu-
se, quod nos legentes non videmus. Viderunt autem illi ocu-
Iob 10. de quibus dictum est: Nunquid oculi carnei tibi sunt, aut sic
Prou. 16. videt homo & tu vides? Hinc Salomon ait: Omnes viæ hom-
num patent oculis eius: spirituum ponderator est Domi-

Ho-

Homines enim externam operis speciem contuentur, appendit autem corda Dominus: vnde valor ac meritum operum pręcipuè penditur. Quo fit, vt in simili operũ specie, dissimile pretiũ atque meritũ existat. Hinc etiã euenit; vt cùm duo homines Dominũ sequi vellent, & alter diceret: Magister, sequar te, quocũq. ieris: alter verò à Domino vocatus, responderit: Permitte mihi primum ire, & sepelire patrem meum: huic dicitur, Dimitte mortuos sepelire mortuos suos: ille verò à Domino repulsus, audit: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis nõ habet vbi caput suum reclinet. Quid ergo Dominus in vtriusque pectore videbat, quando alterum quodammodo recusantem trahit, alterum vltrò sequi volentem repellit? Quis enim hoc temerè factum esse credat? sed aliquid intus latebat, diuinis oculis conspicuum, quod oculos hominum latebat.

1 Reg. 17.
Matth. 8.
Ibidem.

Hinc discant quicunq. bonis operibus vacant, animum demittere, quãdoquidem quod in ipsis animi penetralibus lateat, non omnes agnoscunt. Alioqui nunquam Salomon diceret, Est via quæ videtur homini recta, & nouissima eius ducũt ad mortem. Cuius rei gratia in timore conuersandum nobis esse, incolatus nostri tempore, ab Apostolo Petro monemur.

Prou. 16.
1 Pet. 1.

Responderi etiam potest, similem quidem vtrobique fuisse & fidem & infirmitatem: Dominum tamen dissimiliter vtriq. respondisse. Neq. enim diuina libertas ita rebus alligata est, vt ei liberum non sit, in simili causa dissimilem ferre sententiam, *illæsa* tamen integritate iustitiæ. Neque enim ementiũ ac vendentium legibus beneficia sua largitur, qui pretia rebus æquare solent: sed liberalissimi principis morem sectatur; qui nõ solùm benemeritis, sed etiam nihil meritis, ex sola liberalitate ampla dona largitur. Duo in cruce pariter cum Domino latrones pendebant, & vtriusque similis esse videbatur pœna pariter & culpa: & tamen adeò dissimiliter cum vtroque actum est, vt alter ex patibulo vocaretur ad regnũ, alter raperetur ad supplicium. *Hanc* autem summam & excellentissimam libertatem, diuinitatis iure sibi debitam profitetur ipse, cùm ait: Miserebor cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit. Hoc enim proprium & singulare eius est, qui nihil cuiquam debet, nullumq́. superiorem agnoscit. Ex hac ergo diuina libertate & gratia euenire hæc disparitas potuit: vt ex duobus principibus, eodem infirmæ fidei morbo laborantibus, alter fuerit misericorditer & benignè susceptus, alter meritò reprehensus, dicente Domino: *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.*

Simil.
Lucæ 23.
Exod. 33

II.

Post hanc autem increpationem, subdit Regulus: *Domine descende, priusquam moriatur filius meus.* Quod perinde est, ac si diceret: Ne, quæso, Domine, loquendo & increpando moram trahas: ne dum in hoc tempus insumimus, filius moriatur, nullusq. relinquatur remedio locus. Ecce altera infidelitatis labes, quod ægrotum à Domino credebat posse sanari; non tamen mortuum suscitari: ideoq. vrget, & ait: *Domine, descende, priusquam moriatur filius meus.* Hoc est, desine in his tempus terere, quæ non ita magni momenti sunt, vt rei pretiosissimæ, nempe vitæ morientis filij, opportunè consulas. In his verbis, frmores, studia, curæque piorum & improborum appositi mihi descriptæ esse videntur: quorum vobis imaginem ante oculos hoc exemplo ponere vellem. Piorum est cum sponsa

Cantic. 2. Cantic. dicere, Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. Hoc est, inter cætera dona, quæ cælestis mihi Sponsus cōtulit, hoc vel maximum fuit, quòd charitatis rectum ordinem tenere me docuit: hoc est, vt quod maius erat priori, quod verò minus, posteriori loco diligerem, neq. vlla ratione hunc dilectionis ordinem inuerterem. Et quidem in hoc ordine primo loco Deus Opt. Max. collocatur, qui amore summo & propter se & propter innumera in nos collata beneficia diligendus est. Secundo verò loco salus animæ propriæ: cui post Deum nihil est anteferendum. Tertio autem salus animæ alienæ, quæ cæteris omnibus præponi debet. Quarto tandem corpus proprium, deinde alienum. Postremo verò ea, quę ad vsum corporis pertinēt: qualia sunt externa bona, quæ clarissimi Philosophi nec in numero quidem bonorum ponenda esse censuerunt. In huius autem ordinis conseruatione omnis pietas & religio, omnisq. iustitia posita est. Vnde non ineleganter D. Au-

August. gustinus virtutē breuiter & argutè definiuit, cùm eam ordinem amoris esse dixit: vt videlicet priora & maiora magis, posteriora verò & minora minus diligamus: tantumq́ue vnicuique rei dilectionis impendamus, quantum est in ea dignitatis. Rationis enim creaturæ summa virtus atque sapientia est, vnamquamque rem tanti facere, quanti faciēda est. Vnde meritò Seneca: Quid inquit, tam necessarium, quàm pretia rebus imponere?

Sed ne hæc ipsa quæ diximus, inter se pugnare credamus, sciendum est, duo illa summa quæ super omnia diligenda esse diximus (nempe Deum & animam nostram) nullo modo sibi aduersari: quia ita diuina prouidentia comparatum fuit, vt si

tem nostram cum sui nominis gloria ita copularet, vt nihil esset gratum, nisi quod esset animæ nostrę salutare. Quod Eucherius in Epistola ad Valerianum expressit his verbis: Summam debemus obseruantiam Deo, animæ deinde nostræ maximam: atque ita tamen istud est, vt cùm vtrumque pręcipuum sit, obseruari alterum sine altero nequaquam possit. Ita, quisquis satisfecerit Deo, animæ necesse est, iam cõsuluerit, & quisquis animæ consuluerit, necesse est Deo iam satisfecerit: quia ineffabili benignitate Dei, ipsa vtilitas nostra fit Deo gratissimum sacrificium. Hunc ergo ordinem pij omnes ita tenuerunt, vt prius vitam amittere, quàm illum immutare paterentur. Hac enim de causa sancti Martyres libenter vitam corporis impenderunt, ne aut contra Dei gloriam, aut animæ suæ salutem quidquam agerent. Qua in re, dum id quod minus erat, maiori cedere cogebant, serpentum prudentiam imitabantur: qui dum feriuntur, recto capite, corpus ictibus ferientis obijciunt, vt caput (vnde vita manat) illæsum seruent. Sic igitur pij omnes. At verò improbi tanquam profani Esau filij (qui vile ferculum paternæ hæreditati & benedictioni prætulit) ita hunc ipsum ordinem inuertunt, vt vilissima quæque, & ea, quæ postremo loco habenda sunt, in supremo ordine collocent: quę verò suprema, in infimo reponant. Hac enim mẽte & affectu pecuniam & corporis commoda, Deo atque saluti animæ suæ anteferunt: dum propter vilissima lucra non verẽtur & Dei maiestatem violare, & animæ suæ salutem prodere. Quo quid esse indignius potest? Inde adeò fit, vt si fortè vel pecuniã, vel commoditatem aliquam amiserint, rumpantur & discrucientur, ac interdum etiam sibi manus afferant: qui tamen cùm & Deum, & animam suam perdiderint, non modò non discrucientur, sed sæpe etiam lætentur cùm malefecerint: quasi nihil ad eos Dei amicitia, & animæ suæ salus pertineret. Quod si contra hoc inclames & dicas: Considera, quæso, homo, diuinę maiestatis amplitudinem & animæ tuę salutem hoc exigere, vt Deus quidem ac animæ tuæ salus primo loco habenda sit: vide quàm præposterum sit, rebus maximis vilissimas anteponere: quod non minus stultum est, quàm si quis plumbum auro, aut gemmis rudes lapides anteferret. Vide etiã te hac eadem animi iactura, ipsam quoq. corporis vitam, quam tantoperè diligi, perdere, cùm animam perdis. Perdis enim ęternam vitam, perdis Dei amicitiam & gratiam, excluderis à paradiso, & supplicijs nunquam finiendis addiceris. Siccine igitur te ipsum ac salutem tuam prodes?

Eucher.

Simil.

Gen. 25.

Aperi, quæso, paulisper oculos; & vtriusq. rei collatione facta
prudenter expende, quid accipias, & quid amittas, quid perda
& quid lucreris. Si hæc & his similia multa his hominibus in-
culces, surdo planè canis fabulam: quoniam & auri fulgor, &
corporis salus, eius oculos fascinarunt.

Hinc si pes, si manus, si iecur doleat, medicos accersit, & om-
nis pharmacopolarum officina excutitur, passim à tota famili
discurritur, festinatur, vigilatur, pecunia diu seruata profun
tur, ac tota domus feruet: cùm tamen languentis & periclita-
tis animæ cura nulla, nulla solicitudo sit. Quod quidem Re-
lus iste nobis repræsentat: quem cùm Dominus infide
morbo laborantem curare vellet, ipse curare incipientem i
cipit, & ab animæ cura ad corporis curam reuocat, dicens:
mine, descende, priusquam moriatur filius meus. Quod pen
est, ac si diceret: Prima cura, Domine, saluti corporis impend
da est: posterior animæ sit. Vbi hoc officio functus fueris, p
ris, si vacauerit, castigare incredulitatem meam: modò id q
instat, quodq. maximum est, curare perge. Itaque nunc *desc
de, priusquam moriatur filius meus.* O si nunc eam nobis
minus mentem immitteret, vt quoties anima nostra simil
riculo laborat, quoties videlicet praua aliqua suggestione
delectatione infestatur, simili festinatione atque oratio
opem Domini confugeremus, dicentes: Domine, descen
opem, antequam per peccati consensum moriatur anima
Sunt enim varij gradus, quibus ad spiritualem animæ mor
peruenitur: inter quos primus est praua cogitatio: proximus
rò cogitationis delectatio: quam si sequatur consensus, siue
opus, siue in ipsam delectationem, ibi protinus mors ani
intercedit. Audi ergo, charissime, quoties negligentia tua pe
ti cogitatio ad delectationem peruenit, & voluptatis glutin
cordi tuo adhęsit, vt vix eam à te possis excutere, tunc nulla
ra trahenda est, tunc more huius Reguli vrgendum, prope
dum, ac vociferandum est: *Domine, descende priusquam mo
tur filius meus,* priusquam delectatio quæ cõcepit dolorem
Psal. 69. riat iniquitatem. Tunc cum Propheta clama: Deus, in adi
Psal. 82. rium meum intende: Domine, ad adiuuandum me festina
iterum: Deus, ne sileas, ne taceas, ne quiescas, Deus. (sicu
quidam ex Hebræo verterunt) quoniam ecce inimici tui
nuerunt, &c. Vides quantum vrget ac properat vir sanc
& quanta celeritate subueniri sibi contra hostium impe
flagitet?

ad

III.

Sed iam quid Dominus petenti Regulo responderit videamus: *Vade*, inquit, *filius tuus viuit. Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus, & ibat.* Mirum fidei incrementum, quod ab illa Domini obiurgatione manasse credẽdum est. Quid enim amplius Centurio credidit, cuius fidem Dominus tantoperè commendauit: nisi quod verbo absens reddere salutem posset? Idem nunc Regulus credidit: atque ita credidit, vt hac fiducia fretus, iter arripuerit non amplius Domini præsentiam exigens: vt apertè liqueat, vno eodemque tempore Dominum & filio salutem & patri fidem reddidisse. Quo beneficio admonemur, ne cùm à Domino corripimur, aut acerbiùs tractamur, animo concidamus: imò verò hoc ipso tempore in maximam salutis spem erigamur. Quò enim Dominus seuerior in principio, eò dulcior apparere solet in fine. Sæpe enim suos prima fronte vel deserere, vel negligere videtur: quos tamen tunc maximè souet, cùm maximè despicere iudicatur. Hinc frequenter sancti viri se à Deo derelictos queruntur. Sic Dauid in Psalmo: Vsquequo Domine obliuisceris me in finem? Vsquequo auertis faciem tuam à me? Et iterum: Exurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem. Quare faciem tuam auertis? Obliuisceris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ. Hac igitur ratione pios Dominus exercet ac probat: Probaui, inquit, te, apud aquam contradictionis: hoc est, volui vt aqua tibi deesset: quò fidem & spem tuam explorarem. Hoc ergo tempore, etiam si repulsam homo pati videatur, incumbere tamen instantius orationi debet: quemadmodum Propheta: Clamaui, inquit, ad te Domine; tota die expandi ad te manus meas. Intelligebat enim vir sanctus, hunc esse morem Domini, vt prius quidem suos perterrefaciat, deinde mulceat & consoletur. Sic de Israëlitico populo legimus: Afflixit te penuria, dedit tibi manna: vt hoc exemplo discamus, non desperare in plagis à Deo immissis, sed ea futuræ misericordiæ indicia credere. Sic enim Dominus se in Euangelio cum muliere Chananæa gessit, quam à se repellere videbatur: sic cum eo qui lunaticum filium ei obtulit curandum, quem acerrimè prius increpauit, quàm filium sanaret. Sic denique cum hoc Regulo, quem initio durius obiurgauit: cum quo tamen tanta benignitate vsus est, vt filio salutem, patri fidem, ac toti eius familiæ contulerit. Fides enim Dei donum, & maximum quidem donum est: quo excellenti dono Regulus hic cum tota familia donatur. Verbis enim

Matth. 8. Psal. 12. Psal. 43. Psal. 86. Psal. 87. Deut. 8. Matt. 15. Matt. 17. Ephes. 2.

enim illum exterius castigabat, quem tamen intus cælesti lumine complebat.

Quo in loco diligenter aduertendi sunt in hoc Regulo tres fidei gradus. Primo enim credidit Saluatorem præsentia corporis sui salutem ægrotanti filio posse reddere. Secundo, post increpationem & responsionem Domini dicitur de eo: *Credidit homo sermoni quem dixerat ei Iesus, & ibat.* Ecce secundus fidei gradus, quo credidit absentem quoque Dominum salutem reddere potuisse. Modò verò dicitur: *Credidit ipse, & domus eius tota.* An non iam crediderat, cùm de eo dictum est: *Credidit homo sermoni, quem dixerat ei Iesus?* Crediderat planè: sed tamen cùm modò dicatur credidisse, necessariò fatendũ est, fidem eius edito miraculo auctam fuisse. Anteà enim credidit sermoni Christi: modò verò cum tota sua familia credidit in Christum, ipsum esse verum Messiam, ac mũdi Saluatorem professus. Scitis enim aliud esse credere Deo, aliud credere in Deum. Quisquis enim fidem veram habet, etsi charitatem non habeat, credere tamẽ Deo dicitur: quod ad salutem minimè sufficit, quando (vt Iacobus ait) dæmones & credunt, & contremiscunt. **Iacob. 2.** Credere autem in Deum, est amando in illum tendere: quando videlicet intellectus & voluntas inter se ita cohærent, vt quem intellectus tanquam summum bonum prædicat super omnia diligendum, sic voluntas amplectitur & diligit, vt ei ab intellectu propositum est. Vbi igitur hæ duæ animæ nostræ vires inter se ita consonant, vt quod altera dictat, altera amplectatur, tunc fides viua esse dicitur, vtpote quæ à charitate nouam formam & dignitatem sortiatur. Fides enim quamuis sine charitate vera fides & Dei donum sit, charitate tamen miro modo informatur atque perficitur. Hæc autem fides est, quæ hominem iustificat, quæ peccata purgat, quæ animam virtutibus ornat, quæ cælum aperit, quę postremò Deum homini conciliat. Hanc ergo excellentem fidem singulari Dei beneficio Regulus noster hodie percepit, dum filio salutem petiit.

Nec modò ipse credidit, sed etiã (vt modò diximus) domus eius Domini sui fidem imitata, eodemq́. miraculo conuicta. In quo videre est quantum ad eruditionẽ seruorum exempla conferant dominorum. Diues ille epulo inhumanus & immisericors erga mendicum Lazarum erat: cuius inhumanitatem tota eius familia sectabatur. **Lucæ 16.** Cupiebat enim mendicus saturari de micis, quæ cadebant de mẽsa diuitis, & nemo illi dabat. Immitis enim dominus immites quoque famulos suos fecerat. Rectè

enim

dictum est: Qualis rector ciuitatis, tales & inhabitantes Eccl. 10.
Omne enim agens (vt Philosophi docent) agit sibi simile.
Quicunque ergo Domini estis, videte, quæso, quæ viuendi exempla subditis præbeatis. Cùm enim homo priuatus delinquit, sibi nocet: patres autem familias, si improbi sint, tot scelerum rei fiunt, quot praua exempla suis præbuerunt, cum illis ad inferos arsuri, quos malitia sua corruperũt. Hoc attẽdant homini, qui in ludo atq. alea dies noctesq́. insumũt, quiq́. alienæ castitati insidiantur, qui linguã suam quotidianis iuramentis inficiunt, quos tota pænè familia imitatur. Hoc etiã attẽdite quicunq. patres estis. Tenera enim ætas instar speculi est, quod Simil. omnia ea repræsentat, quæ sibi obiiciũtur. Paruuli enim qui nihil per ætatem nouêre, hoc natura ipsa ducente faciũt, quod parentes facere vident: ad quorum imitationẽ ipse illos amor impellit. Infirmæ arbores (quales vitis, hedera, & reliquæ similes Simil. sunt) quæ per se in altum subrigi nequeunt, flagellis ac nexibus quibusdam in hoc à natura datis, finitimas arbores prehendunt, & illarum adminiculo fulciuntur, ac sese in sublime erigunt. Talis est igitur natura paruulorum: qui cùm per se nihil sciant, maiorũ ductum sequũtur. Quod etiam Reguli huius serui fecerunt: qui cum domino suo in Christum Dominũ crediderunt.
Sed videamus quo miraculo ad hanc fidem adducta sit familia. Nimirum quia perniciosissimam febrem, quæ adolescentis corpus depascebatur, subitò ad verbum Christi sublatam vidit: quam nulla ars, nulla medicamenta curare poterant. Quod ergo nec ars, nec natura potuit, vnius imperãtis Domini verbum sine vlla mora præstitit. Atque hac tam subita & insperata mutatione, in eam admirationis magnitudinẽ serui adducti sunt, vt protinus omnipotentis Christi virtutem agnouerint: quæ sola subitam salutem donare potest. Non desunt autẽ quotidie in Ecclesia similes animarum curationes: quæ instar miraculi huius, piorum fidem miro modo illustrant atq. augent. Videas enim plerosq. ante conuersionẽ suam, ardore febrium spiritualiũ æstuare. Alius enim æstuat febre auaritiæ, alius ambitionis, alius iræ, odij, & inuidiæ. Nec enim flagrantissima harũ rerum cupiditas, minus animos vrit atq. vexat, quàm corporea febris. Non raró autẽ euenit, vt cùm quis ad Deum per veram pœnitentiam conuertitur, ita mẽte mutetur, vt quæ anteà deperibat, modò fastidiat: & ea, quorum flagrantissimo desiderio tenebatur, ei modò nauseam pariant. Quod cùm fidelis & pius homo prudenter animaduertit, & hanc tantam cordis sui tamque

subitam mutationem considerat, adeò miratur, vt vix seipsum agnoscat, vix seipsum inueniat: atque vbi se nec inuenit, nec agnoscit, ibi Deum mirabilia hęc operantem nosse incipit & inuenire: atq. ita demum cum Propheta clamat: Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me: dextera Domini fecit virtutem. Non moriar, sed viuam, & narrabo opera Domini: qui solus hanc tantam mutationem efficere potuit.

Psal. 117.

Quod si ita est; vbi sunt illi, qui ideò ad Dominum conuerti nolunt, quia voluptatum suarum fructu carere se posse desperant? Hi autem non aduertunt per veram pœnitentiam donari à Deo gratiam, & sanari animam: quæ vbi sanata fuerit, sitim earum rerum restinguit, quæ à peccati morbo oriebantur, atque ita fieri, vt fastidio illi sint, quæ anteà erant voluptati. Sublato enim per pœnitentiam morbo, cupiditates istæ magna ex parte sopiuntur & conquiescunt. In hoc ergo falleris, quòd eosdem animi æstus & cupiditates permansuras putas; curato morbo, quibus æstuabas vigente morbo. Hunc autem mentis errorem, familiari hac similitudine declarabo. Nonne tibi aliquando contigit, cùm febribus æstuares, & vehementer sitires, in mentem venire limpidissimos fontes, quos aliquando vidisti? è quibus cùm modò tibi bibere non liceat, decernere tamen, vbi sanitatem fueris adeptus, ad illos te profecturum, & illorum te aquis vsque ad satietatem ingurgitaturum? At cùm sanitate restituta, sitis ipsa pariter cum morbo cessauerit, etiam si ad illos fontes perueneris, nulla tangeris cupiditate bibendi: ridesque antiqua illa vota tua ac desideria: quæ cum morbo pariter euanuerunt. Sicut ergo sublato corporis morbo, ea quoque desideria extinguũtur, quæ oriebantur ex morbo: ita sanata per veram pœnitentiam animæ ægritudine, omnes illi affectus & cupiditates, quæ ex peccati ægritudine prodibant pariter auferuntur, atque ita demùm in magna animi pace & quiete agit, quisquis ad Dominum per veram pœnitentiam conuersus est. Hunc ergo, fratres, errorem deponite, vitiis renuntiate, veram pœnitentiam agite, & opem Domini implorate: vt per veram pœnitentiam & in hac vita veram cordis pacem & gratiam, & futura cælestem gloriam verè pœnitentibus promissam percipere mereamini.

Simil.

IN EA-

IN EADEM DOMINICA VIGESIMA POST PENTECOSTEN CONCIO secunda: in qua post Euangelicæ lectionis explanationem, occasione ægrotantis filij Reguli, varios morbos & calamitates, in hac vita minimè defuturas asseritur: & quis hac ex re fructus consequatur exponitur.

THEM. *Erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cùm audiret quia Iesus adueniret à Iudæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum, vt descenderet, & sanaret filium eius.* Ioan. 4.



PRAESENS sancti Euangelij lectio mirabilem Domini Saluatoris virtutem atq. potentiam non solùm ad corporum, sed etiam ad animorum morbos propulsandos facilè declarat: vtrumque enim Saluator vnico miraculo effecit, quo & morienti Reguli filio salutem, & patri totique eius familiæ fidem donauit. Historia verò sic habet: *Erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum.* Non otiosè sanctus Euangelista locum in quo adolescens hic ægrotabat descripsisse videtur. Quamuis enim hoc ad miraculi magnitudinem non ita multum referat, ad institutionem tamen vitæ nostræ non parum confert. Capharnaum quidem ager pinguedinis, siue villa consolationis interpretatur. In hoc autem loco facilè animũ ægrotare declarat Propheta, cùm ait: Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, &c. Incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum. Hoc autem declarant Dauidis, Salomonis, & Ezechiæ regum exempla: qui vbi ampla & pingui fortuna vsi sunt, in superbiam elati fuerunt. Iam verò sapientia (vt est in Iob) non inuenitur in terra suauiter viuentium. Hinc illa à Philosophis meritò laudata sententia, in regno voluptatis virtuti non esse locum. Verè enim quemadmodum emortuæ carnes in aqua dulci corrumpuntur, vermibusque scatere incipiunt: in salsa verò quàm diutissimè conseruãtur, & à nauigantibus ad extremos vsque mundi fines incorruptæ deferuntur: sic humanus animus laboribus perficitur ac probatur, delicijs autem

Deut. 32.

Iob 28.

simil.

tem

tem & vitæ blandimentis dissoluitur. Vnde est illud Prophetiæ
Ierem. 31 cum: Vsquequo deliciis dissolueris filia vaga? Quid, quòd non
animi solùm sed integræ etiam vrbes, atque Respub. deliciis &
voluptatibus primùm quidem debilitatæ, ac deinde penitus
excisæ atque deletæ fuêre? Quid enim antiquissimum & latissimum Assyriorum Imperium, nisi Sardanapali Regis libidines & voluptates in seruitutem redegerunt? Quid Lacedæmonios, quid Persas, quid postremò Romanos rerum dominos ex tanto Imperij culmine, nisi immensæ deliciæ atque voluptates deiecerunt? Sed ad sequentia veniamus.

Cùm, ergo, *Regulus hic audisset à Iudæa Dominum in Galilæam*, hoc est, in regionem suam, *venisse: rogabat eum vt descenderet & sanaret filium eius*. Sapienter quidem Regulus tantam hanc opportunitatem prætermittendam non putauit. Vt enim in rebus humanis opportunitas seruata magnum in rebus gerendis momentum affert: ita etiam in his, quæ ad animæ salutem spectant. Hoc enim Propheta designat, cùm ait: Quæ-
Esaiæ 55. rite Dominum dum inueniri potest: inuocate eum dum propè est. Propè autem est, cùm ad nos accedit, cùm ad cordis
nostri ostium pulsat. Tunc enim nulla mora trahenda est. Vt
Bernard. enim D. Bernardo teste improbus homo iustè patitur quod noluit, quia non peccat nisi velit: ita iustè à Domino non auditur, qui vocantem Dominum non audiuit.

Cùm igitur Regulus oblata hac opportunitate Dominum adiisset, *rogabat eum vt descenderet, & sanaret filium eius*. Cui Dominus: *Nisi*, inquit, *signa & prodigia videritis non creditis*. Ex his Domini verbis apertè liquet, regulum in fide vacillasse: nec enim cordium inspector Dominus tam acri illum obiurgatione corripuisset, nisi latentē in eius pectore infirmitatē fidei vidisset. Cur ergo à Domino salutem petiit, quem non credebat
Mat. 17. Saluatorem? Nihil mirum si & salutem petiit, & in fide dubitauit: quemadmodum ille apud Matthæum Lunatici filij pater, qui simili fidei infirmitate salutē filio à Domino petiit his verbis: Domine miserere filio meo, quia lunaticus est, & sæpe cadit in ignem: & obtuli illum discipulis tuis, & nō potuerūt eum cu-
Marc 9. rare. Addit autē Marcus: Tu si quid potes, adiuua nos misertus nostri. Hic enim & salutem filio petebat, & in fide simili modo nutabat: ideoque acriter à Domino increpatus est. Quomodo ergo salutem isti à Domino petebāt, cuius virtutem & potestatem vel non credebant, vel in dubium vocabāt? Hanc quæstionem facilè dissoluet quisquis amoris proprij vim cōsiderauerit.

Is namque

ipsumque vbi res quę immodico amore diligitur, in discrimen vocatur, nihil intentatum relinquit, nec certa solum remedia, sed dubia etiam & incerta experiri vult, si quid fortè opis atque salutis vndecunque illi affulgeat: ideoque nihil mirum si post alia remedia, quæ frustrà tentauerant, hoc etiam nouissimum experiri voluerint. Quo argumento apertè colligimus, fratres, quanto maiori dilectione corpus mox periturum homines, quàm animam perpetuò victuram diligant: quando ad corporis salutem non solùm certa, sed incerta etiam medicamenta captant: ad animæ verò ægrotantis salutem certa quoque & in promptu posita remedia, & spontè etiã oblata repudiãt. Quam rem ab insigni cordis cæcitate, diabolique fraude proficisci certissimũ est. Quòd si quæras quî fieri possit, vt cùm homines isti fidei & rationis lumine instructi apertissimè intelligant animæ bona, corporis bonis multò esse præstãtiora: quonammodo qui hoc intelligunt, prorsus negligant quod maius est, cùm tanto studio curent quod longè minus est? Ad hoc Theologi respondent, duplicem esse cognitionem; alteram (vt ipsi vocant) speculatiuam, alteram practicam: nihil autem impedire quo minus improbi homines fidei lumine informati speculatiua cognitione (quæ res vniuersè considerat) iudicent & animæ bona & Deum ipsum, diuinaque omnia corporis bonis esse infinitis partibus præstãtiora: quæ tamen practica cognitione (quæ singulares rerum circumstantias contemplatur, quæque voluntatem in officio suo dirigit) inferiora hæc bona superioribus anteferenda iudicent. Sic enim decipitur is, qui vt pecuniã lucretur lethale peccatum committit (quo & animam suam perdit & Deum à se abalienat) quamuis speculatiua cognitione Deum esse rebus omnibus anteponendum iudicet. In hoc tamen casu pecuniam Deo præferendam decernit: alioqui nequaquam hoc voluntas amplecteretur: nisi pręuio intellectus practici iudicio: sine cuius dictamine voluntas cæca amplecti nihil potest. Sed hac de re mox plura videbimus.

Vbi enim Regulo salutem petenti Dominus respondisset: *Nisi signa & prodigia videritis non creditis*; (quibus verbis salutarẽ de synceritate fidei doctrinã ei tradere valuisset) ille ad hãc doctrinam surdus, magisq́. de filij, quàm de infidelitatis morbo solicitus, accelerare Dominum rogat, dicens: *Domine descende, priusquàm moriatur filius meus*. Quæ eius oratio facilè humanæ naturæ morbum indicat: quæ post communis illius peccati labẽ sic inuersa fuit, vt omnia corporis mala molestissimè ferat: animæ

animæ verò mala (quæ multis partibus grauiora ſunt) neque curet, nec omnino ſentiat. Sic enim lapſæ naturæ vitio ſpiritus noſter in naturam carnis degenerauit, vt totus homo carneus effectus, omnem pænè ſpiritualium rerum ſenſum exuiſſe vi-
August. deatur. Aduerſum hos autem meritò D. Auguſtinus clamat: Laboras, inquit, vt non moriatur homo moriturus, & non laboras ne peccet in æternum victurus. Quo quid eſſe dementius & monſtroſius poteſt? Multa tamen huiuſmodi monſtra paſſim reperiuntur. Quid enim ſeculi homines non faciunt, cùm vita corporis periclitatur? Nonne ergo par erat, vt quantò anima corpori, & diuina humanis antecellunt, tantò maiori cura ſuperiora hæc bona quàm inferiora amplecteremur? Quis hoc negare audeat? Huiuſmodi autem homines qui atrociſſimis
Felicianus. verbis corripiendi erant, Felicianus, Arelatenſis epiſcopus, non atrocibus, ſed amicis verbis compellat hoc modo: Rogo vos, fratres, quid tam malè de nobis meruit anima noſtra, ad imaginem Dei facta, quòd vel tantam cuſtodiam ei nolumus impen-
Simil. dere, quantam veſtibus noſtris adhibemus? Quo enim ſtudio cùm nouam veſtem induimus, eam à cunctis ſordibus & maculis puram conſeruare ſtudemus? quòd verò anima noſtra vt ſceleribus deformetur & inquinetur, nihil noſtra intereſſe putamus. Appendite, quæſo, in altera libræ lance, animæ veſtræ dignitatem: quæ non ſolùm pulcherrima Dei imagine decorata, ſed etiam pretioſo Chriſti ſanguine redempta, & ad immortalem gloriam deſtinata eſt: in altera verò (pudet dicere, pudet comparare, pudet hac de re apud homines ſenſu præditos verba facere) in altera, inquam, libræ lance ſiue corporis veſtem, ſiue quicquid ad corporis cultum pertinet appendite. Quam ergo commutationem, vt Saluator ait, dabit homo pro anima ſua? Quid enim prodeſt homini ſi totius mundi imperium teneat, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Hos autem meritò verbis illis compellare poſſumus, quibus Dominus Petri ignorantiam, qua illum à myſterio crucis reuocare volebat, increpauit, dicens: Vade poſt me retrò Satana; ſcandalum mihi es: non enim ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum: hoc eſt, non diuino, ſed humano more de rebus iudicium facis. Qui enim hac mente ſunt, nondum lumen illud cæleſte receperunt, quo ſpiritualium rerum ſplendorem, dignitatem, & pulchritudinem inſpicerent: nondum guſtauerunt bonum Dei verbum, virtuteſque ſeculi venturi: nondum hac ſuauitatis dulcedine illecti & inebriati in earum amorem & deſide-

rum exarſerunt. Ideoq́ue non ſapiunt ea, quæ Dei ſunt, ſed quę hominum. Hæc enim humana ac terrena bona oculis vſurpant, manibus contrectant, commodis earum vtuntur, deliciis oblectantur: ideoq́ue bona hæc, quæ tot ſenſibus comprehendũtur, illis anteponunt, quæ non videntur, ſed fide ſola percipiuntur. Quæ quò ſunt præſtantiora atque diuiniora, eò maiori dilectione complectenda, maiori ſtudio quærenda, maioriq́ue pretio æſtimanda erant.

At Dominus infirmitatis humanæ cõſcius, hoc ſaltem à nobis exigit, vt quo ſtudio atque ardore terrena bona quærebamus, eodem cæleſtia atque diuina amplecteremur. Hoc enim illa Prophetæ verba deſignant: Cõuertimini, ſicut in profundũ receſſeratis, hoc eſt, tanto ſtudio Deo ſeruire contendite, quanto mundo ſeruire ſtuduiſtis: tanto ſtudio ſpiritualia ac cæleſtia bona amplectimini, quãto antea terrena bona ſectabamini: tanto ſtudio ad iuſtitiæ dignitatem aſpirare, quanto ad peccati turpitudinem pergebatis: ac poſtremò tanto mentis ardore ad Deũ properate, quanto hactenus ab eo fugere contendiſtis. Hoc autem à nobis Vates ſanctus habita infirmitatis noſtrę ratione exigebat: qui tamen non ignorabat quanto flagrantiori amore, cæleſtia quàm humana quærenda eſſent. Sciebat enim ſcriptum eſſe, Sicut fuit ſenſus veſter, vt erraretis à Deo, ſic decies tantum iterum conuertentes requiretis eum. Vbi enim diuini ſpiritus lumine colluſtrati ſpiritualium rerum dignitatem agnoueritis; & vbi virtus Euangelij, quæ in ſalutem eſt omni credenti, mentem veſtram ſanauerit, immutauerit & roborauerit, & à carnis commercio & ſeruitute atque impuritate abduxerit, tunc decies tantum diuina requiretis, hoc eſt, decuplo maiori ſtudio ad cæleſtia atque diuina quàm olim ad terrena atque humana, aſpirabitis. Fateor, lõgius in hac parte euectus ſum, quòd intelligerem ex hac vna re cùm primis ſalutem noſtram pendere. Hic enim immodicus terrenarum rerũ & noſtri amor ſicut malis omnibus aditum patefacit, ita diuinæ gratiæ aditum obſtruit. A quo malo nos Apoſtolus reuocare contendit cùm ait, Videte ne quis deſit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans impediat (ſcilicet diuinam gratiam) quid autẽ magis diuinam gratiam impedit, quàm peccatum & peccati radix cupiditas & immoderatus amor ſui? Hæc enim eſt amaritudinis radix peccata omnia germinans: quibus nihil amarius, nihil acerbius fingi animo & cogitatione poteſt. Sed iam ad reliqua properemus. Hebr.12.

II.

Vbi igitur Regulus Domini aduentum in domum suam accelerari postulasset, ipse contrà respondit, *Vade filius tuus viuit.* Hoc in loco inquisitione dignum est, cur Dominus ab hoc principe rogatus vt in domum suam curandi filij gratia descenderet, acquiescere noluit, cùm à Centurione rogatus vt seruum curare, ipse non solùm curare, sed etiam in domum eius venturum pollicitus sit. Si enim hanc rem humano more velis pendere, plus aliquid Regulus quàm Centurio: plus Reguli filius quàm Centurionis seruus merebatur. Cur igitur hic rogatus venire in domũ recusat, cùm illic non rogatus se venturum promittat? Hoc igitur in loco quid aliud quàm peruersitatem nostram castigare Dominus exemplo suo voluit, qui vsque adeo ad huius seculi diuites ac potentes honorãdos, & pauperes contemnendos propensi sumus: qui in hominibus non imaginem Dei, non naturam, non merita, non virtutes, sed solas opesatque potentiam suspicimus ac miramur? Hoc est enim malum illud, à quo nos Iacobus Apostolus in Epistola sua grauissimis his verbis reuocat. Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloriæ. Etenim si introierit in conuentum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida, introierit autẽ & pauper in sordido habitu, & intendatis in eum, qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei, Tu sede hîc bene: pauperi autem dicatis, Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum, nonne iudicatis apud vos metipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquorum? Audite fratres mei dilectissimi, Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? His verbis apparet, Apostolum nostrorum hominum mores in spiritu præuidisse. Quid enim in his moribus nostris hoc abusu frequentius? Si enim vir potens aut nobilis iudicis alicuius aut publici ministri opera indigeat, qua celeritate & studio causa eius agitur? qua fronte, qua verborum lenitate imperium eius excipitur, & quicquid ab eo commendatum est geritur? At si pupillus, si vidua, si aduena, si peregrinus aut pauper iudicis fores causam illi commendaturus paulò frequentius pulsauerit, qua verborum asperitate repellitur & exploditur, & insolens ac importunus appellatur? Quo quid esse inhumanius, quid crudelius potest? Quanto aliter fieri Ecclesiasticus monet cùm ait, Cõgregationi pauperum amabilẽ te facito, & presbytero (hoc est seniori)

Iacob 2.

Eccles. 4.

humi-

humilia animam tuam, & magnati humilia caput tuum. Decli-
na pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum, &
responde illi pacificè in mansuetudine. Hæc est igitur Christia-
na philosophia, hic modus & ratio, qua cum pauperibus agen-
dum esse cælestis magister docet. Vbi & illud prætereundum Eccl.4.
non est, quòd seniorem demissa anima, magnatem autem aper-
to capite honorare præcipimur: vt intelligamus plus honoris
ætati, quàm terrenis opibus deferendum: siue quòd plus sa-
pientia senectutis comes honoris quàm opes mereatur: siue (vt
vir quidam sanctus aiebat) quòd illi prius ad communis om-
nium Domini cognitionem venissent. Itaque fratres si de
Christi nomine ac doctrina gloriamur, non mundi legibus &
institutis, sed Christi spiritu atque ductu vitam & linguam no-
stram instituamus. Ne quis verò consilium hoc parui æstimet,
audiat eundem Ecclesiast. magnam religionis nostræ partem Eccles.2.
ad hoc officium referentem: sic enim ait. Gloria diuitum ho-
noratorum & pauperum, timor Dei est. In quo verò timor Dei
maximè cernatur, declarat protinus. Non despicere hominem
iustum pauperem, & non magnificare virum peccatorem diui-
tem: Hoc est autem quod inter præclaras iusti viri virtutes re-
gius vates enumerat cùm ait: Ad nihilum deductus est in con- Psal.14.
spectu eius malignus, siue (vt alij vertunt) despicitur in ocu-
lis eius malignus: timentes autem Dominum glorificat. Hoc
est, vir iustus improbos quanuis genere, opibus & gratia flo-
rentes pro nihilo ducit: colentes autem Deum veretur & ob-
seruat, licet humiles & obscuri sint, & apud homines abiecti
contemptique. Hoc autem Abdias vir iustissimus, regiæque
domus præpositus, cumulatissimè præstitit; qui cùm Eliam 3 Reg.18.
Prophetam vilissimo cultu atq; habitu indutum in itinere ob-
uium habuisset, tanta illum reuerentia atque honore affecit, ac
si numen aliquod cæleste in illo cerneret: nam & in faciem suã
coram eo procidit, & se illius seruum, illum verò Dominum
suum appellauit. Nunquid, ait, non indicatum est tibi Domi-
no meo, &c. Quæ omnia eo consilio à me paulò fusius dicta
sunt, vt hanc inhumanitatem peregrinos et pauperes despicien-
di, si fieri posset, à vestris moribus hac oratione depellerẽ. Nunc
ad historiam redeamus.

Vbi ergo Dominus hæc verba protulisset, *Vade filius tuus viuit: credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus & ibat.* Itaq. qui
incredulus venerat, fidelis discessit cùm bonũ nuntium de salute
filij accepit. Quàm propensus animus noster est fratres, ad ea
liben-

libenter amplectenda quæ nobis arrident, & quæ votis nostris
satisfaciunt: quàm ægrè autem amplectimur quæ illis aduersa
sunt. Noluit hic Regulus verbis Domini acquiescere cùm illum
monebat, vt absque signorum testimonio crederet: vbi verò de
salute filij, quam ille desiderabat, loquentem audiuit, protinus
credidit. Ad hunc modum existunt inter fideles multi, qui
quoties Dominicæ passionis virtutem, & diuinæ misericordiæ
amplitudinem (quæ omnia peccata dimittit) prædicari audiunt,
libentissimè doctrinam hanc laudant, amplectuntur, & in cæ-
lum tollunt, quod per eam fieri posse credunt, vt cupidita-
tibus suis seruientes, æternam tandem salutem huius misericor-
diæ beneficio consequantur. Si quis verò diuinæ iustitiæ seue-
ritatem, suppliciorum æternorum acerbitatem, pereuntium
multitudinem, electorum paucitatem, & arctam viam, quæ
ducit ad vitam exposuerit, quamuis id testimonio Domini con-
firmet, molestè admodum ferunt, accusant, damnant, varias-
que interpretandi rationes excogitant, quibus veritatis lucem
obscurent: vt hac ratione verum esse deprehendas quod Eccle-
Eccl. 32. siasticus ait. Peccator homo vitabit correptionem, & secundum
voluntatem suam inueniet comparationem. Et illud eiusdem.
Prou. 18. Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris, quę versan-
tur in corde suo. Et quidem hoc genus hominum in magno sa-
lutis discrimine versatur. Cùm enim in rebus gerendis consilio
indigent, non eos quærunt qui quod rectum est, sed quod cu-
piditatibus eorum applaudat quærunt, atque ita demum nun-
3. Reg. 22. quam illis quemadmodum Achab Regi pseudoprophetæ dee-
runt, qui non ad veritatem, sed ad gratiam loquantur. Ex ho-
rum autem grege sunt, qui Quadragesimalis confessionis
tempore dedita opera peritos confessarios fugiunt, quòd intelli-
gant se ad aliena restituenda, vel ad peccatorum occasiones vi-
tandas, vel ad alia, quæ cupiditatibus eorum aduersantur præ-
ceptis eorum adigendos esse: ideoque rudes & imperitos medi-
cos accersunt, qui non mordacibus, sed blandis medicamentis
Esai. 1. eorū vulnera curēt. Hi sunt autē caupones illi, quos Esaias vinū
aqua dilutū propinare ait; vtpote qui veritatis acrimoniā inter-
Ezech. 13 pretationibus adulterinis molliūt: quos etiā Ezechiel Propheta
ceruicalia sub omni cubito manꝰ ponere ait, vt perditi homines
mollius ac blādius in sceleribus suis requiescāt. Qui duplici no-
mine delinquūt, & quòd veritatis lumē fugiūt, et quòd Deū fal-
li hac ratione putāt, cū seipsos tū miseri, nō illū fallāt, qui scru-
tator est cogitationū, & intētionū cordis. Sed sequētia videamus,

Reguli

Regulo igitur abeunte, serui occurrerunt ei dicentes quia filius eius viueret. Interrogabat ergo ab eis qua hora melius habuisset, & dixerunt. Quia heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Iesus quia filius eius viueret, & credidit ipse & domus eius tota. Animaduertite quæso fratres, immensam Domini misericordiam, etiam cùm iram præ se ferre videtur. Qui enim antea paulò durius regulum fuerat alloquutus, modò tanta aduersus eum vtitur clementia, vt non solùm filio salutem, quam pater tam anxiè petebat, sed sibi etiam ac toti familiæ fidei donum electum contulerit. Hoc enim quid aliud est, quàm eum domus suę Apostolum quodammodo fecisse?

Verùm hîc insurgit non vulgaris quæstio: Quonammodo regulus hic vnico signo inductus Christi fidem cum domo sua receperit, cùm Iudæi tot quotidie miraculis inspectis in incredulitate sua permanserint? Ad hoc igitur respondemus, quòd quamuis miracula (quæ solius diuinitatis opera sunt) plenissimam earum rerum, in quarum testimonium patrantur, fidem faciant, necesse tamen est Dei digitum intercedere, quo mens humana fidem miraculis concipiat, sine quo frustra miracula fiunt. Quàm multa enim Pharao miracula vidit? quàm multa Tyranni dum martyres variis suppliciis afficerent? quàm multa & præclara Iudæi Dominum edentem conspicati sunt? De quibus tamen Ioannes ait: Et cùm tanta signa fecisset inter eos, non credebant. Auaritia enim, ambitione, inuidia, atque odio veritatis ebrij, atque cæci, neque manifestum veritatis lumen intueri poterant, & diuinæ luci & gratiæ aditum obstruebant. Sed inter hæc exempla vnum silere non potero. Cùm impiissimus Hieroboam vitulos aureos in Bethel posuisset, eisque diuinum cultum atque honorem exhiberi præcepisset, missus est vir Dei de Iuda in Bethel Hieroboam stante super altare, & thus iaciente. Exclamauit autem contra altare vir Dei in sermone Domini & ait: Altare, altare, hæc dicit Dominus, Ecce filius nascetur domui Dauid Iosias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum super te incendet. Deditque in illa die signum dicens, Hoc erit signum quod locutus est Dominus: Ecce altare scindetur, & effundetur cinis, qui in eo est. Cumque audisset rex sermonem hominis Dei quem inclamauerat contra altare, extendit manum suam de altari dicens, Apprehendite eum. Et exaruit manus eius quam extenderat contra eum: nec

Exod. 7.
Ioan. 12.
3. Reg. 13.

valuit retrahere eam ad se. Altare quoque scissum est, & effusus est cinis de altari, iuxta signum quod prædixerat vir Dei in sermone Domini. Et ait Rex ad virum Dei: Deprecare faciem Domini Dei tui, & ora pro me, vt restituatur manus mea mihi. Orauitque vir Dei faciem Domini, & reuersa est manus regis ad eum, & facta est sicut prius fuerat. Tria igitur in hac historia miracula clarissima sub idem tempus edita fuêre, altare scissum, & impia regis manus arefacta, eademque oratione Prophetæ sanitati subito restituta. Et tamen tribus his clarissimis signis vno tempore editis, impius rex & in impietate semel instituta permansit, & creditum sibi populum ad eiusdem nefarij sceleris communionem induxit. Vnde, quæso, tantus hic stupor, tanta mentis obstinatæ cæcitas? Certè ex animi deprauatione, quæ regnandi libidine incensa, indigna facta est quæ diuinæ lucis splendorem inter tot etiam miracula perciperet: vt hoc exemplo videatis, fratres, quanta sit peccati, atque obstinati animi malitia; quæ vsqueadeò mentem hominis excæcat, vt in meridiana luce caligare faciat. Hæc est enim illa diuinæ legis maledictio, Percutiat te Dominus cæcitate & amentia, & palpes in meridie quasi palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas. Hoc ipsum item in causa est, vt multi tot concionibus auditis (in quibus catholica fides, diuinum judiciũ, sempiterna supplicia, & cælestia gaudia hominibus proponit) nihilo magis his tantis rebus commoueantur, quàm si mera somnia & figmenta essent. Vis igitur peccati tanta est, vt neque illos edita miracula ad fidẽ, neq. hos fides iam percepta, ad pietatem & iustitiam inducat. Hactenus de Euangelica lectione: nunc occasione ægrotantis filij Reguli, de communibus huius vitæ calamitatibus, & fructu earum paucis disseramus.

Deut. 28.

TRACTATIO THEMATIS.

Erat (ait Euangelista) *quidam Regulus cuius filius infirmabatur Capharnaum.* Regulus dicitur, quia vel ciuitatis alicuius rex esset, vel regio genere natus, vel quòd regium aliquod munus Cæsaris nomine in ea prouincia administraret. Nec tamen illum regia dignitas & potestas à communi mortalitatis lege vindicauit: quæ infinitis penè casibus obnoxia est. Quod si huius rei causam quæras, ea est partim quidem communis humanæ vitæ fragilitas, quæ aranearum telis comparatur: partim communis peccati debitum, quod variis pœnis velut tributis quibusdam mortales fecit obnoxios: partim quoq. diuinæ proui-

prouidentiæ moderatio, quæ diuersis calamitatibus & impro-
bos (pro eo atque eorũ improbitas meretur) punit, & pios pro-
pter eorum salutem exercet, & ad maiora virtutum incrementa
vocat. Ad hoc autem dissimiles hominibus pro personarum &
conditionum varietate labores & molestias immittit. Quem- Simil.
admodum enim in armentariis regum varia armorum genera
pro corporum varietate adseruantur (alia enim proceribus cor-
poribus, alia breuioribus, alia robustioribus, & alia infirmiori-
bus accommodata sunt) ita planè supernus ille arbiter diuersa
laborum genera pro personarum diuersitate destinauit: alia e-
nim pauperibus, alia diuitibus, alia nobilibus, alia ignobilibus,
alia infirmæ fortunæ hominibus, alia principibus viris ac po-
tentibus imposuit. Calix enim (ait Propheta) in manu Domini, Psal. 74.
vini meri, plenus mixto: & inclinauit ex hoc in hoc, hoc est mo-
dò huic, modò isti, modò illi secundũ sapientiæ suæ decreta atq.
consilia propinat, potum præbens omnibus in lachrymis in
mensura. Quod verò ait hunc calicem plenum esse mixto, si-
gnificare videtur plurimum amarulentæ fæcis vino admixtum
esse. Videtis ergo, fratres, nullum hominum genus, ita firmum
ac munitum esse, quò non diuinæ seueritatis tela perueniant.
Quid ergo mirum si Reguli filius infirmatur, & morti appro-
pinquat, cùm regna passim moriantur & vrbes? Sed quorsum,
inquies, hæc à te inducta sunt? Nempe vt his argumentis osten-
derem, quantum vniuersum penè genus hominum desipiat, dũ
tanta cura, studioq. paupertatem diuitiis, & inferiorem statum
præstantiori commutare nititur, quasi in eo à communibus his Genes. 11.
naturæ iniuriis immunes existerent. Sicut enim prioris seculi
homines turrim Babylonis ad cęlũ vsq. erigere nitebantur, quo
in ea post diluuiũ à simili eluuione tuti essent, ita modò pleriq.
hominum ad immensas opes, & sublimes dignitatum gradus
aspirant, rati videlicet se in eis vel felices futuros, vel certè mi-
nus miseros, quàm qui in humili fortuna degunt. Qui enim
hoc animo sunt, non vident se quidẽ non miserias effugere, sed
mutare. Diuina enim prouidentia, quæ in hac etiam vita vnum-
quemq. pro eo atq. eius opera merentur, diuersis afficit com-
modis & incõmodis, varia (vt antè diximus) habet tela, quibus
& potentes & infirmos sublimes & humiles, diuites & paupe-
res feriat. Itaque si tu secunda fortuna vsus paupertatem diui-
tiis, vel humiliorem statum sublimiori commutasti, non te
quidem pauperum sed diuitum tamen labores & molestiæ pre-
munt, quæ frequenter grauiores esse solent. Hinc Aristoteles
medio-

mediocrem fortunam magis quàm amplam à communib huius vitæ iniuriis tutam esse putat: ideoque sapienti viro m gis optandam. Hinc multi sapientes in excelso loco posit status huius turbines atque procellas experti, priuatam vi publicæ vel prætulerunt, vel cupierũt, vel certè amissam do runt. Qua de re extant elegantissima Senecæ carmina in O uia, quæ sic habent.

Quid me potens fortuna fallaci mihi
Blandita vultu, sorte contentum mea
Altè extulisti, grauius vt ruerem edita
Receptus arce, totq; perspicerem metus?
Melius latebam procul ab inuidia malis.
Remotus inter Corsici rupes maris:
Vbi liber animus, & sui iuris, & mihi
Semper vacabat studia recolenti mea.

Hæc Seneca à Claudio in exilium apud Corsicam relega & posteà ab eodem Romã euocatus, vt periculosius vitæ na fragium sub Nerone quàm sub Claudio faceret. Vnde coll mus eos, qui mutatione status effugere se huius vitæ incom da putant, similes iis esse qui odio hyberni frigoris æstiu

Simil. tempus optant. Hos enim constat non temporum molest fugere, sed mutare: cùm ij non quidem frigore sed æstu g uius affligantur. His igitur euenire solet quod per Prophet

Amos 5. Dominus comminatur his verbis, Quomodò si fugiat vir à cie leonis, & occurrat ei vrsus, & ingrediatur domũ, & innita manu sua super parietem, & mordeat eum coluber. Sed quid go, fratres, dum hæc dico? Surdis certè fabulam cano: vt me tò cum Propheta exclamare possim, Domine, quis credidit a

Esai. 53. ditui nostro? Quis enim his rationibus inductus ab hac immé cupiditate, qua totus penè mũdus æstuat, se continebit? Cur i tur hoc dicis si nihil dicendo proficis? Certè vt ij placido & qui to animo sint, quorum tenues opes & mediocris fortuna est: namq; à communibus huius vitę casibus & iniuriis longius a sunt. Feriunt enim summos fulmina montes. Et (quemadmo ait Seneca) cùm omnia, quæ modũ excesŝere noceant, maxim tamen felicitatis intẽperantia est. Magis enim vrgent sæua i expertos: Graue nanque est non assuetis ferre ceruicibus iug sed hac de re mox plura.

Ex his autẽ quæ hactenus dicta sunt, liquet, calicem Domi non solùm priuatis & pauperibus, sed etiam principibus vi atque opulẽtis propinari. Quid verò piis & sanctis viris? Nu

ad hos etiam calix iste peruenit? Peruenit sanè: sed longè tamē alia ratione Dominus calicem hunc illis propinat. Sunt tamen sanctarum scripturarum loca, quæ illos ab his communibus cæterorum hominum calamitatibus eximūt. Sic enim apud Ezechielem Dominus à communi vrbis Hierosolymitanæ vastatione pios homines incolumes seruari, & signo Tau ad hoc insigniri iubet. Sic in Apoc. Angelus ille qui ab ortu solis ascendebat, quatuor angelis, quibus datum erat nocere terræ & mari, præcipit vt manus contineant, vt Dei serui signo frontibus impresso ab hac communi clade immunes conseruarentur. Quid verò illud ex Psalm. Dedisti (ait) metuentibus te significationē, vt fugiant à facie arcus. Ex his igitur similibusque scripturarum locis colligere quispiam poterit, pios homines ab his mundi procellis (Deo protegente) seruari. Sed non ita est. His namque Dominus (vt modo diximus) calicem quoque suum dissimili tamen ratione propinat. Hoc enim agit, (vt alias causas prætereamus) partim vt eos ad opem suam implorandam confugere faciat: partim etiam, vt eorum fidem, patientiam, atque constantiam variis laboribus probet atque exerceat: eosque hac ratione ab otij, atque deliciarum, voluptatumque tyrannide vendicet. Quod quidem paternæ prouidentiæ opus & beneficium est. Qua ex re apparet, verum esse quod prudentissimè Seneca dixit, Deum non materno, sed paterno amore bonos viros prosequi: sic enim ait. Non vides, quantò aliter patres, aliter matres indulgeant? Illi exercitari iubent liberos ad studia obeunda maturè, feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos, & sudorem illis & interdum lachrymas excutiunt: at matres fouere in sinu, continere in vmbra volunt. Nunquā flere, nunquam contristari, nunquam laborare. Paternū Deus habet aduersus bonos viros animū, & illos fortius amat, & operibus, doloribus, ac dānis exagitat, vt verū colligāt robur. Languēt per inertiam saginata, nec labore tantùm, sed mole & ipso sui onere deficiunt. Non fert vllum ictum illæsa felicitas. At vbi assidua fuit cum incommodis suis rixa, callum per iniurias duxit. Hactenus Seneca. Quòd si paternæ dilectionis & prouidentiæ officium est variis filios laboribus exercere, quid miramur sic se cælestem patrem erga filios suos gerere quos tamen sic calamitatibus exercet, vt ab iisdem etiam eadem paterna prouidentia liberet. Vnde est illud Prophetæ: Multæ tribulationes iustorū, & ex omnibus his liberauit eos Dominus. Verè enim (vt Petrus Apostolus ait) nouit Dominus pios de tentatione eripere.

Ezech 9.
Apocal 7
Psal. 59.
Senec lib. de proui.
Psal. 33.

Cæterùm ex hac sententia nō leuis exurgit quæstio, cur D-
minus, qui seruos suos ab imminentibus malis liberat, mala
non præuenit, à quibus eos tandē postea liberat? An non
esset mala ipsa ne euenirent præcidisse, quàm vbi euenerin
stulisse? Ad hoc igitur respondemus, maximas mirasq. vti
ex hac diuina dispensatione & prouidentia oriri. Est enim
Ecclesiasticus ait) speciosa misericordia Dei in tempore
lationis. Vnde fit, vt pij homines ab hisce calamitatibus
munere liberati, corda sua in liberatoris sui laudes & grat
actiones deuotissimo pectore effundant. Hinc suauissi
Exod. 15. cantica sanctarum feminarū Mariæ sororis Mosis, Annę
1. Reg. 2. Iudith. 5. Samuelis, Deboræ, atq; Iudith manarunt: in quibus pro
Iudith. 13 pra ab instantibus malis liberatione deuotissimas Domino
tias egerunt. Quodque maius est, hac occasione princip
virtutes Fides, Spes, & Charitas, in quibus Christianę religi
summa cōsistit, mira capiunt incremēta. Fides enim primū
insperata aliqua ratione Dominus piū hominē à malis libe
miro modo perficitur, & augetur, & interdū etiā vbi nō erat
funditur. Quam rē huius reguli exemplo discimus: qui sin
lari Domini beneficio filiū à morte liberatū cernens, huius
rationis argumento credidit ipse & domus eius tota. Sic Na
chodonosor Danielē à Leonū faucibus ereptum videns, pub
Daniel. 2. edicto sanxit, vt omnes in regno suo Danielis Deū venerar
tur, quòd is esset saluator, ac liberator, Danielemq; de ore
num liberasset: Spes verò singulari quadā ratione maximè
bo atur, dū pius homo in quauis calamitate non minus præ
sibi diuini numinis auxiliū futurum sperat, quàm antè fui
Deut. 8. Hinc ad populū Moses: Afflixit, inquit, te penuria, & dedit
cibum manna, quod ignorabas tu & patres tui, vt ostenderet
bi quòd non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo qu
egreditur de ore Dei: hoc est, vt hac singulari Dei prouiden
qua tibi maxima inedia cōstricto prospexit, discas in quauis c
lamitate spē tuam in eo reponere, & ab eo idē salutis benefi
expectare. Iā verò quemadmodum regina virtutū charitas
eadem ratione inardescat, regius vates apertissimè ostendit:
vbi se à Saulis tyrannide, cæterorumq; inimicorū diuino m
Psal. 17. nere ereptum vidit, suauissimum illud canticum cecinit, Di
gam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentū meum
& refugium meū, & liberator meus, Deus meus, adiutor me
sperabo in eum. Quo extremo operādi verbo vir sanctus sp
simul cum dilectionis charitate copulauit.



lõgius fortasse in hac parte euectus sum, fratres, quàm puta-
rã. Verùm hoc ab officij nostri ratione minimè alienũ est: cùm
scripturarũ tractatio inter alias cõmoditates, ad eorũ, qui variis
incõmodis in hac vita premuntur, consolationem, Apostolo te- Philip.3.
stante, instituta sit, nec ij animũ abiiciant, ne desperatione fran-
gantur: ne se ideo à Deo perculsos & abiectos, sed etiã paterna
prouidentia ad salutẽ dirigi atq. destinari existiment. Reliquũ
est igitur, fratres, vt per patientiã ad propositũ nobis fidei brauiũ
curramus, illud Apostoli ad memoriam reuocantes, Momenta- 2.Cor.4.
neũ & leue tribulationis nostræ supra modũ in sublimitate ęter-
nũ gloriæ pondus operatur in nobis, & illud item eiusdem, per
multas tribulatione oportere nos intrare in Regnũ cælorũ, ha- Act.14.
bentes hoc fortissimũ spei nostrę solatiũ; quòd quemadmodum Rom.8.
idem ait, non sint condignæ passiones huius temporis ad futu-
ram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

DOMINICA VIGESIMAPRIMA POST PENTECOSTEN CONCIO prima: in qua lectio Euangelica explanatur.

THE. *Oportuit te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum.* Matth. 18.

INter ea crimina quæ accidere in vita hominibus
frequenter solent, odium, ira, & vindictæ cupidi-
tas præcipuè numerantur. Cùm enim odium &
ira tunc vel maxinè concitentur, cùm ea quæ ve-
hementer cupimus, aliorum vel studio vel mali-
tia impediuntur: sint autem tam multæ variæ hominum cupi-
ditates, & tã multa rursus impedimenta, quæ ab aliis nobis ob-
iiciuntur: efficitur planè, vt animi hominũ perturbentur, & ira
atque odio inflammentur. Et quidem sic crimẽ hoc vt frequen-
tissimum, ita esset leuissimum, minus in eo periculi esset: sed
non ita est, quoniam ira (vt D. August. ait) vbi creuit in odium, Aug. in Regul.
trabem facit de festuca, & animam facit homicidam. Sic enim 1. Ioan. 3.
apud Ioannem legimus: Qui odit fratrem suum homicida est.
Aequat autem Ioannes odium homicidio: quoniam is qui fu-
rore atq. odio incensus fratris mortem desiderat, iam illum co-
ram Deo (qui cordium inspector est) interemit. Constans enim
theo-

theologorum sententia est, externum opus nullam deformitat
essentialem (vt appellant) internæ voluntatis proposito adijce-
re. Vnde non mirum si Ioannes homicidam vocet eum qui fra-
tris sui mortem desiderat. Et quidē si hoc crimen vt est grauis-
simū, esset etiam momentaneū, atq. breuissimū, (quale periu-
rium, maledictum, blasphemia in Deum diuosq., & alia mul
sunt, quæ simul cum praua actione trānseunt) minus in eo
esset. Verùm longè aliter euenire plerunq. solet: cùm vide
diuturna & inueterata multorum odia, ne morte quidē
niri, sed ad posteros etiam simul cum hæreditate trāsmitti.
verò tempore quàm multa lethalia crimina committi pu
Quoties enim inimicus in mentē venit (venit autem freq
tissimè, cùm ipse odij aculeus dormientē hominis memori
pungat) si odium quod aduersus illū animo cōcepit, renouat
que confirmat, toties se nouo capitalis odij crimine reum fa
totiesq. apud Deum homicida est. His etiam adde, quòd a
quidem delicta aliorum hominum sunt. Alia enim sunt diu
alia pauperum, alia principum, alia subditorum, feminarum
lia, alia virorū, ac deniq. pro varietate cuiusq. status varia q
que delicta numerātur. At ira, odium, & vindictæ cupiditas, l
tissimè in hominum vita dominantur. Quis enim est, qui n
frequenter cum his animi pestibus fuerit colluctatus? qui n
sæpè victus in hoc certamine succubuerit? Cùm igitur cæle
ille medicus grauissimi huius morbi vim per totum genus h
minum latissimè grassantē vidisset, prçsentissimū aduersus eu
remedium in hodierna sancti Euangelij lectione prouidit. Ad
uersus enim hominū odium, Dei odium; aduersus eorum ira
diuinam iram; & aduersus vltionis & vindictæ appetitum, v
tionis & & vindictæ diuinæ seueritatē opponit. Fixa enim m
net illa Domini sententia: Mensura qua mensi fueritis, rem
Lucæ 6. tietur vobis. Itaq. si odium contra fratrem retines, odium co
tra te diuinum concitas. Si iram contra illum seruas, iram co
tra te diuinā prouocas. Si vltionem de illo sumere paras, vltio
diuina persequetur. Sic enim in Ecclesi. legimus: Qui vindica
vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius seruās se
uabit. Hanc igitur sententiam Dominus (quæ grauissimi & la
tissimi huius morbi remediū cōtinet) proposita quadā parabo
ita confirmat & illustrat, vt inter omnes eius parabolas hçc ad
de quo agitur, appositissima esse videatur. Non modo enim c
minis huius naturam declarat, sed atrocitatem quoq. eius ap
tè probat, & vehementer exaggerat. Parabola verò sic habet:

I.

I.

Simile est regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem po- Matt. 18.
nere cum seruis suis: & oblatus est ei vnus, qui debebat decem mil-
lia talenta, &c. quæ sequuntur vsque in finem. Hic homo Rex
qui rationē à seruis suis exigit, non dubium quin ille sit, qui (vt
Ioannes in Apoc. ait) habet in veste & in femore suo scriptum, Apoc. 19.
Rex regum, & Dominus dominantiū. Huius autem regis serui,
homines sumus; in quos hoc seruitutis nomen magis etiā quàm
in ipsos Angelos quadrat. Illi nanq. iure creationis, nos verò &
creationis & redemptionis, duplici titulo, eius serui sumus. Ra-
tionis verò exigēdæ tēpus, extremi iudicij dies est: in quo, vt A-
postolus ait, oportet nos omnes manifestari ante tribunal Chri- 2. Cor. 5.
sti, vt referat vnusquisq. propria corporis prout gessit, siue bonū
siue malum. Qua quidē sententia Salomon longam illam rerū
expetendarū disputationem integro volumine absolutam, con-
clusit dicens: Cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium pro Eccles. 12.
omni errato siue bonum fuerit siue malum. In qua quidem ra-
tione exigenda, cùm multa improbis valdè formidabilia sint,
ira certè iudicis tanto improbis terrori erit (vt quemadmodum
Ioánes in Apoc. ait) ingrediantur, in spelūcas & in petras mon-
tium, & dicant montibus & petris, Cadite super nos, & abscon- Apoc. 6.
dite nos à facie sedentis super thronū, & ab ira agni; quoniā ve-
nit dies magnus iræ ipsorum. Et quis poterit stare? Iram autem
agni appellat, vt indicet talem eius diei irā futuram, qualis eius
mansuetudo antea præcessit. Sicut ergo eius mansuetudo fuit
supra omnem modum (quando à seruis & pro seruis Dominus
maiestatis colaphis cædi sustinuit) ita supra omne quod cogita-
ri potest, illius tunc ira desæuiet: quando quos tantoperè dilexit,
& tam caro pretio redemit, tam diro supplicio mulctabit. Qua-
lis, quæso, esset erga filiū matris furor, si ipsa illū manibus cor-
reptum in ingentem ignis piram flammis absumendum proii-
ceret? Cùm ergo nos piissimus ille agnus plusquā materna cha-
ritate dilexerit, quos tantis in cruce doloribus parturiuit, qualis
ille furor existimandus est, quando quos ita parturiit, vltricibus
flammis perpetuò cruciādos committet? Hanc porro iram non
solùm pectore concipiet, sed ipso etiā vultu demonstrabit. Quę
res tanto improbis terrori erit, vt D. Chrysost. satius esse dicat, Chrysost.
decē millia fulgura sustinere, quàm faciem illam mansuetā vi-
dere à nobis auersam, & tranquillū oculum non ferentem nos.

Hoc est igitur tempus à diuina iustitia præfinitū, in quo cun-
cti mortales operum suorum rationem in commune redituri

sunt

sunt. Est autem aliud tempus, in quo non quidem omnium si-
mul, sed singulorum hominum vita examinanda est. Ab omni
bus enim in fine mundi, à singulis autem in fine vitæ exige
ipsius vitæ ratio, & ferenda sententia est. Quod autẽ in hoc pri
uato iudicio statũ fuerit, mutari in illo non debet. Hoc tamẽ i
lũ præteritis malorũ pœnis adiicietur, quod illo die omniũ
pora quanuis in fauillas cineresq́. redacta, & in aëra spar
rediuiua resurgent, vt pij & improbi, qui mẽbra sua vel iu
vel iniquitati arma exhibuerunt, in corpore simul & ani
meritorum præmia, vel delictorum supplicia recipiant. D
verò in morte sententia nihil prorsus immutandum erit. (
fit, vt non minus hoc singulis hominibus iudiciũ, quàm e
mum illud omnibus formidãdum sit. Hinc legimus plures
sanctorum virorum cũ se hora mortis ad hoc iudicium prop
quare cernerent, magnam timoris significationem dedisse. V
Agathon. de cùm beatus Pater Agathon, inter Aegypti patres celeber
mus, in extremo vitæ agone constitutus, timere valdè cœpiss
& ab eo discipuli timoris causam quærerẽt, (quẽ sciebant inn
Prou. 19. centissimè vixisse.) Quoniam (inquit ille) longè alia sunt f
iudicia hominum & iudicia Dei. Est enim via quæ videtur h
mini recta, nouissima autem eius ducunt ad mortem. Vix en
quisquã tam sanctè vitam traducere potest, vt ad tribunal Chr
sti vocatus, causam per se suam tueri possit, si supernus ille arb
ter velit exigere quod sibi optimo & meritissimo iure debet
Hinc regius Propheta: Si iniquitates, ait, obseruaueris Dom
Psal. 129. ne, Domine quis sustinebit? Non enim ait, Ego non sustineb
(vt D. August. hoc in loco annotauit) sed, Quis, quãlibet pi
& iustus sit, sustinere poterit? Væ enim laudabili etiam vitæ,
remota pietate iudicetur. Inter eos autem seruos à quibus
tio exigenda erat, oblatus esse dicitur vnus, qui debebat dec
millia talenta. Quis est hic tam ingentis summæ debitor? Ce
quisquis vel vnius tantũ lethalis criminis reus est. Si enim pr
cipuas huius criminis circunstantias excutias, infinitam e
grauitatem facilè deprehendes. Auget enim peccati grauit
tem, & personæ offensæ dignitas, & offendentis vilitas, & ipsi
etiam offensionis causa, si illi præsertim contemptio adiunct
sit. Si igitur personæ dignitatem contra quam deliquimus a
tendas, Deus est, cuius est tam immensa bonitas ac maiestas,
si nobis omnium & hominum & Angelorum vires essent
nunquam illum pro dignitate diligere possemus. Eius item
sunt in genus hominum beneficia, vt si mille quotidie me

illius gratia oppeteremus, nullo modo illius in nos beneficentiæ satisfacere possemus. Quæ enim hominum mortes mortis vnigeniti filij Dei beneficium æquare possent? Sed hoc summum beneficium mitto. Illud assumo quod Gentiles etiam philosophi auctore Paulo non ignorarunt, nempe quòd in ipso viuimus, & mouemur, & sumus. Nemo enim nostrum aut loco moueri, aut pedem porrigere, aut manum attollere, aut linguam in verba formare, aut demum hiscere & spirare sine illius virtute, numine & potentia potest. Quid ergo indignius quàm aduersus illum insurgere, sine quo ne ad momentum quidem neque tu, neque vlla creatura permanere possit? Illud enim intelligendum est (vt S. Hilarius ait) soli Deo per se ita conuenire vt sit, vt in eo esse non accidens, sed substantia existat: in cæteris verò creaturis, atque adeò in ipsis beatorum spirituum mentibus, existere in rerum natura non substantia, sed accidens sit. Quanuis enim Angeli intra se corruptionis suæ causam non habeant (vtpote qui purissimi spiritus sint, neque ex contrariis qualitatibus aut elementis, vt homines, compositi) tamen diuino nutu & prouidentia consistunt, & conseruantur. Qua sublata, vt ex nihilo creati fuere, ita in nihilum reciderent. Sicut ergo cætera omnia, ita & nos diuino beneficio, ita viuimus, mouemur, & sumus, vt nec respirare quidem sine illius nutu & voluntate possimus Id adeò verum est, vt quemadmodum S. Dionysius ait, cùm peruersus homo sacrilego ore impias in Deum voces iactat, neutiquam linguam sine Deo mouere posset: quamuis nullo modo Deus eius peccati causa sit. Itaq. si vel ad momentum oculos suos à nobis auerteret, in nihilum protinus, vnde facti sumus, verteremur. Nisi ipse nos creaturarum suarum beneficio aleret, fames nos interimeret. Nisi ille vestibus suis tegeret, frigoris nos intemperies extingueret. Nisi ipse defenderet, à generis humani hostibus occideremur. Nisi nos ipse regeret, alij in alios insurgentes nos ipsos trucidaremus. Nisi nos luce sua collustraret, passim in varios diaboli laqueos incideremus. Nisi mœrentes ipse consolaretur, innumeris huius vitæ molestiis conficeremur. Itaque cùm peccas, offendis illum, qui (vt Daniel ait) habent flatum tuum in manu sua. Offendis illum, qui infinita potestate omnia complectitur. Offendis illum qui naturam continet vniuersam: à quo & astra, & natura omnis pendet. Offendis illum ante cuius conspectum orbis terrarum est veluti momentum stateræ, & gutta roris antelucani, qui descen-

Act. 17.
Hilarius.
Dionys.
Dan. 5.
Sapien. 11

descendit in terram. Offendis illum, qui respicit terram, & facit eam tremere: tangit montes & fumigāt. Offendis illum, ad cuius nutum columnæ cæli pauent & contremiscūt. Offendis postremò illum, qui claues habet mortis & inferni: qui postquam occiderit corpus, habet potestatem mittendi animā in gehennā. Quid igitur periculosius, imò verò quid furiosius, quàm tantæ maiestatis oculos offendere? Me (inquit ille apud Hieremiam) non timebitis? & à facie mea non dolebitis? qui posui arenam terminum maris præceptum sempiternum quod non præteribit? & intumescent fluctus eius, & non transibunt illud?

Psal 103. Iob 26. Apoc. 1. Lucæ 12. Hierem. 5

Iam verò si offendentis personam aspicias, homo est, qui diuinæ maiestati collatus nihil est ex se, ratione verò peccati, minus adhuc quàm nihil: & hic tamē vilissimus vermis audet contra Dominum maiestatis leuare calcaneum suum? Si verò offensionis causam excutias, hoc est, quod magnoperè sceleris indignitatem auget. Clarissimus ille Angelus insano diuinitatis amore incensus, aduersus auctorem suum elatus fuit. Parens verò omniū Eua, simili penè cupiditate inducta, diuinitatis scientiā affectauit. At quibus de causis homines diuinas leges & præcepta violant? Pudet dicere. Alius ob leuissimum lucrum, alius ob sordidam voluptatem, alius inanissimi honoris & auræ popularis gratia. Sunt & alij qui sine vlla causa Deū passim peierantes, & aliorum vitā & famam lacerantes, gratis, hoc est, nullo proposito emolumento peccant. Quæ res summū diuinæ maiestatis contemptum præ se fert. Adde his etiam singularem impudentiam, quòd cùm ante vilissimum homuncionem delinquere non audeamus, diuinæ maiestatis oculos non veremur, dum in eius conspectu tam multa committimus. Hoc est enim quod Dominus indignè se ferre ostendit cùm ait, Et faciebant malū in oculis meis. Et, Ego sum, ego vidi, ait Dominus. Si quis igitur has omnes circunstantias, ac præcipuè infinitam diuinæ maiestatis amplitudinem expenderit, inueniet planè vel vnum lethale crimen decem millium talentorum, hoc est, infinitum debitum continere. Hac enim de causa Dominus hanc tanti debiti summam, decem millium videlicet talentorum apposuit, vt immensam atq. infinitam peccati grauitatē ostenderet. Quæ tanta est, vt omnium etiam mortalium merita, nisi vnigeniti filij Dei merita accederent, vnius lethalis peccati maculam eluere non possent. Hoc est autem quod sanctus Euangelista designauit, cū de hoc seruo loquens subdit. *Cùm autem non haberet vnde redderet, iussit eum Dominus venundari, &c.* Nō enim habet

Hierem. 7

habet hominis dignitas (nisi adsint Christi merita) vnde vel minimus tantum sceleris condignam Deo satisfactionē offerre valeat. Sed hac tamen computatione (quæ ex sceleris grauitate colligitur) prætermissa si vnusquisque nostrum vitam omnem ad hunc vsque diem excusserit , inueniet planè se decē millium talentorum, hoc est innumerabilium peccatorum debitorē esse. Sola enim cordis, linguæ, & oculorum peccata (vt cætera sileantur) hanc tantam summam cōficere possunt. Numerate, quæso, cupiditates omnes & illicita desideria cordis vestri. Quis ea vllo numero cōprehendere valeat? Quid enim nequius quàm quod cogitauit caro & sanguis? Numerate oris & linguæ delicta: tot videlicet iurandi & peierandi excogitatas formas & nomina, vt vix sacrū aliquid in cælo vel in terra sit, quod non iuramenta & periuria nostra contaminauerint: tot in alios iactata conuitia, tot quotidianas imprecationes, tot mendacia, tot ventosa, inania, contumeliosa, impura, & obscœna verba. Quid hic oblocutiones & detractiones memorem? Quando cum aliis lōgiorem sermonem habuimus , in quo præcipua sermonis nostri portio aliorum fama & vita non fuerit? Iam oculorum concupiscentias quis comprehendere possit? cùm multi homines inueniantur, qui si rogentur an quod periculosè viderunt, diuini numinis metu adacti, concupiscere desierunt; apertè respondeant vix sibi hoc vnquam in vita contigisse, sed illud Salomonis vsurpare posse. Omnia quæ desiderauerunt oculi mei non negaui eis, Eccl. 2. nec prohibui cor meū, quin omni voluptate frueretur. Deniq. multi dicere verè poterunt: Sic vixi, ac si nullum numen, nullam prouidentiam, nullam vitæ rationem futuram, nullum bonorum & malorum delectum esse crederem : nec me aut mors, aut iudicium, aut supplicium vllum post hanc vitam maneret. Sic igitur vita mea futurorum bonorum aut malorum oblita, quid Deo deberem, quid is mihi præciperet, quas leges tulisset, quid promitteret, quid minaretur oblitus, totum me mundi obsequio mancipaui. An nō ergo vobis videtur eum qui sic vitam omnem traduxit, decem millium talentorum, hoc est, innumerabilium peccatorum debitorem esse?

Instat ergo rationis exigendæ tempus , quam mortis horam esse diximus , ad quam tandem omnes quotquot hic adsumus, velimus, nolimus, peruenturi sumus. Omnes namq. tardius aut citius sedē properamus ad vnā. Quis enim est homo qui viuat, & Psal. 88 non videat mortem? Instat igitur hæc formidabilis hora: in qua omnibus Ecclesiæ sacramentis antè perceptis , intelliget homo

sibi ab hoc sæculo in nouum aliud & incognitum animarum seculum demigrandum; ibidemq. anteactæ vitæ rationem esse reddendam. Vbi vero in transactam ætatem oculos conuerti[t], decem millium talentorũ se esse debitorem deprehendet; quo[r]um apud inuiolabilem, æquissimum, & sapientissimũ iudic[em] rationem iam iam redditurus sit, qui ne vnius quidē otiosi v[erbi] culpam inultam esse patietur. Quid tunc igitur tàm multo[rum] talentorum debitor faciet? quò se vertet? quid cõsilij capie[t]. [De]biti quidē summa maxima est: tempus verò ad eam pœnit[entiæ] laboribus dissoluendam breuissimum. Quem igitur his a[n]stiis pressus, animũ geret? Num quisquã vestrũ in agone [mor]tis cõstitutus hoc expertus est? quid igitur is fecit? quid [dixit?] Certè quod hic Euangelicus debitor: *Patientiam*, quæso, [Do]mine, *habe in me, & omnia reddam tibi*. Hoc est, non postulo [ex] aliqua mea satisfactione huius tanti debiti remissionem: v[e]ram solum temporis aliquam & moram peto. *Patientiam ha[be] in me, Domine*: hoc est, spatium mihi pœnitentiæ, sicut olim [E]zechiæ Regi, cõcede. Ne reuoces me in dimidio dierum me[o]rum. Dimitte me, vt plangam paulululum dolorem meum, a[n]tequam vadam ad terram tenebrosam & opertam mortis ca[li]gine. Si enim me nunc, Domine, è medio sustuleris, imparat[um] inuenies: vehementerq. timeo ne me in carcerem gehennæ [...] quam inde reuocandũ coniicias. Quamobrem *patientiã, quæ[so], habe in me, & omnia reddam tibi*. Quid est, *omnia reddam ti[bi]*. Eam tunc mentem homo gerit, cùm tam ingens sibi periculu[m] imminere cernit, vt non quouis pœnitentiæ labore conten[tus] sit, sed omnes etiam anachoritas asperitate vitæ se super[atu]rum credat: ideoque debita omnia quamlibet ingentia se ha[c ra]tione dissoluturum sperat.

Psal. 101. Iob 10.

Quid ad hanc petitionem magnificus ille Rex? Longè [plus] supplici contulit quàm petiuit. Moram enim temporis peti[it:] is totius debiti remissionem contulit. Verè enim pius, verè [mi]sericors Dominus, qui abundantia pietatis suæ & merita s[up]plicum excedit & vota: qui & facilitatis & miserationis [suæ] exẽplo, nos ad misericordiã erga cõseruos vehementer indu[cit].

II.

Sed quoniã regis nostri bonitatem & clementiã vidimus, [nunc] serui inhumanitatẽ & crudelitatẽ expendamus. Vbi homo i[m]minens illud mortis periculum Dñi beneficio euasit, sic diab[olo] adnitente omniũ quæ perpessus est, quæ intellexit, quæ tim[uit,] quæ petiit, quæ impetrauit, quæ proposuit, obliuiscitur ac s[i] om[nia]

omnia nocturnæ visionis somnia extitissent. Passim enim videre est homines qui instante mortis hora, admiranda quædã proponunt, & si quid etiã aliis debent, exoluere incipiunt: qui tamen vbi à morbo conualuerũt, infecta omnia, quæ facere cœperant, relinquunt, & omniũ, quæ proposuerãt, obliuiscuntur. Vis enim imo & tyrannis inueteratæ cõsuetudinis tanta est, vt eos alios mores induere, aliaq. via quàm consueta ingredi minimè patiatur. Quos ego Pharaoni quàm simillimos esse statuo, qui cùm vrgentibus diuinæ cẽsuræ plagis, pœnitentiã polliceretur, vbi requies data esset, rursus ad ingeniũ immite & crudele redibat. Quocirca, fratres, extremã illam pœnitentiam eorum qui semper scelerate vixerunt, (in qua multi spẽ salutis suæ reposita habent,) valde suspectam maximeq. periculosam existimare debetis: quod quotidiana hæc exempla facile declarant. Neque verò talium decreta, certam mihi spẽ salutis pollicentur, nisi ea post periculũ videro assiduis precibus & sacramentorũ frequentiori vsu, cæterisque peccatorum remediis munita & roborata.

Quam rem Dñs proposito huius ingrati serui exẽplo voluit demonstrare. Hic enim seruus, cui multorum talentorum Dñs debitum relaxauit, fortè in conseruum incidit, qui ei centũ denariorum debitor erat. Quẽ manu cõprehensum suffocabat dicens: *Redde quod debes.* At conseruus eadem illa verba quibus tantam is esset misericordiam consecutus repetebat: *Patientiam habe in me & omnia reddam tibi.* Sed frustra tamen hoc agebat, quòd ille iam perceptæ remissionis oblitus, ad omnem misericordiæ vocem aures occluserat. Quid agis, homo? Tam citò ne tibi excidit tam ingens misericordia Domini tui? Cur nõ valeat apud te oratio conserui, quando tantum apud regem & Dominũ oratio tua valuit? Cur istorum verborum vim non agnoscis quibus ad soluendũ non spatium, sed totius debiti veniã impetrasti? Exponam hoc apertius, fratres. Decem millium talentorũ, hoc est, innumerabilium peccatorum tibi Deus veniam supplici precationis voce concessit, pro quibus ęterna supplicia merebaris. Post hãc verò tantã gratiam, aliquis te aut cõuitio affecit, aut iniuria læsit, aut litem falsam intendit, aut maledicentia sua famam tuam obscurauit, aut alia quauis ratione nocuit. Sed tandem pœnitentia ductus, aut veniam petit, aut de pace componenda intercessores ad te mittit. Quid tu interim? Tantum abest, vt pacis consilia inire velis, vt efferato animo omnem pacis & beneuolentię conditionem recuses. Hũccine ego, inquis, in gratiam recipiam, qui me nihil merentem

læsit? qui pro benefactis malefacta rependit? qui tot me probris & ignominiosis nominibus affecit? Non faciam, non ferá, non inultum abire patiar, etiamsi omnes hoc à me cęlites impetrare contendant. Dic, quæso, mihi, homo, vtrum grauius esse putas, quod te conseruus tuus cōtumelioso verbo aut iniuria pulsauit, an quod tu infinitis sceleribus non conseruum tuum, sed cælorum & Angelorum Dominum per singula pænè vitæ momenta offenderis? Tantum certè inter vtramque iniuriam interest, quantum inter decem millia talenta centumq́. denarios. Hoc est, infinitis partibus illata Deo iniuria, quàm quæuis hominibus irrogata grauior est. Si ergo tot iniurias toties tibi in vita Dominus tam facilè condonauit, cur vnam tu in illius gratiam, qui tam multa relaxauit, non remittes? Cur vel ipso Domini exemplo animum misericordiam non induis? Cur qui tam clementem in te Dominum expertus es, tam immitem & inhumanum aduersus conseruum tuum animum gestas? Hæc certè crudelitas ipsas etiam beatas mentes in admirationem commouet. Hoc est enim quod significare Dominus voluit, cùm ait: *Videntes autem conserui eius quæ fiebant, contristati sunt valde, & venerunt, & narrauerunt Domino suo omnia quæ facta fuerant.*

Qua verò pœna, hæc tanta immanitas plectenda sit, ex ipsa Domini lenitate & misericordia colligi facilè potest: qui ea clemētia præditus est, vt vnico verbo placatus tantā pecuniæ summam neglexerit, & multo plus contulerit quàm fuerat rogatus. Qui igitur tantopere misericordiam diligit, quo odio crudelitatem & inhumanitatem detestabitur, quæ tantum ab eius ingenio abhorret? Itaq. vehementer aduersus inhumanū seruum iratus, accito ad se ait: *Serue nequam omne debitū dimisi tibi quoniam rogasti me; nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus Dominus tradidit eum tortoribus, quoad vsque redderet vniuersum debitum.* Quo in loco D. Chrysost. diligenter obseruandum esse ait, quòd propter ingentē illam decem milliū talentorum summam, nequaquam Dn̄s iratus fuisse dicitur: nec illum seruum nequam appellasse, nec tortoribus tradi præcepisse: quæ omnia in hoc nouo inhumanitatis crimine addita videmus. Ex quibus circūstantiis maximam is huius criminis grauitatem colligit. Ab omnibus enim aliis criminibus, vnico verbo reus absolutus fuit, ob hoc autem non modò damnatus, sed etiam ad superiora debita soluenda obligatus fuit. *Iussit enim illum Dominus in carcerem coniici donec redderet vniuersum debitum,* hoc est, vt & huius noui criminis,

ri, & ingratitudinis in Dominum suum pœnas daret. Quin & illud etiam idem Chrysost. adiungit Deum præcipuè inhumanitatis & crudelitatis crimen vindicare. Si enim misericordia, si humanitas, si facilitas ignoscendi in homine scelerum suorum pœnitente adsit: Longè facilius à misericordiarum parente delictorum omnium veniam impetrabit: quod illa Domini verba testantur: Si dimiseritis hominibus peccata eorum, & pater vester cælestis dimittet vobis debita vestra. Ex quibus verbis liquet quanta ad salutem & veniam à Domino impetrandam humanitatis & misericordiæ virtus & potentia sit. Cæterùm quod tota hæc parabola ad inhumanitatis detestationem referenda sit, in fine Dominus apertè ostendit cùm ait: *Sic & pater meus faciet vobis si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Chrysost.

III.

Verùm vt hanc Domini sententiam paulò apertius euoluamus, à vobis modò, fratres, illud vnum requiram, quid nam sit, quod maximè omniũ omnes desideratis. Ad quod facile quisq. respondere poterit, nihil sibi magis in votis esse, quàm æternam salutem & felicitatem adipisci. Cùm enim vltimus humanę vitæ finis expetendorum omnium extremum sit, (ad quod cætera omnia referuntur) hic autem finis non aliud quàm sempiterna salus & vita sit, consequens est, vt nihil magis bene institutus animus in hac vita vel desideret, vel desiderare certè debeat. Si hoc igitur ita est, illud vobis persuasum esse debet, nulli hominum hanc salutem vlla ratione patere posse, nisi delictorũ suorum veniam à Domino percipiat: neminem autẽ hanc veniam percepturũ, nisi ipse quoque peccanti contra se fratri veniã prębeat. Fixa enim manet hæc Domini sententia dicentis: *Sic & Pater meus faciet vobis, si non remiseritis vnusquisq;, &c.* Quàm sit verò hæc Domini sententia æquitatis & misericordiæ plena, Ecclesiast. confirmat his verbis. Homo homini reseruat iram, Eccl 28. & à Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecabitur? Quis exorabit pro peccatis eius? Quis enim à misericordiarum parente petere audeat, vt erga immisericordem misericors esse velit? & veniam neganti veniam tribuat? Hoc planè non sancti qui in cælo resident, non Angeli, non & Angelorum & hominum regina facere audeat, cùm frustra se id tentaturos sciant. Contrà verò si quis placabilis & facilis fratri ad exorandum fuerit, faci-

lem quoque & placabilem Dominum experietur, eodem Ec-
Ibidem. clesi. testante qui ait: Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. Quam sententiam idem Do-
Marc. 11. minus apud Marcum confirmat cùm ait: Cùm stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem, vt & Pater vester qui in cælis est, dimittat vobis peccata vestra.

Si cui autem quæ hactenus diximus ad ignoscendũ non suf-
Eccles. 28. ficiunt, illam eiusdem Ecclesiast. vocem prudenter expendat: Memento nouissimorum, & desine inimicari. Magnũ certè his verbis momentum, magnum ad placabilitatem argumentum est. Vnumquemque enim vestrum nunc, fratres, appello, illud exigo, vt ad mentem reuocetis, vos omnes quotquot modò integri & incolumes adestis, futurum aliquando, vt extremo vitæ agone constituti, omnibusq. huius vitæ rebus tergo relictis, & futuri sæculi æternitate ante oculos posita, futura sorte vestra cogitare incipiatis. Ibi tunc primùm vos inter tempus & æternitatem velut medios positos esse videbitis, tempus quidem protinus relicturos, & immẽsa æternitatis spatia ingressuros. Ibi ex altera quidem parte gehennam, ex altera verò animarum beatarum sedem mentis oculis perspicietis; vos verò inter vtramque tam disparem sortem positos, Deum verò supernè vobis imminentem, & ad iudicium venientem. Hic solicita & anxia mens incertum ferendæ sententiæ exitum formidare incipiet, quam suo iam capiti impendere sentiet. Animaduertit enim intra trium vel quatuor horarum spatium, diuinæ sententiæ decreto statuendum esse quid de se in tota æternitate futurum sit. Quod enim tunc semel statutum fuerit, in
Eccles. 9. æternum mutari non poterit. Quid autem illud futurum sit, prorsus ignorat: quandoquidẽ nemo scit vtrum odio vel amore dignus sit. Dum igitur sic mens hominis fluctuat, dum sic hæret ac pendet, & ancipitis sortis metu perturbata & anxia est (cùm illam præsertim sceleratæ vitæ conscientia pungit, & præteritorum delictorum memoria mordet) quid, quæso, magis tunc illam quàm malè actæ vitæ memoria cruciabit? quod præterita crimina detestabitur? quid magis tunc cupiet quàm placidum iudicis vultum intueri, à quo vno totum æternitatis futuræ pondus pendere cognoscit? Nulla certè verborum vis, nulla dicendi facultas, huius desiderij magnitudinẽ satis explicare queat. Proposito tamen exẽplo vtcunq. hoc indicare tentabo. Cùm sanctus Patriarcha Iacob è Mesopotamia in patriam remearet, vehemẽter sibi ab Esau fratre metuebat, quem infe-

ſum ſibi propter ſublatã patris benedictionẽ credebat. Cùm ve- Geneſ. 32.
rolli nuntiatum eſſet fratrẽ quadringentis viris ſtipatũ in oc-
curſum eius properare, tunc verò mulo magis trepidare, ſibique
liberis proſpicere, & varia ad placandũ fratrẽ munera deſtina-
re, & inſtantius opem Dñi his verbis implorare cœpit: Domine,
minor ſum cunctis miſerationibus tuis, & veritate tua quam
impleſti ſeruo tuo: erue me de manu fratris mei, quia valde eũ ti-
meo; ne forte veniens percutiat matrem cũ filiis. Deniq. vbi di-
uina viſione & benedictione confirmatus eſt, vbi ad fratris con-
ſpectũ venit, nouo & inaudito pænè obſequij genere ſepties ſe
antè illum humi procumbens proſtrauit: quo hac inſolita exi-
miæ humilitatis ſpecie, irati fratris (vt putabat) animũ leniret.
Nunc, quæſo, fratres, periculũ cum periculo, negotium cũ ne-
gotio, & perſonam cum perſona cõferamus. Ille fratrem gemi-
num ſemel offenderat (ſi offenſa tamen illa nuncupanda eſt) tu
verò non fratrem, ſed Dominum maieſtatis, non ſemel, ſed in-
finitis pænè ſceleribus offendiſti. Et ille quidem corpus ſolum
occidere, nec vltra ſæuire poterat. Deus autem & corpus & ani-
mam æterna morte mulctare, & in gehennã mittere poteſt. Si
igitur ille tantoperè fratrẽ metuebat, qui ſolam corporis vitam
eripere poterat: quantum, quæſo, ille timendus erit, qui extin-
cto corpore, non ad momentaneam, ſed ad ſempiternam mor-
tem damnare hominẽ poteſt? Si ille tãtoperè placatum fratrem
& clementẽ inuenire cupiebat, vt fratre munera accipere recu-
ſante, & ſe itineris ſocium exhibente, ſanctus cõtrà reſponderit,
ſe hoc beneficio non egere, ſed hoc vnum tantum cupere, vt co-
ram illo gratiam inueniret, quanto, quæſo, iam iam diſceſſurus
homo, gratiã apud illum inuenire deſiderabit, qui ſempiternæ
vitæ & mortis claues in manu geſtat? Certè in huius deſiderij
magnitudine amplificãda, Demoſthenes & Cicero muti eſſent.
Si igitur vos, fratres, in hoc tanto ſalutis diſcrimine clementem
& propitiũ Deum inuenire cõcupiſcitis, habetis in præſenti le-
ctione in promptu poſitam placandi numinis rationem. Eſtote
beneuoli in fratres ſi Deum cupitis beneuolum inuenire: eſtote
in illos clementes, ſi illum erga vos clemẽtem eſſe vultis. Igno-
ſcite, vt vobis ignoſcatur: veniam date vt vobis venia conceda-
tur. Inueniat gratiam qui vos ſemel læſit in oculis veſtris, ſi vos
qui infinitis pænè ſceleribus infenſum vobis Dominum reddi-
diſtis, in eius oculis gratiam inuenire deſideratis: vt hac ratione
impetrata per miſericordiã venia delictorum, peruenire merea-
mini ad æterna gaudia beatorum.

IN EADEM DOMINICA XXI POST PENTECOSTEN CONCIO II in qua post Euangelicæ lectionis explanation[em] contra odia, vindictæ cupiditatem, & implacabilitatem.

THE. *Sic pater meus cælestis faciet vobis, si no[n] miseritis vnusquisque fratri suo de cordibus v[estris].* Matth. 18.



Nter tres præcipuos animæ nostræ hostes m[un]dum connumerari, nemo est qui nesciat. M[undum] autem nomine non hoc mirabile Dei opific[ium] quod nos ad eius laudes incitat, sed mūdanos [ho]mines terrenis huius mundi bonis addictos in[tel]ligimus. Qua autē ratione hostis hic animā nostrā impetat, Aug. exponit his verbis: Duplicem mundus aciē producit co[ntra] milites Christi. Blāditur, vt decipiat, terret, vt frangat. Hæc[...] Blanditur mundus cùm fallaci terrenorum bonorum spe n[os] iactat, cùm alienarum deliciarum exemplo, aut mundani a[p]paratus, vestiumque, atque aliorum ornamentorum splend[ore] oculos nostros perstringit, & allicit, animosque nostras ad si[mi]lia concupiscenda incendit. Hic animaduertere licet femin[as,] quæ vbi aliarum fortasse cultiores vestes viderint, præ earū[dem de]siderio incensæ, partim viros ad hæc ipsis præstanda solicita[nt,] partim etiam magnam dotis partem in his profundere sole[nt.] In ædibus enim Babylonis vlulæ sibi mutuò respondere dic[un]tur: quod quidem fit cùm huius seculi amatores deliciarum c[o]pia, vestium cultu, & domestici apparatus nitore inter se cer[tant,] & alius alium superare conatur. Harum ergo rerum nitor in[fi]mas hominum mentes sæpe decipit, & similium rerum am[ore] inflammat. D. Hieronymus vbi in eo libro, quem de illustr[ibus] viris scribit, Senecæ mentionem fecisset, eum continentiss[imæ] vitæ fuisse ait. At is Seneca in epistola ad liberalem amicum i[n]genuè fatetur se aliorum deliciis & vitæ lenociniis non paru[m] ad eadem desideranda commoueri. Sic enim ait: Dicam qu[æ] accidant mihi, tu morbo nomen inuenies. Tenet me summ[us] amor parsimoniæ, fateor. Placet nō in ambitionem cubile co[m]posi[tum,]

Margin notes: August. — Esaiæ 13. — Hieron. — Seneca.

positum, non ex arcula prolata vestis, non ponderibus aut mille tormentis splendere cogentibus, expressa: sed domestica, & vilis, nec seruata, nec sumenda solicitè. Placet cibus, quem nec parent familiæ, nec spectent, nec multos antè paratus dies, nec multorum manibus ministratus: sed parabilis, facilisque, nihil habens accersiti, pretiosiue: vbilibet non defuturus, nec patrimonio grauis, nec corpori, nec rediturus qua intrauerat. Cùm bene ista placuerunt, perstringit animum splendida diuitum mensa, & auro culta mancipia, & agmen seruorum nitentium. Iam domus etiam qua calcatur pretiosa, & diuitiis per omnes angulos dissipatis, tecta ipsa fulgentia, & assectator, comesque patrimoniorũ pereũtium populus. Quid per lucentes ad imum aquas, & circumfluentes ipsa conuiuia, quid epulas loquar scena sua dignas? Circunfundit me ex longo frugalitatis situ venientem, multo splendore luxuria, & vndique circumsonuit. Paulum titubat acies. Facilius aduersus illam animum, quàm oculos attollo. Recedo itaque non peior, sed tristior. Neque inter illa friuola mea tam altus incedo, tacitusque morsus subit & dubitatio, nunquid illa meliora sint: nihil horum me mutat, nihil tamen non concutit. Hactenus Seneca: ex cuius verbis cernere licet qua ratione mundus mentes nostras emollire, & ad sui amorem pellicere soleat.

Est autem alter impugnationis modus, quo nos mundus infestat: cùm vel tormentorum atrocitate fidem nostram labefactare conatur (quemadmodum sanctos martyres impugnauit) aut cùm variis iniuriis & contumeliis, quibus vel opes, vel honorem, vel famæ candorem nobis eripere tentat, non quidem fidem, sed charitatem (quæ fide præstantior est) extinguere nititur. Quàm multi enim homines huiusmodi iniuriis affecti, vindictam de aliis sumpserũt, vel certè Christianam charitatem capitali odio commutarunt! Iam verò illos qui quauis ratione siue honesta, siue turpi nos à voluptatibus & deliciis auocant, quàm acerbo odio prosequimur! Cùm enim ea vis animæ nostræ quam irascibilem appellant, læsæ concupiscentiæ vindex esse dicatur, efficitur sanè, vt voluptatum amatores, quibus mũdus est plenus, grauiter aduersus illos incandescãt, qui se quauis ratione à voluptatibus suis arcent. Cuius rei cùm innumera exempla proferre possem, vnum tamen Herodiadis vobis notissimum proferam: quæ tanto odio aduersus beatissimũ Ioannem Baptistã exarsit, vt caput eius dimidio Herodis regno prætulerit, quod vir sanctissimus impuram eius voluptatẽ & adulterium

Matt. 14.

terium impedire voluerit. Sed cur aliud exemplum, quàm Domini Saluatoris quærimus, aduersus quem sic Pharisæi exarserunt, quod eorum auaritiam, superstitionem, & hypocrisim accusaret, vt ipsum omni genere tormentorum excruciatum in cruce necauerint?

Hæ sunt igitur, fratres, irarum, dissidiorum, atq. odiorum inter homines causæ, cùm alij aliis variis in rebus nocere student. Alius enim litem iniustam intendit, alius famam denigrat, alius opes dolo & fraude diripit, alius vxoris vel filiarũ pudicitiæ insidiatur, alius detrahit, alius inuidet, alius falsum contra testimonium dicit, alius mentitur ac decipit, alius conuitiatur, alius alapam aut etiã vulnus infligit, ac postremò alij aliis mille modis & artibus nocent. Quot sunt autem nocumẽta, tot sunt irarum atque odiorum causæ, quibus charitatis vinculum disrumpitur, & anima lethaliter vulneratur.

Cùm igitur animarum nostrarum medicus & humanæ salutis amator morbi huius magnitudinẽ & periculum animaduerteret, salutare nobis antidotum in hodierna sancti Euãgelij lectione prouidit, proposita quadam elegantissima parabola, quæ docet salutis viam esse omnino illis preclusam, qui implacabiliter cum aliis inimicitias exercent, & ad erratorum veniam tribuendam inexorabiles sunt. Huius verò parabolæ tradendæ occasionem Petrus Apostolus Domino dedit. Cùm enim toties illum de charitate disserentem audiret (cuius proprium est iniuriarum

Matt. 18. obliuisci, & errata condonare) quærit ab eo: Domine, quoties peccabit in me fratres meus, & dimittam ei, vsque septies? Cui Dominus: Non dico tibi vsque septies; sed vsque septuagies septies. Hoc est nullum tibi numerum certum præfinio. Semper enim ad dandam veniam paratus esse debes: nec vllus delictorum numerus fraternam in te dilectionem extinguere aut minuere debet, si vis proprium tibi cælestem patrem esse. Alioqui si tu te inexorabilem fratri veniam petenti præbueris, ipsum quoque erga te inexorabilem inuenies. Hic est, fratres, huius parabolæ scopus. Ait igitur Dominus:

I.

Simile est Regnũ cælorum homini regi, qui voluit rationẽ ponere cum seruis suis: & oblatus est ei vnus, qui debebat decẽ millia talenta: Et cætera quæ sequuntur vsq. in finem. Hæc igitur est parabola. Nunc singulas eius partes excutere incipiamus.

Simile est, inquit, *regnum cælorum homini regi, &c*. Regni cælorum nomine quicquid ad regnum cæleste consequendũ pertinet

intelligi frequenter audistis. Nihil autem magis nos ad regnum perducit, quàm charitas: nihilque ab eo excludit, quod charitati aduersatur. In quo genere sunt odia, dissidia, implacabilitas in eos, qui nos aliqua in re læserunt. Huius criminis periculum hac regis à seruis suis rationem exigentis parabola declaratur. Hic autem Rex Deus est, ante cuius tribunal omnes homines sistendi sunt, vt de perceptis à Deo beneficiis, & delictis aduersus eum commissis ad verbum vsque otiosum rationem reddant. Inter hos autem eius conseruos oblatus est ei vnus ingenti debito, decem millium videlicet talentorum obstrictus. Quis est autem tam magno debito obnoxius? Multi sunt certè, qui cum Rege illo pœnitente dicere verè possunt: Peccaui super numerum arenæ maris. Quis enim perditorum homium mendacia, periuria, blasphemias, conuitia, rapinas, fraudes, furta, detractiones, iniurias, auaritiam, inuidiam, impudicitiam, & ingluuiem? quis oculorum licentiam? quis linguæ petulantiam? quis tam multiplices cordis concupiscentias? quis corporis lasciuiam? quis rapaces manus? quis pedes veloces ad currendum in malum? quis diuinorum beneficiorum abusum, & mandatorum contemptum enumerare valeat? Eò enim, diabolo adnitente & animos hominum veluti philtris quibusdam & veneficiis dementante, deuenerunt; vt nihil minus delinquant fidem habentes, quàm si athei, exleges & infideles essent. In lib. Sapientiæ legimus infandorum idolorũ culturam malorum omnium, ac præcipuè periuriorum causam esse. Dum enim ait homines confidunt in idolis, quæ sunt sine anima, malè iurantes puniri se non sperant. Sed non mirum est eos, qui idola sine anima colebant, in scelera omnia atque periuria præcipites ferri. Sed illud tamen verè mirabile est, eos qui Deum viuum omnia videntem, prouidentem, atque iudicantem confitentur, nihil minus delinquere, quàm eos qui lapides & ligna colebant. Vnde liquet eos, qui ita se sine vllo pungentis conscientiæ aculeo in omnia scelera effundunt, quique bibunt quasi aquam iniquitatem, non quidem voce, sed opere tamen Deum esse lignum aut lapidem cõfiteri. Hoc enim Propheta significauit cùm ait: Dixit insipiẽs in corde suo non est Deus. Quomodo autem dixerit, exponit protinus cùm subdit, Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis, &c. Hac ergo ratione improbi dicunt non esse Deum; quandoquidem nihil minus peccant Deum esse credentes, quàm si omnino non crederent. Quod genus peccandi ideò gra-

2.Reg.12.

Sapiẽ. 14.

Iob 15.

Psal.13.

grauissimum est, quòd maximum Dei contemptum præse[ferat]. Facit enim Deum aut truncũ aut lapidem: quod dictu q[uam] nefas est. Isti igitur sunt decem millium talentorum, hoc [est, in]finitæ summæ debitores.

Cùm igitur Rex ex seruis suis quendã hoc tanto debito [ad]strictum deprehendisset, neque facultas suppeteret, vnde [tan]tum ęs alienũ dissoluere posset: *iussit illũ venundari & v[xorem] & filios, & omnia quæ habebat; & reddi.* At seruus aud[ita] Domini sententia, *procidens ad pedes eius, rogabat eum [dicens:] Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertu[s autem] Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.* [Ecce ve]re immensa Dei nostri bonitas & misericordia declaratur. [Plus] enim sola serui supplici deprecatione plus contulit, quà[m] rogauit. Ille namq. spatium temporis petebat, Rex autem [mi]sericordia motus, vniuersum ei debitum dimisit. Hoc [i]psum quotidie rex cælestis facit, cùm peccatoribus ad ipsum pe[r ve]ram humilemque pœnitentiam confugientibus, non mod[ò] tam & spatium ad pœnitentiam præbet, sed vniuersa etiam [de]bita condonat. Quæ tamen veniæ facilitas Christi Domini [mu]neribus ac meritis donatur. Hoc est enim quod passim [in] Theologorum scholis resonat, nempe Christum Dominũ [pri]mam nobis gratiam promeruisse. Sed ò quantum in his v[e]tissimis verbis cælestis philosophiæ latet; quã tamen ego q[uàm] breuissimè attingam, vt intelligant qui à Deo decem mill[ium] talentorum remissionem perceperunt, quantum Christo se[rua]tori debeant. Ad hoc igitur scire oportet, hominem quam[diu in] peccato manet, nullum opus agere posse, quo Dei grati[am et] amicitiam promereatur. Scriptum est enim: Victimæ i[mpio]rum abominabiles Domino. Et: Qui obturat aures suas [ne au]diat legẽ, oratio eius erit execrabilis. Nõ enim Deo gratum [esse] potest, quod homo ingratus & inimicus Dei facit. Christus [ta]men Dominus passionis suæ sacrificio meruit, vt cælestis p[ater] à peccato ad iustitiam vocaret quoscunq. vocare dignatur. [Hoc] est enim, quod Esaias significauit cùm de Christo Domino [lo]quens ait: Si posuerit pro peccato animam suam, videbit se[men] longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur; [hoc] est, ipso cooperante & promerente, voluntas Domini, quæ v[ult] homines saluos fieri, adimplebitur. Vt autem huius bene[ficii] magnitudinem (quam nulla neque hominum, neque ange[lo]rum lingua pro dignitate poterit amplificare) intelligatis, [æ]stimate Christum Dominum in cruce pẽdentem, sic ad patr[em]

Prou. 15. Prou. 21. Esaiæ 53.

Pater mi, ego tibi hoc passionis meæ sacrificium, hanc crucem, hunc sanguinem, hæc acerbissima vulnera, verbera, cula, spinas, clauos, sputa, irrisiones, & opprobria, ac ipsam que mortem suppliciter offero, vt peccatorum miserearis, illorum errata condones, eosque à scelerata vita ad pietatem, ui numinis cultum & amorem trahas. His igitur preci, atque hoc infinitæ virtutis sacrificio placatus pater æter, ad gratiam & amicitiam suam vocat quoscunq. vocat. Hoc igitur quod Theologi dicunt Christum Dominum primam cationis & iustificationis gratiam nobis promeruisse. Nunc vos, fratres. Si quis est inter vos qui aliquando in profundo itiorum gurgite submersus, in superas auras euasit, & ab illa malorum colluuione emersit, & iam pietatem & iustitiã, quam antè despexerat, rebus omnibus antefert, seque his indiciis ad Dei gratiam & amicitiam, & cælestem hæreditatem Dei filiis promissam vocatum coniicit, intelligat planè Christi meritis & sanguini hoc tantum se beneficium debere; humique prostratus sacratissima illa vulnerum Domini stigmata osculetur, illique immortales gratias agat, quòd per illa tantum hoc beneficium sibi fuerit collatum, & quod ille cum lachrymis seminauit, ipse cum gaudio & exultatione metat.

II.

Hactenus clementiam & lenitatem Domini vidimus, nunc serui crudelitatem, & inhumanitatem videamus. *Egressus enim seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios: Et tenens suffocabat eũ, dicens: Redde quod debes. Et procidens conseruus ille, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit: sed abiit, & misit eum in carcerem donec redderet debitum.*

Iam hic singula expendere incipiamus. Atque in primis debitum debito conferamus. Hic seruus nequam debebat regi decem millia talenta. Talentum autem ex Budæi supputatione sexaginta libras argenti continet. Libra autem vna centum denarios. Si quis verò curiosius summam illam decem millium talentorum ad computum nostrum redigere velit, inueniet ea comprehẽdere sexties mille millia aureorum. Cui summæ quis centum illos denarios conferre audeat? Hoc enim est velut aquæ guttulam Oceani vndis comparare. Qua quidem comparatione Dominus quantum inter Dei & hominis offensam discrimen esset, voluit declarare. Offensa quippe in Deum propter immensam & infinitam eius maiestatem decem millium talentorum,

torum, hoc est, infinitæ grauitatis est: offensa verò in homi-
si solius hominis non etiam diuinæ prohibitionis ratio habe-
tur, centum denariorum est; hoc est, diuinæ offensæ compara-
nullius omnino ponderis est. Quantum enim inter Dei & ho-
minis dignitatem distat, tantum inter vtriusque offensionem
discrimen est. Nunc improbi hominis inhumanitatem consi-
deremus. Hic igitur, qui decem millium talentorum, hoc est,
criminum suorum supplici oratione & pœnitentia veniam ob-
tinuerat, leuissimam proximi culpam, si huic conferatur, contra
se admissam, nulla ratione condonare voluit; quo quid in-
dignius, quid inhumanius potest? Quocirca meritò cæteri con-
serui, hoc est, sancti Angeli, hac tanta inhumanitate per-
magna tristitia affecti fuisse perhibentur, meritoque Domi-
nus ipse aduersus ingratum & immitem seruum ira com-
tus est. Quò enim Dominus, ad misericordiam & le-
tem propensior, hôc magis crudelitati & inhumanitati
festior est. Ex eodem enim fonte & misericordiæ amo-
crudelitatis odium manat. Sic igitur cum immiti seruo
re cœpit:

*Serue nequam, Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti;
nonne ergo oportuit te miseri conserui tui, sicut & ego tui mi-
sum?* Si ego tam magnam debiti summam tibi remisi, cur
tam paruam nõ remisisti? Si ego rex tibi sic indulsi, cur tu
conserui misertus non fuisti? Si ego plus tibi contuli,
petebas (spatium enim petenti, debitum omne remisi)
ne moram quidem temporis petenti concedere voluisti
tanta tecum lenitate egi, cur tu conseruum suffocas,
& in carcerem coniicis? Quomodo tam citò benefic-
ga te meæ obliuisci potuisti? statim enim vt à me liber-
sus es, in conseruum insiliisti, & in vincula coniectum
tate, qua eras à me antè donatus spoliasti. Quid ergo
est, nisi vt ego te mensura tua metiar: talemque me erga
stitia mea reddat, qualem te crudelitas tua erga con-
fecit?

*Iratus ergo Rex iussit eum tradi tortoribus quoadusque
ret vniuersum debitum.* Hoc in loco quæri meritò potest,
Apostolus dicat sine pœnitentia esse dona Dei (quia non
tit quod donauit) quomodo nunc vniuersum debitũ, quod
Rom. 11. donauerat, repetit: quando seruum nequam torqueri præ-
quoadusque vniuersum debitum redderet? Ad hoc igitur
D. Tho. Thom. cæteriq. doctores respondent, peccata dimissa

nouum ingrati animi crimen quodammodo redire: quia pusilla ingratitudo, qua post perceptũ ingens beneficium homo aduersus benefactorem delinquit, tantum ferè ponderis & iniquitatis, quantum præterita peccata habet. Si enim nullum anteà homo beneficium, aut si exiguum beneficium recepisset, ne quidem esset ingrati animi vitium. At post maximum beneficium exhibitum, tantò crimen maius est, quantò maius illud extitit beneficium. Hac ergo ratione, fratres, peccata iam dimissa redire dicuntur. Quam rem attentissimis animis expendere deberẽt, qui quotannis confitentes, & absolutionis beneficium, hoc est, decem millium talentorum remissionem ex immensa Domini benignitate percipientes, insuperque ipsum cęli ac terrę Dominum per sacram Eucharistiam intra pectus suum recipientes, vix dum paucis diebus elapsis eundem Dominum (à quo tam magno affecti fuerant beneficio) nouis iterum criminibus ad iracundiam prouocant:

Sed vt ad institutum redeamus, simili ratione diuina iustitia eos plectendos censet, qui cùm ipsi à Domino decem millium talentorum, remissionem perceperint, ipsi leuissimas fratrum offensas remittere nolunt: nec illa erga eos vti misericordia, qua erga illos piissimus Dominus vsus est. Ideoque (vt modò diximus) talem se erga illos Dominus exhibebit, quales se ipsi erga conseruos præstiterunt. Quocirca qui multorum sibi criminum rei sunt, qui decem millium talentorum debito grauantur, qui nisi à Domino debitorum remissionem accipiant, certam sibi damnationem propositam habent, videant quales ipsi se erga delinquentes conseruos gerant, si propitium Dominum inuenire volunt. Si enim mitissimus & clementissimus Dominus adeò acriter in illum inhumanum seruum exarsit, quòd inexorabilem se erga conseruum præbuerit, qua fronte ipse eius misericordiam implorare aut promereri poterit, qui misereri noluit?

Hanc porrò seueritatem in huius serui punitione ostendit, quem tradi tortoribus iussit, quoadusque redderet vniuersum debitum. Tortorum autem nomine dæmones intelligimus: qui velut carnifices sunt & ministri diuinæ iustitiæ; ideoque tortores appellantur, quòd diuinæ iustitiæ decreto reprobos pro criminum qualitate torqueant. Quàm grauiter autem miseras damnatorum animas tortores isti crucient, multis rationibus ostendi potest. Primùm quidem ad hoc eos excitat conceptus aduersus genus hominum liuor & inuidia; quos in hoc cõditos

esse

esse sciunt, vt sedes ipsis antè in cælo paratas possideant. Q
causa eos ad omnia scelera solicitare non cessant, ne vi
voti compotes fiant; & eò conscendant vnde ipsi ceciderun
& alius in eis odij, & furoris aculeus; quòd acerrimo odio
naturam prosequantur, quæ illis exitium & perniciem
Sciunt enim humanam in Christo naturam, illorum im
quod in vniuerso pænè mundo obtinebãt euertisse, aras
pla deiecisse, vires & potentiam fregisse, & quos in re
captiuos tenebant eripuisse; ac postremò ipsos in tartar
gasse. Quo factum est, vt humanam naturam vbicunqu
viderint, tanquam Goliath gladium, quo ipsi conciderun
mani odio persequantur; & furoris sui rabiem, quam in
sti humanitatem expleri non possunt, in eiusdem natur
sortes expleant.

His accedit eorum triumphus, quo de victoria aduersus
natos habita, miseris insultant. Nos, inquiunt, vos in omni
gitiorum genera impulimus, vt à cælesti hæreditate deiect
hæc supplicia truderemus. Hoc officium nostrum, hæc per
meditatio extitit. Itaque ex vobis alios ad auaritiã & rapi
alios ad superbiam & inanem fastum, alios ad iram & vind
cupiditatem, alios ad periuria atque blasphemias, alios ad
gluuiem & intemperantiam, alios ad detractionem & mal
centiam, alios ad liuorem & inuidiam, alios ad intestina
quanta potuimus vi solicitauimus: omnibus verò libidin
impudicitię faces subiecimus, vt feminarum pudicitiæ insi
tes, & vos ipsos & illas vobiscum in perditionis baratrum d
deremus. Sciebamus enim animam pro anima redder
cùm vix vlla suppeteret huius iniuriæ resarciendæ ratio,
ipsi perirent, qui alios perdiderunt. Quam rem perditia
scentes attendere deberent, qui vix aliud cogitant aut mo
tur, quàm vt incautas virgines ad turpitudinis suæ consor
mille artibus & fallacibus promissis trahant. Insignem pa
Raymundum (qui Pontificis maximi iussu epistolas decre
in vnum corpus redegit) simile quoddam genus delicti ad
nis nostri institutum capessendum impulit; quòd is adolesc
tem quendam monasticæ vitæ institutum arripere volent
persuasione sua reuocauit. Cuius rei pœnitentia ductus,
alia ratione hoc piaculum diluere se posse credidit, nisi seip
pro eo eidem instituto alligaret. Inuenit igitur hic vir doct
mus, qua ratione pro damno fratri illato satisfaceret. Qui
innocẽtis feminæ pudorem malis artibus violauit: quo an

in alia flagitia præcipitauit, qua ratione huius animæ iacturam pensare poterit, quam Christus sanguinis sui pretio redemit?

Sed vt ad propositum redeamus, isti sunt carnifices, & tortores, quibus ex imperio Domini traduntur, qui implacabiles inimicitias tuentur. Sed quousque tandem torqueri præcipiũtur? Quousque ait reddant vniuersum debitum. Hoc autem debitum in gehenna nulla vnquam temporis diuturnitate dissoluetur: quoniã hîc nõ merendi, aut demerẽdi, vel satisfaciendi locus est. Ita fit, vt quod in hoc seculo breui poterat labore resarciri, in illo acerbissimis, & perpetuis cruciatibus nunquã dissoluatur. Cur autem æquissimus iudex temporariam culpã æterno supplicio plectendam iudicet, D. Bernardus rationem assignat his verbis: Ob hoc procul dubio inflexibilis, & obstinatæ mentis punitur æternaliter malum, licet temporaliter perpetratum, quia quod breue fuit in tempore, vel opere, longum fuisse constat in pertinaci voluntate. Hinc Diuus Gregor. Cuius, inquit, vita mortua fuit in culpa, illic mors viuit in pœna. Cruciatur ergo & non extinguitur, moritur & viuit, deficit & subsistit, finitur & sine fine est. Desiderabunt enim improbi mortem, sed mors fugiet ab eis. Quid igitur acerbius, quàm mortem semper desiderare, nec obtinere? Imo (vt idem Diuus Gregor. ait) quid tam pœnale, quàm semper velle quod nunquam erit, & semper nolle, quod nunquam non erit? Qui igitur hoc firma & ineluctabili fide tenent, quomodo aut ridere, aut ludere, & in otio vitam agere, imo verò quomodo aut somnum, aut cibum capere possunt, qui se præsertim lethali aliquo crimine constrictos, æternæque mortis reos esse sciunt? Vbi, quæso, sensus; vbi ratio; vbi iudicium? Vbi consilium? vbi prouidentia, quę futura mala præsentire solet? vbi naturalis metus qui impendentia mala formidat? Quis, quæso, nos ita dementauit? quis omni nos humanitatis & iudicij sensu spoliauit, vt tam acerba supplicia sempiternis seculorum ætatibus duratura non metuamus? non semper ante oculos habeamus? non omni studio atque labore fugere contendamus, ne in æternum frustra lugeamus?

Bernard.

Gregor.

Idem.

Hæc igitur, fratres, pœnarum æternitas, & prætermissa pœnitendi, atq. satisfaciendi opportunitas (in qua tam exiguo breuique labore homines tam multa redimere, & tam magna bona consequi potuissent) illos vehementissimè cruciat. O quoties fatuæ illæ virgines prætermissam hanc salutis opportunitatem lugent?

lugent! O nos, inquiũt, miseras, quæ opportuno tempore charitatis & misericordiæ oleum emere distulimus, vt per misericordiæ officia misericordem iudicem inueniremus! O si quod instante extrema illa necessitate facere voluimus, opportuno tempore fecissemus! O verè deploranda cæcitas nostra, quæ fragilibus, ludicrisque rebus intenta, hanc tantam rem, quæ solanimos nostros solicitare semper debuisset, aduertere noluit! O transacta pœnitentiæ opportunitas nullo vnquam tempore reditura, quas nobis sempiterni doloris faces subiicis!

Hæc obiter, fratres, in Euangelicæ parabolæ explanatione adnotanda duximus. Nunc quid in ea cælestis magister præcipuè intendat explicare incipiamus.

TRACTATIO THEMATIS, VEL ALIA CONCIO: QVAE post breuiorem Euangelicæ lectionis explanationem adornari poterit.

OPortuit te misereri conserui tui &c. In tota hac Euangelica lectione (vt videre potuistis fratres) aduersus fraternæ odia, & vindictæ cupiditatem, & implacabilitatem cælestis magister tonat ac fulminat; dum grauissimum huius criminis supplicium nobis ob oculos ponit. Quia verò (vt initio diximus) multa sunt in vita, quæ infirmorum mentes ad huiusmodi odia & vindictæ cupiditatem incitant, operæ pretium me facturum arbitror, si huius morbi periculum & incommoda hoc in loco retulero, quo vestros animos in eius odium ad detestationem incendam.

Ad hoc autem odium (vt hinc dicendi initium faciam) peccatorum agmen quod hæc pestis secum affert, vos maximè incitare debet. In eo namque pectore, in quo odium & vindictæ cupiditas dominatur, ibi detractio, ibi sinistræ suspiciones, ibi falsa testimonia, ibi inuidiæ liuor, ibi vltionis appetitus, ibi lites & cõtentiones, ibi discordiarum inter fratres proseminatio, ibi amarulentia, ibi contumeliarũ & iniuriarum assidua meditatio: quæ omnia ex pestilentissima odij radice oriũtur; vt meritò hoc vitium non tam vitium, quàm furiam tot hydris armatam, quæ ex se vitia germinat, nuncupare debeamus. Hinc in Epistola
1. Ioan. 3. sua Ioannes: Qui odit, inquit, fratrem suum, in tenebris est,
in-

in tenebris ambulat, & nescit quò vadat; quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius. Quemadmodum ergo qui oculis captus est, ubique offendit, & in varia præcipitia labitur: ita cõsequens est, vt is in huiusmodi peccatorum, quæ diximus, præcipitia ruat, qui mentis oculos habet odij atque iracundiæ fumo & tenebris obcæcatos. Iam verò si is, qui hoc morbo laborat, multos habeat sanguinis communione coniunctos, hos etiam ad odij sui communionem adiungit; cùm consanguineorum causa omnibus inter se sit communis.

Simil.

Verùm hæc ad animum pertinẽt. Quid verò corporis cruciatus & amarulentiam, quam cor odij veneno infectum patitur referam? Quemadmodum enim nihil pacato & tranquillo corde iucundius, ita nihil eo odij rabie atque furore infecto amarulentius. Itaque hoc vitium non modò animæ tabem atque pestem, sed crudelissimum etiam humanæ vitæ carnificem appellare licet.

Iam verò si is qui vindictę cupiditate flagrat, voti compos efficiatur, & alieno sanguine odij sui rabiem atque sitim expleat, bone Deus, quàm infelices atque funestæ tragœdiæ ex ea re cõsequi solent! Qua de re Seneca: Quosdam, inquit, vnius verbi contumelia non æquo animo lata, in exilium proiecit, & qui leuem iniuriam silentio ferre noluerant, grauissimis malis obruti sunt: indignatique aliquid ex plenissima libertate diminui, seruile in se attraxere iugum. Hæc ille.

Seneca.

Sed demus hoc facinus adeò felix prosperumque fuisse, vt in obscuro lateat: quid facies de illo desuper inspectore, quem latere nihil potest? Quomodo autem pungentis conscientiæ perpetuum carnificem quòd alienum sanguinem profudisti vitare poteris? cùm præsertim tanto Deus odio sanguinarios homines prosequatur, vt in huius rei signum, animalium quoque sanguinem post diluuium manducari prohibuerit: Sanguinem, inquiens, animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum & de manu hominis? Quis igitur hunc lacerantis conscientiæ tortorem euadere poterit, etiam si iuris iudicumque pœnas euadat?

Genes. 9.

III.

Verùm dicet aliquis, Agnosco planè mala ista omnia ex amarulenta odij radice prouenire: Quomodo tamen continere me potero, quin vindictam expetam de eo, qui famam, qui honorem virulenta lingua sua mihi abstulit, qui opes euertit, qui iniustam contra me litem mouit, qui variis tum contumeliis, tum

iniuriis me affecit, nec afficere desistit? Quomodo ergo hunc α- quis oculis aspicere, quomodo conceptam aduersus eum iram sedare, quomodo eum colloquio dignari, quomodo manus & linguam ab eo continere potero, vt non cum eo talionis agam, & par pari referam? Non sum, fratres, adeò à communi sensu alienus, vt non existimem hoc apud multos difficile esse. Sed dispiciamus modò qua ratione hoc animi vulnus curare valeamus. Principiò igitur vtriusq. partis damna pōderemus. Vtrum, quæso, ex vobis inimicus iste maiori damno affecit, te, an se? Ille quidem Dei gratiam & amicitiam amisit, cùm te iniuria affecit, & cùm in te contumeliosus fuit, in Deum etiam fuit. Idemq.
Esaiæ 64. animam suam peccando prodidit, æternisq. suppliciis addixit, & sempiterna illa bona perdidit, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Ille igitur famam tuam obscurauit, ipse verò animam suam prodidit. Ille vestem tuam disrupit, ipse cor suum lethali ferro transfixit. A te vnum capillum sustulit, sibi verò oculum effodit. Credis ne hæc ita esse? Credo sanè, quia fidelis sum. Si ergo in te sunt charitatis viscera, quantò iustius est, vt illius miserearis, qui tantis se malis affecit, quàm vt grauiter indigneris quòd tam leue damnū passus sis? Quam rem significasse Propheta videtur, cùm de hostibus suis ait: Circundederunt me sicut apes. Quo verbo non solùm hostiū ultitudinē, sed varia vtriusq partis dāna designat. Apes namque leue vulnus aculeo suo infigunt, quæ tamen vitam simul cum aculeo amittunt. Qua similitudine intelligimus, quantò grauius sibi noceat, quisquis alteri nocet. Vt tecum tuguriolum tuum incenderet, flammam excitauit, in qua semper ardet, quamdiu odij facibus aduersus te inflammatur. Hac igitur de causa viri sancti iniurias sibi illatas patientissimè tolerabant. Sic enim (vt alios prætermittam) religiosissimus Abbas Stephanus (vt D. Gregor. refert) insignem iniuriam à flagitiosissimo viro illatam pertulit. Is namque cùm quadam messem, quā sua manu seuerat, decussam, ad aream deduxisset, nihilque aliud cum discipulis suis ad totius anni stipendium haberet; quidam peruersę voluntatis vir antiqui hostis stimulis instigatus, eandem messem igne supposito ita vt erat in area incendit. Quod factum dum alter conspiceret, eidem Dei famulo nunciauit. Quod postquam exposuisset adiunxit: Væ væ Pater Stephane, quid tibi contigit? Cui statim vultu ac mente placida ille respondit: Væ quid illi contigit, qui mihi hoc fecit. Nam mihi quid contigit? Itaque vir sanctus magis illi com-

Gregor. lib. 4. Dial. cap 19.

lat, qui peccatum commiserat, quàm sibi, qui peccati illius damna tolerabat.

Rectè sanè: sed ne hac quidem ratione animi mei æstus atque iram temperare potero. Hanc tibi iram permittamus; sed ea tamen lege, vt aduersus illum commouearis, qui in te debacchatus est. Quis igitur hic est? Ille certè (vt D. Basilius ait) qui in hominis pectore dominatur; qui illum iracundiæ facibus inflammat, eumque aduersum te spiritu suo armat. Sathanæ minister est, qui eo velut instrumento aduersum te vtitur. Manus eius velut ensem arripit, quibus te feriat, & verba eius tanquam sagittas, quas in te iaculetur. Si igitur dæmon est huius iniuriæ auctor, miser autem homo velut animatum instrumentũ atque mancipium, quo te ille ferit, quid aliud erit aduersus hominem relicto dæmone commoueri, quàm canes imitari, qui vel lapidem vel hastam qua feriuntur, morsibus petunt iaculatore prætermisso? Hanc autem Philosophiam Ioannes nos in Apocalypsi docet, qui se vidisse ait nigrum quẽdam equum, cui eques unus insidebat. Et quidẽ equi nomine sceleratum hominem; equitis autem huius atque sessoris dæmonem intelligimus, qui equum iniectis habenis regit, & quocunque voluerit flectit. Si igitur in equo impium hominem, in equite autem dæmonem accipimus, qui aduersum te linguæ, vel manus hastam dirigit; cur aduersus equum magis, quàm aduersus sessorem incandescis? Nam & in hastiludiis, quæ exercitationis gratia fiunt, vitio non leui datur, si is qui ex aduerso certaturus occurrit, equum, non equitem feriat. Basilius. Simil. Simil.

Quod si hæc te ratio minus mouet; attolle paulisper oculos, Deumque intuere hæc ipsa incommoda ad animæ tuæ meritum atque salutem permittentem. Sic enim cùm Dauid Absalonis irã fugeret, & à Semei scelerato viro atq. eius hoste conuitiis, atque maledictis affectus esset: vir sanctus hanc contumeliam, non tam illi, quàm Domino hoc permittenti ascripsit. Dominus, inquiens, Semei præcepit, vt malediceret mihi. Vnde & in psalmo ait: Opprobrium insipienti dedisti me: obmutui & non aperui os meum: quoniam tu fecisti. Amoue à me plagas tuas. Tu, inquit, fecisti; quia videlicet sapientiæ tuæ dispensatione me hac ratione probare voluisti. Alio quoque in loco idem, vbi nos legimus: Eripe animam meam ab impio, frameã tuam ab inimicis manus tuæ, Hieronymus ex Hebræo vertit: Eripe animam meam ab impio, qui est gladius tuus. Hoc autem gladii nomine apertè Propheta designauit omnia, quæ in hoc

mundo eueniunt siue aduersa, siue secunda sint, diuina proui-
dentia vel ordinante, vel permittente, ad electorũ salutem eue-
nire. Quod cùm S. ille Iob intelligeret, non dæmoni, cuius op-
ra omnes eius opes euersæ fuerãt, sed auctori Deo hóc ascrip-
eùm dixit, Dominus dedit, Dominus abstulit, &c.

IIII.

Sed rursum ais: At inimicus non opes, sed honorem (q
præclaræ indolis homines opibus suis anteferunt) contu
sua mihi abstulit. Falleris, ò homo, falleris. Non enim qui
riam accipit, sed qui facit, honorem amittit. Quemadmo
enim qui alium honore afficit, non tam illum, quàm seip
honorat (ideoq. vrbani atque ciuilis hominis præclara nom
sortitur) ita contrà quisquis alium iniuria afficit, non illi, se
bi honorem adimit; ideoq. inciuilis, linguosus, & maledicus
pellatur. Quod si mihi hac in re minus fidem habes, habe
tem D. Basilio dicenti: In rixa is inferior est, qui victor est. H
Basil. Cyprian. item D. Cypri. dicenti: Nõ enim qui audit, sed qui facit ini
miser est. Neq. qui à fratre vapulat, sed qui fratrem lædit, in
ge peccator est. Idemq. alibi multo acrius: Nec nobis, ait, ig
minia est pati à fratribus, quod passus est Christus; nec illis
ria, facere, quod fecit Iudas. Vide igitur quantũ sanctissimi
viri sententia ab opinione tua distat, dum te Christo Dei
conuitiatorem verò tuum proditori Iudæ similem facit.

Quid igitur magis gloriosum, quàm Dei filio similem
qui cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur,
comminabatur, imo verò tot plagis atque maledictis in
proscissus, non modò se à maledicentia continuit, sed pr
etiam patri se precatorem exhibuit. Et post ista adhuc in
ctores suos, si conuersi fuerint, non solùm ad indulgentiam
minis, sed ad præmium regni cælestis admittit. Quid potes
tientius, quid benignius dici? Viuificatur sanguine Christi
effudit sanguinem Christi. Hoc igitur exemplo quis non
tienter maledicorum contumelias perferat?

Ego verò tantum esse dignitatis & vtilitatis in hac cõtu
liarum tolerantia puto, vt eas non modò patienter, sed libe
I. etiam perferre debeamus. Quid enim in hac vita homini
dius accidere potest, quàm diuina gratia & amicitia frui? A
ter signa gratiæ, huiusmodi patientia cum primis numer
Vnde est illud Ecclesiastici: Vasa figuli probat fornax; & h
II. nes iustos tẽtatio tribulationis. Quid item gloriosius quàm
racula & signa edere? Ego autẽ maius aliquid tibi conced

enim D. Greg. Ego, inquit, virtutem patientię signis & miracu- Gregor. lib. 1. Dial.
lis clariorem iudico. Quid rursum excellentius, quàm sanctis
martyribus similẽ fieri? Hoc autẽ (auctore codẽ Greg.) iniuria- III.
rum patientia præstat. Sic enim ait: Sine ferro & flãmis martyres Ibidem.
esse possumus, si patientiam in animo veraciter conseruemus.
Quid verò illud? quanto diuinius quòd nõ mártyribus solùm, IIII.
sed Apostolis etiam hæc virtus similem facit? Mentiar nisi hoc
Apostoli testimonio confirmem. Sic enim ad Corinthios scri-
bit; Et si aliis non sum Apostolus, vobis tamẽ sum. Signa tamen
Apostolatus mei facta sunt in vobis in multa patiẽtia, in signis,
& prodigiis, atque virtutibus. Cernitis hîc primo loco operatio-
ni signorum patientiam adiungi; qua se Apostolum esse probat,
quòd ea non humana, sed Apostolica virtus sit? Si quis autem V.
adeò ferreus est, quem hæc tanta dignitas, & vtilitas minus mo-
ueat, moueat saltem gehennæ ignis & tortorum atrocitas, qui-
bus hic seruus nequam ex imperio Domini propter implacabi-
litatem in conseruum traditus est. Nec pręteretundum mihi hoc
in loco est id cuius hæc gehennæ vox me modò admonuit.
Ad hoc autem scire oportet, iuxta Hierusalẽ ad radices mon-
tis Moria vallem amœnissimam, ac nemorosam esse, quã aqua
Siloë præterfluunt: in qua Iudæi à loci amœnitate occasionem
captantes, excelsum erexerũt idolo Moloch. Sed qua ratione ei
litabant? quid illi offerebant? O rem maximè detestandam! Fi-
lios suos in abominandi illius idoli gratiam igne comburebant.
Quam rem non semel Dominus per Prophetas populo acriter
improperat cùm ait: Immolauerunt filios & filias suas dæmo-
niis. Hic autẽ locus alio nomine Topheth appellabatur: Toph
enim Hebræis tympanum sonat, ex eo quòd detestabilis huius
sacrificij tempore, tympana pulsabantur, ne paruulorum eiula-
tus audirentur cùm immolabantur, & parentum corda com-
mouerentur. Hunc locum posteà pius Iosias contaminauit,
coniectis in eum mortuorum ossibus, & ruderibus, quo locus il-
le antea deliciosus, posteà abominabilis factus est. Vnde ortum
est, vt inferorũ locus loci huius nomine designaretur. Is enim
locus apud Hebræos Gehinnom appellabatur; à quo, aspiratio-
ne sublata, Γεέννας nomen originem duxit. Ex hac autem infau-
stissima consuetudine illud tantum assumo, fratres, quod omni-
bus Christi fidelibus maximum incutiat pudorem. Quid enim
indignius, quid magis deplorandum, quàm quòd in gratiam
rerum omnium Domini (qui nos ad imaginem suam fin-
xit, & sanguine fuso redemit, nosque ad felicitatis & gloriæ

suæ communem destinauit) ne leuissimam quidem molestiam subire velimus, cùm infelices isti ac miserandi patres filios suos hoc est viscera sua, aduersus omnia naturæ iura propter diabol obsequium exurendos traderent; à quo non aliud præmium quàm æternum supplicium percipere poterant? Quin & nostro hoc seculo nonnulli idolorum cultores qui in orientis solis re gionibus habitant, cùm idolū in sollemni pompa curru veh nudos se currus eius rotis subiiciunt, vt earum pondere tium ossa confringantur, & vitam cum summo corporis cru tu amittant. Quantus ergo pudor, quantus mœror atque nosteresse debet, cùm videamus tam longo interuallo perfidis hominibus superari; cùm illi figmento atque dia vitam & sanguinem tribuant: nos verò, vix leuem iniuriam illius amorem perpeti velimus? Pudeat ergo nos, fratres, Chr fidem frustrà recepisse; pudeat tot monita, tot sacramenta, diuina beneficia, tot terrores illatos, tot proposita præmia quaquam apud nos efficere, quod apud illos dæmon, mendac superstitio, infidelitas aduersus omnia naturę iura præstant. H enim pudor egregiæ indolis homines eò adiget, vt alacri ani quamcunque sibi vel contumeliam, vel iniuriam irrogatā ferant; vt hac ratione probati, & martyrum, & Apostolor atque adeò ipsius Christi Domini similes effecti, eorum dem percipiant coronam, quorum in hac vita sectati fuer patientiam.

DOMINICA XXII. POS PENTECOSTEN CONCIO PRIMA:

qua post Euangelicæ lectionis enarrationem, q nobis, quid aliis hominibus, quid Deo deb mus, explicatur.

THE. *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & sunt Dei Deo.* Matth. 9.



Q Vendam ex sanctis patribus legimus, fratres ch rissimi, magno deuotionis affectu hæc verba oratione sua identidem repetentem, Deus m nouerim te, nouerim me: Duo enim veluti mina in mente eius cælitus accensa fuer quorum altero diuinæ bonitatis, altero humanæ miseriæ

contemplabatur. Vtriusque autem rei cognitio adeò illi a & iucunda erat, vt insatiabili quadam suauitate hæc ver-repeteret. Verè enim Christianæ Philosophiæ fundamen- hac duplici cognitione continetur: quarum altera ad amo-in Deum, altera ad sui contemptum & veram cordis hu-ilitatem humana mens incitatur: à quibus virtutibus reliquæ nes partim deriuãtur, partim verò sustinentur. Si quis igitur hanc salutarem scientiam aspirat, viam illi facilem munie-us. Satis enim ad hoc erit, diligenter animaduertere, quid Christus Dominus in mundum veniens, propter homines fece-rit: quidque rursus homines aduersus illum in vita faciant. Vtraque enim re diligenter inspecta, inueniet planè Christum Dominum innumeris beneficiis homines sibi deuinxisse: homines verò ipsos (in quos tanta bona contulit) innumeris illum peccatis atque sceleribus offendisse. Vtriusque autem rei consideratio facile declarabit, quanta sit illa bonitas, quæ tanta se largitate & benignitate in salutem hominum effudit: quantaque rursum hominis malitia, quæ adeò rebellis & ingrata aduersus tam munificũ largitorẽ extitit. Sed à sceleribus nostris ad Pharisæorum crimina transeuntes, quis cõmemorare valeat quàm multis rationibus Domini Saluatoris vitam & dignitatem (qui tot beneficiis Iudæorum populum affecerat) petierunt? quibus insidiis vel illius gloriam obscurare, vel apud populum & principes illum traducere nitebantur? Et aliàs quidem aperto Marte, aliàs verò ex insidiis illum adoriebantur. In præsenti autem lectione, calumniam malitia & acumine suo dignam excogitarunt. Agitabatur eo tempore grauis quædam controuersia, populoque maximè inuisa, num deberent Iudæi tributa Cæsari pendere? Populus quidem pro sua libertate certabat, seque nemini, nisi soli Deo quicquam debere profitebatur. Contrà verò Cæsaris ministri censum & vectigalia acriter exigebant. Hanc igitur calumniam excogitarunt, vt huiusmodi quęstionem proponerent: qua Dominum vel apud populum, vel certè apud Cæsarem reum agerent. Est autem calumnia atrocissimũ persecutionis genus: quod quidem iustitiæ prætextu maximam dissimulat iniustitiam. Vnde in Ecclesiast. legimus: Calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis eius. Aperti quippe hostis persecutio dedecus & ignominiam inferenti iniuriam parit: iniuriam verò leuiter & moderatè patienti, gloriam & honorem cõciliat. At calumnia dissimili ratione calumnianti quidem gloriam, calumniam verò patienti, ignominię notã inurit.

Quiſquis enim calumniatur, iuſtitiæ prætextu videri vult ad-uerſus iniuſtitiam ſæuire. Quod perſecutionis genus tantò eſt atrocius, quantò magis ſub pietatis imagine iuſtitiam & pieta-tem oppugnat. Sed iam calumniam ipſam expendamus.

Phariſæi audientes quòd Ieſus ſilentium impoſuiſſet Sadducæ-consiliũ inierunt, vt caperent eum in ſermone. Quemadmodũ enim ſancti patres cõcilia cogere ſolent, quibus malis in Eccle-ſia graſſantibus remediũ adhibeant: ita contrà filij diaboli-re etiam cõciliabula ſolent, in quibus communicato cum ſ-litibus ſuis conſilio, flagitia ſua perficere valeant. Sic par-Abſalon paternum regnum inuadens, vbi Hieroſolymam-niſſet, principibus exercitus ait: Inite concilium, quid facere-beamus. In eo autem concilio tractandum erat, qua ratione-pientiſſimo patri Dauidi vitam ſimul & regnum eriperent. S-mili ergo modo Phariſæi *ad Herodianos abeuntes, conſiliũ in-runt, vt caperent Ieſum in ſermone.* Itaque quiſquis huius con-liabuli princeps erat, ſic apud eos agere potuit. Videtis om-qui hic adeſtis, Christi nomẽ & gloriam fama doctrinæ atque-gnorum in dies apud homines augeri, Phariſæorum autem-men (qui religionis principes atq. magiſtri exiſtũt) illius ſple-dore in dies obſcurari: cùm is præſertim acriter in mores noſt-inuehatur, hypocriſis, ſuperbiæ, ambitionis, auaritiæ, atque-pinæ nobis crimina impingens: Quibus rebus efficitur, vt n-minis noſtri claritas & auctoritas apud populum corruat: q-ruente religionẽ ipſam (quæ noſtro magiſterio ſuſtinetur) c-cidere neceſſe eſt. Quid igitur conſilij capiemus? Eius enim-tam atque opera adeò accuſare non poſſumus, vt ipſe etiam-nocentiæ ſuæ nos teſtes ac iudices citet: Quis ex vobis, inquit-arguet me de peccato? Neq. diuinæ legis ignorantiam illi ob-cere poſſumus: cùm toties grauiſſimas de diuina lege quæſti-nes ei à ſcribis propoſitas, eruditiſſimè diſſoluerit: propoſi-autem ab eo, illi diſſoluere nequiuerint: atque ita victi & pu-facti ab eo diſceſſerint. Cùm igitur is tot noſtras inſidias eua-rit, qua nunc arte illum capiemus? Hæc vna certè ſupereſt, qui ex eius vita & moribus accuſandi anſam arripere non poſ-mus, in ſermone illum capiamus. Hoc eſt igitur quod S. Eua-geliſta deſignauit cùm ait: *Abeuntes Phariſæi cõſilium inieru-vt caperent Ieſum in ſermone.*

Hoc exemplo, fratres, quanta ſit ambitionis & inuidiæ p-ſtis facile coniicere poteritis: quæ ad tam immane nefas h-mines adigere potuit. Huic exemplo aliud ex Eccleſiaſtica

ſt

ria adiungere libet, vt pestis huius immanitatem pernoscatis. m Dioscorus Alexandrinæ vrbis Episcopus animaduerteret datissima Flauiani Constantinopolitanæ vrbis Episcopi vita integritate gloriam suam obscurari, & impietatem apertius egi, ita in virum sanctissimum excanduit, vt concilium aduersus eum apud Chalcedonem cogendum curauerit: quo virum sanctissimum auctoritate concilij ab Episcopatu deponeret. Cumq. hoc à patribus impetrare nequiuisset, immane facinus & execrandum animo concepit: nempe Eutychetis hæresiarchæ Christi seruatoris nostri humanitatem tollentis, cæterisque eiusdem factionis hæreticis (quod dictu quoque horrendum est) se adiunxit, & impium dogma firmare extortis metu suffragiis ausus est: quo factionis suæ satellitibus adiutus, quod mente conceperat scelus perficere posset: tantum ambitionis & inuidiæ virus apud illum valuit. Hac igitur de causa Pharisæi Dominum insectabantur, quòd eius nominis claritate ipsorum gloriam obscurari viderent.

His etiam adde, quòd quamuis virtus & iustitia ex natura sua vt pulcherrima, ita etiam amabilis & iocunda sit, improbis tamen hominibus inuisa esse solet. Cuius rei exemplum ex lib. Apophthegmat. hoc in loco nõ grauabor attexere. Erat Athenis perniciosissima lex, quę clarissimos viros (vbi propter egregia in Rempub. beneficia ad culmen gloriæ peruenissent, ne hac ratione Regiam dignitatẽ affectarent) in exiliũ relegabat. Quod genus exilij ostracismi nomine significabant. Hac de causa Aristidem iustitiæ gloria præcellentem, ideoque cognomine iustum appellatum, hoc exilij genere communibus populi suffragiis damnarunt. Cùm autem ad hoc suffragia populi quęrerentur, & rusticus quidam scribendi imperitus, scriptorem ad hoc quæreret, & in ipsum Aristidem imprudens incidisset, ab ipso petiit, vt Aristidis nomen in schedula sibi describeret. Cumque ab eo quæsisset, cur Aristidem hoc exilio mulctandum esse decreuisset: ille, quoniam, inquit, iusti nomen ingratum mihi & inuisum est. Animaduertitis, fratres, improbis hominibus odio esse virtutem atque iustitiam? Cùm enim ipsi à maleficiis non abhorreant, bonorum virorum censuram & castigationem verentur, ideoq. neminem iustum esse vellent, qui debitas de sceleribus ipsorum pœnas repeterent. Hęc igitur pręcipua erat odij Pharisæorum in Dominum causa.

Accedentes igitur ad Dominum Pharisæorum discipuli cum Herodianis, legationis suæ causam his verbis proposuerunt:

Ma-

Magister scimus quia verax es, & viã Dei in veritate doc
Quid hac oratione blandius? Quid suauius? Verũ de huiu
di orationibus Propheta ait: Molliti sunt sermones eius
oleum: & ipsi sunt iacula. Quamobrem fallaces has ve
blanditias respuens, alio in loco vates sanctus ait: Corri
iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autẽ pe
non impinguet caput meum. Qui in ore quidem pace
amico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias. Sicut si
mulata æquitas est duplex iniquitas; ita simulata & sub
micitia duplex inimicitia est. Imò verò inimicitiæ non
misso, execrabile proditionis nomen sortitur. Quod qui
lus satis per se execrandum proditoris Iudæ facinus exe
lius reddidit; qui pacis & amicitiæ symbolo tradidit Dom
Iesum.

Cùm igitur fraudulentæ illæ vulpes quæstionem han
mino proposuissent, cognita eorum nequitia, tantò is acri
uersus illorum fraudem excanduit, quantò ipsi blãdius cu
agere cœperunt. *Quid me*, inquit, *tẽtatis hypocritæ? ostendit*
hi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Ait ergo
Cuius est imago hæc & superscriptio? Dicunt ei Cæsaris. Ai
Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.
ergo prudentissima responsione Dominus & diuino nu
gloriam suam tribuendam esse docuit, & Reipub. princip
(qui eius in terra vices gerunt) quod illorũ dignitas & offi
postulat dandum esse declarauit. Sic ergo sapientia vicit
tiam: Sic sacer Mosis serpens Magorum serpentes deglu
Hanc enim prudentissimam responsionem demirati, & t
ter pudefacti, ad perfidiæ suæ magistros vacui redierunt.
ctenus de Euangelica lectione: nunc ad proposita the
verba veniamus.

TRACTATIO THEMATIS I.

Reddite quæ sunt Cæsaris, &c. His verbis Dominus vt Ph
sæorum malitiam retudit; ita mentem nostram salutari m
me&que necessaria doctrina breuiter instituit: Quidquid e
Christiana philosophia docet hac breui oratione complexus
Quisquis enim Deo & Cæsari, hoc est Deo & hominibus, q
suum est, fideliter reddiderit, is certè totum iustitiæ munus
nissimè absoluit. Cùm autem homines dico, & nos ipso
quoscunque alios, hominum appellatione intelligo. Ita f

tripa

partita sit absolutæ iustitiæ ratio, qua debitum & nobis ipsis, inde cæteris hominibus, ac postremò auctori nostro Deo, quod ei meritissimo & summo iure debetur, tribuimus. Quas idem iustitiæ partes breuiter Apostolus complexus est cùm ait: Reddite omnibus debita: cui tributũ, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorẽ, timorem: cui honorẽ, honorem. Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Hoc enim singulare charitas habet, vt cùm semper soluatur, semper tamen debeatur. Ad hoc igitur sciendum est, summum sanctorum omnium desiderium fuisse; scire, qua potissimum ratione Deum sibi propitium, placatum, atque beneuolum redderent, cùm hanc gratiam & amicitiam rebus omnibus anteferrent, & in ea felicitatem suam sitam esse putarent. Huius autem desiderij flammam nobis illa Prophetæ verba exprimunt: Quid dignum offeram Domino? curuabo genu Deo excelso? Nunquid offeram ei holocaustomata & vitulos anniculos? Nunquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? His igitur sanctus Propheta sacrificiorum generibus enumeratis, & magna his interrogationibus attentione & expectatione concitata, tandem ait: Indicabo tibi ò homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: Vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo. Ex his autem tribus officiorum generibus, primum quidem spectat ad nos, nempe facere iudicium; secundum ad alios, diligere misericordiam: tertium verò ad Deum, quod ipsa Prophetæ verba declarant, cùm ait: solicitum ambulare cum Deo tuo. De his igitur tribus officiis quo ordine proposita sunt, dicere incipiamus.

Primum igitur quod ad vnumquemque nostrum pertinet, esse ait: facere iudicium. Quid est facere iudicium? Vt huius verbi significationem (quod in literis sanctis frequentissimum est) intelligatis, sciendum est duas esse præcipuas animæ nostræ vires, hoc est vim intelligendi, & vim appetendi; quarum altera intelligimus, altera appetimus, & desideram⁹; illa ad regẽdum, hæc ad rectoris huius ductum sequendum à Deo instituta est. Tunc autem vita nostra rectè instituitur, cùm vtraque ex his munere sibi à Deo præscripto fungitur, quando videlicet illa regit, hæc regentem sequitur. Quem tamen ordinem sic communis hominum peruersitas & malitia inuertit, vt munus regendi

gendi inferiori parti, seruiendi autem superiori permittat. Maxima enim hominum pars in vita nisi ad dolos & fraudes, & exquisitas voluptates rationis acumine non vtitur: & omnes se cupiditati & affectibus regendos permittunt: & non quid ratio, & lex diuina præscribat, sed quid appetitus cupiat exequuntur: quod quidem malorum omnium, quæ in vita grassantur semi-narium est. Cæterùm cùm Dominus prophetica voce hominibus exigit, vt iudicium faciamus, hoc petit vt iuxta rationis & legis diuinæ decreta (quæ rationem nostram illuminant atque ficiunt) non iuxta appetitus nostri desideria vitam institua[...] Ille igitur iudicium facit qui cupiditatum suarũ libidine [...] pressa, solo rationis & diuinæ legis iudicio vitam moder[...] Quod quidẽ Regius Vates se præstitisse dicebat, cùm ait: N[...] & testimonia tua meditatio mea est, & consilium meum iusti[...] cationes tuæ, siue (vt alij verterunt) iustificationes tuæ consi[...] rij mei sunt. O miros vitæ nostræ consiliarios! Hoc enim [...] inde est, ac si dixisset: Non audio quid cordis mei intemper[...] tia flagitet, non quid male suada caro concupiscat, non quid [...] tiquus serpens mendacio suo confingat, non quid seculi vo[...] auribus meis insusurrent, non quid subdola adulatorum lin[...] consulat, nõ quid Sirenarum voces suaue canentium & ad[...] nis blanditias inuitantium à me requirant: non postremò q[...] mihi aut falsi amici, aut praui consiliarij, aut prudentia ca[...] præscribant. Horum igitur voces nullo modo mihi audien[...] esse decreui: Audiam verò quid loquatur in me Dominus, [...] ab ipso illuminata ratio, quid ius æquitasque requirant. De[...] omnibus aliis consiliis repudiatis, iustificationes tuæ, Do[...] fidissimi atque certissimi consiliarij mei sunt. Hoc est ergo [...] re iudicium: ad quod etiam iudiciũ spectat, vt non affectus [...] dò animæ, sed corporis etiã sensus non pro libidine sua, se[...] rationis & legis diuinę iudicio regamus atq. custodiamus. C[...] dendi igitur oculi sunt, ne videant vanitatẽ; claudendæ aure[...] detractionibus, turpiloquiis, mendaciis, & scurrilitati pat[...] gustus etiam frænandus est, ne immodicis vel exquisitis e[...] mentem obruat & carnis lasciuiam atque petulantiam nu[...] Sed ante omnia lingua est multo studio coërcenda. Cæteri[...] nim sensibus singularia quædam peccata attributa sunt, lin[...] autem omnia. Quãuis autem nullũ aliud ab ea vitium m[...] ret, nisi id solũ, à quo nos sapiens ille deterret, cùm ait: Cust[...] te vos à murmuratione & à detractione parcite linguæ, hoc [...] superq. ad multarũ animarũ ruinam est. In cuius rei argu[...]

um non verebor familiari quodam exemplo vti. Quidam pius
homo cùm summum studium ad leuissima etiã peccata vitan-
da adhiberet, intelligeretq́. pleraque huiusmodi peccata lubrica
& præcipiti lingua committi, lapillos quosdã gestabat in ore, vt
eorũ admonitu ad silentiũ & linguæ moderationẽ excitaretur.
Neque ad vitanda peccata modò, sed internam quoque ani-
mi quietem & tranquillitatem (qua vera sapientia comparatur)
plurimum hæc cura silentij iuuat. Cuius rei gratia insignis ille
inter Philosophos Pythagoras discipulis suis trium annorum si-
lentium indicebat. Diuus verò Thomas Aquinas sic virtutis hu-
ius amator & cultor extitit, vt dubitare meritò possis an diligẽ-
tior in studendo, an parcior in loquendo fuerit. Cuius rei gra-
tia cùm sub Alberto Magno sacræ Theologiæ operã daret, alij
eum discipuli bouem mutũ appellare solebant. Quod audiens
Albertus indolis & ingenij eius diuinitatẽ agnoscens: Vos, in-
quit, vocatis hunc bouẽ mutum: at spero fore vt hic bos mutus
ingentem in Ecclesia mugitum edat. Cùm ergo tam magnas v-
tilitates linguæ custodia pariat; æquum profectò est, vt omnes
nos virtutis huius amore & studio incensi, ad eam consequen-
dam omni studio contendamus, eamq́. à Domino votis omni-
bus impetrare studeamus, qui nunquam piis suorum conatibus
deest. Sic enim apud Salomonem legimus: Hominis est ani-
mam pręparare, Domini autem gubernare linguam. Quemad-
modũ enim is ad peccatorũ veniam largiendam exigit, vt con-
uertamur ad ipsum quò ipse conuertatur ad nos; ita hoc in lo-
co studium, diligentiam, & curã nostram requirit, quò opem
suam nobis ad hanc virtutem obtinendam largiatur.

Maior tamẽ cordi adhibenda custodia est. Vnde affectus om-
nes & cupiditates manãt. Qua in re iudiciũ, quod à nobis Pro-
pheta requirit, præcipuum locum habet. Eius enim est turbidos
animi motus, & cupiditates (quę à cordis nostri intemperantia
prodeunt) sub iugum rationis & legis mittere. Hãc autem præ-
cipuè curam à nobis Dominus requirit, cùm per Salomonem
ait: Omni custodia serua cor tuum: quoniam ex ipso vita proce-
dit. Ab eo enim procedit vita: quoniam in eo à peccatorum sor-
dibus repurgato vitæ auctor inhabitat. Quid enim aliud anima
iusti nisi sapientiæ sedes, Spiritus sancti sacrarium, regis æterni
palatium, veri Salomonis ferculum, hortus conclusus, fons si-
gnatus, ac denique viuum Dei templum & domicilum existit?
Qua ergo diligentia puritati cordis incumbendum est: in quo
summus ille puritatis amator, (qui pascitur inter lilia) sedem

sibi diligit? Contrà verò qua pœna dignus est, qui locum D[ei]
sacrum fœdis cogitationibus & cupiditatibus inquinat? Cla-
mat enim Apostolus, Templũ Dei sanctum est, quod estis vo[s].
Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deu[s].
In hac igitur cordis puritate conseruanda iudicium nostru[m]
maximè desideratur, si cupimus nobis ipsis, quod nobis de[bi]-
mus, exoluere.

II.

Sequitur deinde aliud quod cæteris hominibus præsta[re de]-
bemus. In hos igitur misericordiã diuinus Vates exercere [cœ]-
pit. Quamuis enim multa alia sint, quæ illis debeantur, mi[seri]-
cordia tamen (quæ à charitate procedit) principem inter [e]-
cum obtinet. Vt autem vobis virtutem hanc breuiter comm[en]-
dem, nihil ex Euangelicis & Apostolicis literis, quæ frequ[enter]
audistis, sed ex ethnicis hominibus aliquid dicam, vt aper[te]
queat quàm propria hæc virtus non modò Christiani, sed e[t]
ciuilis hominis sit. Adeò enim eius propria est, vt à viris e[xcel]-
lentibus dictũ sit, nihil tam esse secundum naturam, quàm [iu]-
uare consortẽ naturæ, præsertim cùm ea nos conditione na[turæ]
conditor procreauit, vt nemo sibi sufficere sine aliorum op[e va]-
leat: ideóque mutuis auxiliis omnia stare voluit, vt nos ad [mu]-
tuam dilectionem ipsa quoq. necessitatis ratio inuitaret. Q[uam]
legem non in mentibus hominum solùm, sed plerisq. etiã [bru]-
torum animantiũ impressit. Neque in minutissimus solũ [ani]-
mantibus (quales apes, & formicæ sunt, quæ propter imbe[cilli]-
tatem mutua ope egent) sed in maximis etiam, quales sunt [Ele]-
phanti, hoc idem fecit. Cuius rei non grauabor insigne e[xem]-
Aelianus. plum, quod Aelianus commemorat, hoc in loco referre. [Sic]
enim ait: Cùm Elephanti fossam sibi à venatoribus ins[idiose]
paratam transilire nequeunt, de his vnus aliquis in hanc se[se de]-
mittit, & transuersus fossæ stans, partim vacuitatem occ[upat,]
partim pontis se vicarium præstat: Cæteri supra hunc gra[dien]-
tes, transmittunt & euadunt simul, & eum qui pontis loco [fuit,]
hoc modo ex fossa cõseruant. Superiore enim ex loco quis[que]
porrigit pedem, quem is, qui infra est, proboscide circum[pli]-
cat, reliqui autem, virgultorum fasces deiiciunt, ad quo[s ille]
cùm fortissimè tum cautissimè pedibus adnitens celeri a[scen]-
su subtrahitur. Hactenus Aelianus, qui satis hoc exempl[o do]-
cet, quanta inter bruta etiam animantia fides & dilectio [sit.]
Quid verò hîc ceruorum gregem referam, qui cùm flu[mina]
transmittunt antecedentes terga sua sequentibus præbe[nt]

in eis capita reclinantes, itineris laborem leuent: qui autem inter omnes præcedit, vbi defatigatus fuerit, antecedenti locum relinquit, & cum eo laborem partitur, ipse verò extremũ agminis locum occupat, idem à sequente beneficium recipiens, quod ipse aliis dederat. Si hanc igitur propensionem naturæ cõditor brutis animantibus indidit, quid homines facere par est qui rationis munere, qui egregia indole, qui humanitate prędití sunt, & à natura ipsa compassionis & commiserationis affectum acceperunt, qui etiam nisi alternis operum subsidiis vitam tueri non possunt? Hinc Theophrastus interrogatus, quid maximè vitam conseruaret humanam, Beneficentia respondit: quòd videlicet beneficiis ceu vinculis quibusdam & nexibus societas hominũ & vita contineretur. Pudeat ergo homines ad virtutem & misericordiam natos, non præstare aliis hominibus quod sibi ipsis animantia muta solo naturæ instinctu præstant. Hinc illi etiam Philosophi qui nihil certum de futura vita, nihil de cælestis regni præmio misericordiæ operibus constituto legerant, hoc solo humanitatis & virtutis nomine sic ad omnia benignitatis officia parati erant, vt de Demetrio nobili inter Stoicos philosopho Seneca dicat: Si res nostras Deorum aliquis possidendas velit tradere lege certa, ne liceat donare, affirmauerim repudiaturum, dicturumque, Ego verò ad istud inextricabile pondus me non alligo. Verùm hic animus minus fortasse in homine Philosophiæ professore mirandus. Quid hic imperatores commemorabo, quorum Vespasianus iunior super cœnam aliquando recordatus, quòd eo die nemini quicquã donasset, memorandam illam vocem edidit, Amici diem perdidi: Laudanda sanè principis beneficentia, qui omne tempus se perdidisse putabat, quo amicis benemeritis suum non præstitisset officium. Hæc planè vox multorum Christianorum auaritiam accusat: qui fidei lumine instructi non præstant, quod tam larga manu infidelitas pręstabat; nec nos ad benignitatis officia magnificentissima spes præmij inuitat, cùm ethnicos sola honestatis species ad hoc ipsum impelleret. Qua de re Seneca de diuitiis in egentes collocatis agens, sic ait: Hæ sunt diuitiæ certæ & in quacunq; sortis humanæ leuitate vno loco permansuræ, quæ quò maiores fuerint, hòc minorem habebunt inuidiam. Quid tanquam tuo parcis? Procurator es: omnia ista, quæ vos tumidos & supra humana elatos obliuisci cogunt vestrę fragilitatis, quæ ferreis claustris custoditis, in depositi causa sunt, iam iamque ad alium dominum spectantia; aut hostes illa, aut hostilis animi successor

inuadet. Quæris quomodo illa tua facias? Dono dando. Confide ergo rebus tuis, & certam tibi earum atque inexpugnabilem possessionem para, non solùm honestiores illas, sed etiam tutiores facturus. Illud quod suspicis, quo te diuitem atque potentem putas, quamdiu possides, sub nomine sordido iacet. Domus est, seruus est, nummi sunt, cùm donasti, beneficium est. Hactenus Seneca. Quid igitur prudenti homini optabilius, quam rem vilissimam, videlicet pecuniam honestatis atque virtutis materiã facere, quodq́. his præstantius est hęreditatis æternæ patrimoniũ eadẽ promereris, & qua re tenuis victus perituro corpori emitur, regnum cœleste mercari? Hac ergo potissimùm ratione misericordiam proximis (quam à nobis Propheta requirit) exhibemus.

III.

Superest tertium: nempe quid communi omnium Domino debeamus. Hoc autem quæ mens aut hominum, aut etiã Angelorum non dico verbis explicare; sed cogitatione cõprehendere possit? Ad hoc enim necesse erat, vt partim quidem omnia, quæ in nos contulit beneficia, partim etiam omnes eius perfectiones & laudes perspectas, & cognitas haberemus, quo par eius beneficentiæ & dignitati obsequium præstaremus: quod vtrumque tamen ineffabile & incomprehensibile est. Quia igitur nulla vis humanæ mentis concipere hoc pro dignitate potest; superest, vt humano more ex humanis ad diuina gradum facientes, diligenter causas expendamus, propter quas hominibus obseruantiã, honorem ac beneuolentiam exhibemus, eas omnes ac multo etiam plures infinitis accessionibus cumulatas in vno Deo reperiemus. In aliis enim cognationem, in aliis dignitatem, in aliis virtutem, in aliis sapientiam, in aliis ætatem, in aliis denique collata beneficia & amicitiam, cæteraque similia attendere, debitisque obsequiis honorare solemus. Itaque & parentibus & cognatis, & magistratibus, & viris virtute & sapientia præstantibus, & senioribus, & amicis, ac postremò benefactoribus cultum quendam & beneuolentiã exhibemus. Cæterùm cùm omnes hę diligendi rationes in vno Deo cumulatissimè reperiantur: quis iam dubitare poterit omnia hęc obsequia in vnum collecta, illi vni deberi: & ita deberi vt quidquid illi obtuleris, infinitis partibus minus sit, quàm quòd eius immensæ maiestati debetur? Quid enim siue in cælo siue in terra est, quod cũ eius meritis & laudibus aliqua ex parte conferri queat: cùm omnis etiam beatarũ mentium puritas cum illa cõparata

impuri

impuritas;omnis dignitas, vilitas;omnis pulchritudo, deformitas;omnis sapientia, ignorantia;omnis deniq. potentia, infirmitas & imbecillitas sit? Neque verò is minorem ideò cultum & honorem promeretur, quod vnus omnia donet, quàm omnes illi, qui singuli singula præstant. Neq. enim auream monetam minoris facimus quæ multarum instar est, quàm multas inferioris metalli, quæ cùm multæ sint, illius valorē non adæquant. Quia igitur in vno illo omnia habemus, omnes vtiq. in vnum illum amores & honores, omnemque pietatem & religionem conferre debemus. Subiiciamus aliquod huius rei exemplum: quamuis nullum huic tantæ rei par esse possit. Sit planè ingeniosus aliquis princeps omnis generis linguarum atque disciplinarum studiosus, qui varios vndecunque sibi ad hoc asciscat præceptores: alium qui Latinè, alium qui Græcè illum doceat: & alios item à quibus Rhetoricen, Dialecticen, Physicen, Ethicam, & politicam cæterasq. liberales disciplinas addiscat. Quos quidem omnes (vt magnificum principem decet) merito honoreatque muneribus prosequatur: Vt qui sciat rectè à summis Philosophis dictum esse, Diis, parentibus, ac præceptoribus paria meritis eorum rependi non posse. Si ergo esset vnus aliquis Philosophus omnium linguarum omniumque scientiarum disciplinis instructissimus, qui omnium horum vices suppleret, & vnus cuncta longè exactius cumulatiusq. præstaret, an non hic omnium aliorum stipendia, omnemque honorem & beneuolentiam cæteris debitā promereretur? Quid ni? Talis ergo, fratres (si paruis immensa cōparare licet) nobis Deus est: qui vnus omnia præstat: vnus omnia suppeditat; vnusq. in posterū omnia daturus est: à quo & esse & viuere accepimus: à quo & beatè, feliciter, & semper viuere (nisi per nos steterit) percepturi sumus. Adeò enim ex vno illo salus & vita nostra pendet, vt sine illo nec spiritū ducere, nec loco moueri, nec aliquid moliri, nec vel ad momentū subsistere valeamus. Eius enim virtute spiritū trahimus, eius luce perfundimur, eius prouidētia alimur & gubernamur, ac postremò ei⁹ bonitate bonis omnib⁹ circūfluimus. Simil. Simil.

Quid igitur ex his quæ hactenus dicta sunt sequitur? Hoc profectò, si tam multa à cōditore nostro beneficia percepimus, ac multo etiam maiora speramus, si is velut impermeabilis quidam Oceanus virtutum omnium atque perfectionum est, si omnis creata perfectio ante illius maiestatis splendorem nulla est, si omne honoris & amoris debitum, quo creaturis omnibus quálibet excellētibus deuincti sum⁹, cū obsequio illi⁹ maiestati

debito comparatum nullum est, efficitur planè, vt nihil fingi possit nec iustius, nec honestius, neque sanctius, neque vtilius, neque pulchrius, nec pluribus nominibus debitum, quàm communem hunc Dominum atq. parentem toto corde, tota mente, totis viribus diligere, uereri, honorare, illi obsequi, illius præceptis obtemperare, illius amore liquefieri, illius laudes vbique decantare, illũ semper ante oculos habere, illius gloriam votis omnibus desiderare, ante illius maiestatis conspectum uere, illius diligẽdi causa nos natos esse putare, propter illi' riã millies (si ita opus fuerit) vitã profundere, omniumq. hominum, & Angelorum linguas optare, vt eius magnificentiam innumera beneficia meritis laudibus & vocibus efferre valeamus. Quæ omnia vbi præstiterimus, certum est, nihil nos mensæ eius bonitati æquiualens præstitisse; solus enim ipse qui se plenissimè comprehendit, dignè se laudare, & diligere potest; omnis autem alia siue hominum siue Angelorum laus infinitis partibus ea quæ illi debetur inferior est.


Quæ cùm ita sint, expendite nũc, quæso, mecũ, fratres, quid sit quod passim fieri videmus, nempe hanc tantam maiestatem ab hominibus cõtemni, leges eius perfringi, iura conculcari, beneficiorum eius obliuisci, nullamque maiestatis eius rationem haberi. Quid enim aliud tam multi mortales faciunt, qui peccata peccatis & scelera sceleribus addere? Quotus enim quisque cõditorem suum atque parentem super omnia diligit? quis lethale peccatum super omnia detestatur? quis diuini ueritatis iudicium metuit? quis iustitiam vtilitati præfert? quis virtutem magis, quàm pecuniam diligit? quis diuinas leges omnibus vitæ commodis anteponit? Quàm multos enim passim videre licet, qui pro rebus nihili, pro fœdis pecudum voluptatibus, pro leuissima iniuria vindicanda, aut exiguo lucro captando omnia diuina mandata prætergredi non verentur? Quo fit, vt quem rebus omnibus ante ferre deberent, rebus omnibus posteriorem habeant. Quo quid esse indignius, quid iniustius, quid execrabilius potest? Denique eò stuporis multi homines venerunt, vt nihil sit quod minus metuant, nihil cuius auctoritas minus apud eos valeat, nihil cuius offensionem minus pertimescant, nihil cuius gratiam & amicitiã minoris faciant: quippe illam exigui lucelli aut cuiuscunque voluptatis causã, amittere non verentur. Hac in re, fratres, desunt animo verba, sensus deficit, mens stupet, intellectus hebescit, atq. omnes animæ & corporis vires planè flaccescunt, & in tantæ indignitatis consi

tione horrent: ideoq́ue quod satis dignè deplorare non possumus, mentibus vestris ponderandum atque cogitandum relinquamus.

Quisquis igitur tantū hoc nefas pro meritis detestatur, atque huic tam magno iustitiæ debito satisfacere cupit, tres illas iustitiæ partes quas propheticis verbis initio proposuimus, implere studeat: nempe facere iudicium, diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo suo. Hac enim ratione perfectū consummatæ iustitiæ munus absoluimus, dum & nobis, & proximis, & omnium cōditori Domino, quod summo iure debetur, reddimus. Cùm enim à nobis vt solicitè cum Deo ambulemus Propheta exigit, hoc nimirum præcipit, vt magna cura & solicitudine, quidquid auctori nostro debetur exoluamus. Quid autem ex his consequitur? Nimirum vt viuida & expressa iustitiæ imagine animis nostris hoc modo insculpta, pristinā illam diuinæ bonitatis effigiem, qua conditionis nostræ initio donati atque informati sumus, referamus. Omnibus enim partibus corporis & animæ nostræ ad exemplar diuinæ legis conformatis, quæ alia in mentibus nostris imago, quàm diuina fulgebit? Quo deinde fiet, vt quemadmodum Dominus in sacra huius diei lectione Cæsareæ imaginis indicio quid Cæsari deberetur colligit: sic etiam ex diuinæ suæ imaginis effigie mentibus nostris impressa, facilè nos ad eius sortem & regnum pertinere iudicet, vt eius videlicet hæreditatem cernamus, cuius imaginem retinemus. Si verò Cæsaris, hoc est (vt Bernardus ait) principis huius mundi imaginem gerimus, non dubium quin nos quoq. ad eius sortem & regnum pertinere iudicet, vt cuius imaginem in vita retulimus, hoc est, cuius superbiam, inuidiam, fraudes, odia & mendacia sectati sumus, eius quoque supplicia perferamus. Superest igitur, fratres, vt quando hoc indicio causa nostra in extremo illo examine (quod vnicuiq. statim à morte instat) excutienda est, toto studio in hanc vnam curam incumbamus, vt hac dæmonis imagine obliterata, seruatoris nostri imaginem mentibus nostris imprimendam curemus. Quod quidem faciemus, si ad hanc iustitiæ normam, quam exposuimus, vitam nostram cōformare studeamus: quatenus eam Dei similitudinem adepti, quæ est in hac vita per gratiam; ad illam tandem peruenire mereamur quæ nos manet in futuro seculo per gloriam. Bernard.

IN EADEM DOMINICA XXII POST PENTECOSTEN CONCIO II. in qua post Euangelicæ lectionis explanationem, de quadruplici imagine disseritur.

THE. *Cuius est imago hæc & superscriptio?* Matth. 9.

Heb. 4. Agnum spei nostræ solatium illa Apostoli ad Hebræos verba præbent, Non habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Quid autem ex hoc sequatur, continuo aperit protinus cùm subdit: Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus cum auxilio opportuno, hoc est vt opportuno tempore cùm casus ita tulerit, nobis Dominus gratiæ suæ opem ferat. Hac igitur ratione infirmam hominum spem confirmare atque erigere Apostolus voluit; qua intelligeremus nunquam defuturam misericordiam in eo qui miserias nostras experimento didicisset. Verum enim est quod ab insigni illa Regina dictum celebratur,

Non ignara mali miseris succurrere disco.

Itaque cùm Saluator noster scientia diuina pariter & humana, hoc est naturali atque infusa humanæ vitæ incommoda plenissimè cognosceret, non contentus hac duplici scientia, voluit etiam periculo & experimento suo mala nostra, hoc est incommoda vitæ nostræ scire, vt ita demum misericors fieret & fidelis pontifex. Quod autem Apostolus ait, Dominum fuisse per omnia tentatum, Esaias confirmat cùm eundem appellat virum dolorum & scientem infirmitatem. Quis autem omnes dolores eius atque laborum molestias verbis consequi possit? Verissimè enim in persona eius dictum est: Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea. Mitto nunc infantiæ atque virilis ætatis labores, mitto vigiles in oratione noctes, mitto piissimas eius lachrymas, famē, sitim, paupertatem, & itinera pedibus confecta, propter quę fatigatus ex itinere sedebat supra Samariæ fontem. Mitto etiam quicquid iniuriarum, atque acerbissimorum dicto-

Esaiæ 53.

Psal. 87.

Ioan. 4.

rum in morte tulit; in vita etiam varios labores pertulit, variiſque modis ab hoſtibus veritatis laceſſitus fuit atque tentatus. Modò enim calumniis, modò conuitiis illum inſectantes, modò falſa illi crimina impingentes, quòd videlicet in Beelzebub principe dæmoniorum eiiceret dæmonia, modò variis quæſtionibus propoſitis illum ignorantiæ conuincere ſtudentes, ſæpè etiam verba eius, ſæpè opera obſeruantes, an videlicet ſabbatho curaret (quod apud illos ingens crimen erat) & quidem nunc aperto Marte, nunc occultis inſidiis atque blanditiis ipſum illaqueare nitebantur. Itaque in hodierna ſancti Euangelij lectione digna malitiæ ſuæ calumnia Dominum capere ſtuduerunt, vt illum vel apud populum traducerent, vel apud Herodianos læſæ maieſtatis reum agerent. Hanc igitur calumniam ſanctus Euangeliſta Matthæus deſcribit his verbis: Lucæ 11.

I.

Abeuntes Phariſæi cõſilium inierunt, vt caperent Ieſum in ſermone. Inter omnia deſperatæ ſalutis argumenta illud præcipuũ eſſe conſtat, cùm æger adeò nihil adhibitis medicamentis iuuatur, vt etiam grauius ægrotet. Hoc idem in ſpiritualibus animarum morbis ſimili ratione contingit. Nemo enim periculoſius ægrotat, quàm qui remediis fit deterior. Quod in his præcipuè locum habet, qui cùm vel à Deo, vel ab hominibus corripiuntur, adeò nihil proficiunt, vt aduerſus corripientem acrius inſaniant. In quo autem iſti periculo verſentur Salomon exponit cùm ait: Viro, qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ſuperueniet interitus, & eum ſanitas non ſequetur. Tales autem ſunt ij qui pertinaci voluntate in malo obſirmati ſunt, de quibus ſcriptum eſt: Cor eius indurabitur tanquam lapis, & quaſi malleatoris incus: quæ videlicet frequentibus ictibus contuſa, adeò non emollitur, vt magis etiam obduretur. Tales verò erant Phariſæi, qui Domino Saluatore grauiſſimos eorum morbos ſalutaris doctrinæ ſuæ medicamentis curare volente, adeò non ſanabantur, vt etiam aduerſus pium medicum inſanirent, & continuas illi inſidias molirentur. Pluries namque malitiæ ſuæ machinis eius vitam petere & gloriam obſcurare conati ſunt. Sic tamen Dominus ſe in omnibus eorũ calumniis gerebat, vt ipſius quidẽ gloria illuſtrior, eorũ verò malitia magis conſpicua fieret. Nec tamen tot artibus fruſtrà tẽtatis, finẽ ſceleratis conatibus poſuerũt. Qua in re à parẽte ſuo diabolo minimè degenerabãt; qui ne multoties quidem victus

Matth. 9 · Prou. 29. · Iob 41.

& superatus defatigatur, nec lacessendi atque tentandi officiu intermittit. Sic enim à Saluatore in deserto primo congress superatus, iterum ac tertio nouis illum machinis aggressus est. Quo exemplo monemur, fratres, vt nunquam post insigne aliquam victoriam aut solicitudinem, aut arma deponam sed semper velut in acie stantes, ad noua prœlia expediti ac parati simus. Hinc de magno illo Antonio post dæmones ab profligatos Athanasius scribit, quòd nec Antonio vincen curitatem dedit primus ille triumphus, nec diaboli semi ctæ defecêre vires. Hoc igitur animo, hac mente Pharisæ qui ab eodem spiritu acti, parentis sui mores imitabantu ties enim à Domino superati, alias atque alias nocend excogitabant. Itaque nunc *consilium inierunt, vt caperent* *in sermone*. Quia enim præclara eius opera accusare non rant, ad eius verba conuertuntur, in quibus facilius capi h nes solent. Et quia populo Domini facta miranti illum sum facere desperabant (cuius metu sæpe manus ab illo a nuerũt) modò apud Reges & principes inuisum facere n tur, si eum ad hoc inducerent, vt tributa Cæsari soluẽda es garet. Constat enim ex gentilium historiis Iudæam à Pom Magno fuisse Romanorum imperio additam. Quod i Lucanum inter præclara victoriarum suarum monumen censet. Ex eo igitur tempore Romanis tributa pendere I soliti erant. Quam rem tamen multi indignè ferebant, q populus Dei, qui Deo decimas offerebat, ethnicis princi tributa soluere cogeretur. Hinc in Actis Apostolorum leg quendam Iudam Galilæum & alium nomine Theudam p laris seditionis auctores fuisse, quòd censum Cæsari dand negarent; qui tamen capitali supplicio audaciæ suę pœnas d runt. In hoc igitur tantum vitæ discrimen Pharisæi Domi coniicere nitebantur. Ad hoc autem Herodianos, hoc est H dis milites in huius criminis societatem asciuerunt, parti Dominum continuò ad vincula raperent si tributa Cæsari denda esse negaret; partim vt illi huius criminis testes e cùm Pharisæorum testimonium propter susceptas publicè Domino inimicitias suspectum haberetur. His igitur in callidissimè excogitatis, egregiam se victoriam de Domino epturos sperabant. Sed tamen non est scientia, non est sa tia, non est consiliũ contra Dominum; neque fieri potera incomprehensibile Dei verbum in verbo caperent.

Athanasius in vita B. Antonij.

Lucanus.

Prou. 21.

Adeuntes ergo Pharisæi Dominum, blandissimis illum

bis compellare cœperunt. *Magister*, inquiunt, *scimus quia veraces, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum.* Hæc commendatio verissima erat, quæ tamen quoniam à fraudulento pectore manabat, erat perniciosissima. Venena enim mellita Domino propinare volebant. Molliti sunt (ait Propheta) sermones eius Psal. 54.
super oleum, & ipsi sunt iacula. Idemque alibi de impio homine loquens: Tota, inquit, die iniustitiam cogitauit lingua Psal. 51.
tua; sicut nouacula acuta fecisti dolum. Acuta quippe nouacula absque vllo doloris sensu leniter pilos capitis abscindit, atque in hunc modum prauorum hominum lingua suaui quadam blandiloquentia gladium in præcordia defigit. Sed nos Simil.
apum more quæ ex venenatis herbis veneno relicto, mella carpunt, ex his Pharisæorum verbis fraudem in eorum pectore latentem relinquamus, & verborum veritatem quæ ipsi protulerunt, ad vitæ nostræ institutionem excutiamus.

Magister, aiunt, *scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* Rectè Magistrum appellant; quia verè magister noster vnus est Christus. Et verax item imò ipsa veritas est; qui Ioan. 14.
ait: Ego sum via, veritas & vita. *Et viam Dei in veritate doces.* Via Dei, diuinorum mandatorum obedientia & iustitia est. Dicitur autem via Dei, tum quia à Deo monstrata est, tum quia nos ad Dei felicitatem & gloriam ducit. Huius autem viæ monstrator & doctor Christus Dominus extitit: de quo Pro- Esaiæ 30.
pheta dicit: & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient vocem post tergum monentis. Hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram neque ad sinistram. Hanc autem viam sibi à Domino ostendi regius vates petebat cùm diceret: Vias tuas Domine demonstra mihi, & Psal. 24.
semitas tuas edoce me. Quales autem sint hæ viæ Salomon exponit cùm ait: Viæ eius viæ pulchræ, & omnes semitæ eius pacificæ. Rectè, viæ pulchræ: Quid enim iustitia pulchrius, quæ Prou. 3.
diuinæ formæ atque sanctitatis imaginem refert? Quæ verò maior pax, quàm illa, quæ cum iustitia & sanctitate indissolubili vinculo coniuncta est? Hoc enim vinculum eleganter Pro- Psal. 84.
pheta exposuit, cùm iustitiam & pacem se mutuò osculatas fuisse ait: Nunquam enim iustitia sine pace & tranquillitate: nunquam verò tranquillitas & vera pax sine iustitia comite atque parente inueniri potest. Est enim (vt Esaias ait) opus iu- Esaiæ 32.
stitiæ pax, & cultus iustitiæ, silentium & securitas vsque in sempiternum.

Sed quoniam hæ viæ nos ad sempiternam felicitatem ducũt, non alienum erit, quæ sint nobis ad hanc viam conficiendā necessaria, paucis exponere. Tribus præcipuè rebus viatores indigent, hoc est viatico, baculo & pera. Et quidem eius viæ, quæ in cælum ducit, viaticum (vt ex ipso nomine constat) sacratissima Eucharistia est, qua ab hac vita in alteram demigrantibus porrigitur: quæ tamen in huius vitæ via inter tot hostes & pericula gradientibus, non minus necessaria est. Alioqui metuenda nobis illa D. Bernardi comminatio est: Væ his qui vocantur opera fortium, & nõ aluntur cibo fortium. Baculus verò ad

Bernard. iter necessarius, Dominicæ crucis memoria est. Baculo enim & infirmum corpus ne corruat sustentamus, & canes etiam feras, quæ nos in via impetunt, abigimus. Vtrumque autem nobis Dominicæ crucis memoria præstat: qua & spei nostræ infirmitatem eius meritis roboramus, & prauas dæmonis suggestiones atque latratus crucifixi Domini & vulnerum eius contemplatione profligamus. Pera autem quam hoc itinere gradientibus necessariam esse diximus, eleemosyna & miseri-

Eccl. 17. & 29. cordia est: de qua in Ecclesiastico legimus, Misericordia viri quasi sacculus cum ipso, gratiam hominis quasi pupillam conseruabit. De huius virtutis laudibus cùm multa ac pænè innumera dici possint, solùm Ioannis Baptistæ testimonium in medium proferam. Cùm is enim aduersus mundi scelera non tam clamare, quàm tonare ac fulminare cœpisset, genimina vi-

Luc. 3. perarum sceleratos homines appellans, eisdemque inextinguibilem gehennæ ignem incredibili acrimonia & verborum asperitate minitans, ad ipsum protinus omnes omnium ordinum homines perterriti accurrerunt; quid sibi facto opus esset inquirentes, quo tantam illam diuini numinis iram auerterent. Itaque turbæ illum interrogauerunt dicentes: Quid ergo faciemus? Habet autem non vulgarem emphasim illa vox, Ergo. Perinde enim est, ac si dicerent: Si iam (vt prædicas) omnis arbor, quæ non facit fructum bonum exscindenda, & in sempiternum ignem coniicienda est; si paleæ inextinguibili igne comburendæ, quid faciemus, quò hoc tantum incendium fugere valeamus? Hæc erat igitur populi interrogatio. Quid ad hæc Ioannes? Existimabit fortaßè aliquis illum diuinorum mandatorum obedientiam, & laborum patientiam, ciborum abstinentiam, aut similes alias virtutum actiones illis commendaturum. Nihil horum dixit; quamuis nihil horum non

Lucæ 3. necessarium ad salutem sit. Quid ergo ait? Qui habet duas tu-

nica

nicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat. Quid autem hoc est, nisi quòd Ioannes egregium se Christi discipulum ostendit: quia videlicet idem in vtroque veritatis spiritus loquebatur. Vt enim cælestis ille magister in extremo iudicio prætermissis aliarum virtutum actionibus, de solis misericordiæ operibus ad ferendam sempiternæ vitæ vel mortis sententiam mentionem fecit: ita Ioannes inter tam multa virtutum officia, quæ sunt ad salutem necessaria, sola misericordiæ opera commendauit: quod nullo modo vterque fecisset, nisi maximum ad hanc salutem momentum in his positum esset. Verissimè enim à Domino dictum est: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Matth. 5. Et, Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Lucæ 11. Hæc est igitur illa pera, ille sacculus ad hoc iter necessarius, qui ne in ipsa quidem morte nos deseret. Rectè enim D. Ambros. Ambros. Non sunt, inquit, bona hominis quæ secum auferre non potest: sola misericordia comes est defunctorum.

Verùm ex hoc loco digressi, quid Pharisæorum adulationi atque calumniæ Dominus responderit videamus. *Quid me*, inquit, *tentatis hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium.* Quibus ille: *Cuius*, inquit, *est imago hæc & superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Tũc ait illis; Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Hac breui responsione improborum ora obstruxit, nullamque eis calumniandi ansam reliquit, quando & principibus honorem habendum, & Deo debitum cultum & obsequium exhibendum esse docuit.

Cæterùm si ex Cæsaris imagine nummo impressa Saluator Cæsari tributum esse pendendum intulit, eodem certè iure nos ipsos reddendos Deo esse conuicit: in quibus imago Dei elucet, ad quam conditi sumus, etiam si nos illam non rarò sceleribus nostris deformauerimus. Verè enim à Propheta dictum est: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Psal. 4. Quod cùm ita sit, consequens profectò est, vt Deo quod eius imagine insignitum est reddere debeamus. Nos igitur ipsos, hoc est corpus & animam, quæ ab illo manarunt, tota illi deuotione offeramus. Corpus autem offeremus, si illud hostiam sanctam, Deo placentem rationabili obsequio obtulerimus: si membra quæ olim seruiebant iniquitati ad iniquitatem, modò seruiant iustitiæ in sanctificationem. Animam verò offeremus si eius facultates & vires in illius obsequium expendamus: si intel-

intellectus noster in lege eius meditetur die ac nocte: si memoria nostra eius magnifica beneficia recolat: si voluntas spem, amorem, & felicitatē, atq. opes omnes non in fluxis & interituris huius vitæ rebus, sed in vno illo positas & constitutas habeat. Hac enim ratione homo ad imaginem Dei conditus, se totum illi in holocaustum offert, cuius intra se imaginem gestat. Hactenus de Euangelica lectione; nunc de multiplici imagine nostra disserere incipiamus.

TRACTATIO THEMATIS.
II.

Sui ipsius cognitionem esse totius Christianæ Philosoph caput & fundamentum (sine qua nihil rectè neque sciri aut ministrari potest) nemo est qui nesciat. De hac igitur cognitione hodie aspirante Domino sermo nobis instituendus est. Cæterùm ne ab imaginis ratione (de qua in Euangelica lectio mentio fit) recedamus, de quadruplici hominis imagine nob

Partitio. agendum erit. Primùm quidem de ea ad quam homo in ini conditionis suæ formatus est. Secundò de ea quam ipse si per peccatum impressit. Tertiò de ea quam vnigenitus Dei filius ad eam reformandam assumpsit. Quartò de ea ad qua homo reformari debet, vt ad pristinæ dignitatis formam reuocetur.

Vt primum igitur expediamus, meminisse oportet hominem in hoc à Deo conditum esse, vt eius beatitudinis & glori particeps fieret. Qui finis adeò sublimis est, vt nihil eo dignius atque excellentius cogitari possit. Vnde quamuis homo in ordine intellectualium creaturarum infimus sit, & anima eius in hoc rerum ordine velut materia prima esse dicatur, tamen fin dignitate atque præstantia nihilo ipsis etiam supremi ordini angelis inferior est. Quia verò Dei opera perfecta sunt, sic hominem ad hunc finem adeò sublimem creauit: ita iis don ac virtutibus instruxit, quibus ad eum prouehi mereretur. Qu de causa illum Deus ad imaginem & similitudinem suam condidisse dicitur, vt similis esset in vita cui similis futurus erat in gloria, & imitaretur bonitatem cuius assecuturus erat felicitatem, viueretque in hoc mundo tanquam filius Dei qui futurus erat in altero seculo hæres Dei. Aliter enim præposterum foret, si viueret in hoc seculo tanquam pecus, qui in altero victurus esset vt Deus, vitamque imitaretur brutorum, qui honorem posteà percepturus esset Angelorum. Quod autem homo ad

ima

imaginem & similitudinem Dei conditus esse dicitur, Diuus
Bernardus sic interpretatur, vt imago ad bona naturæ, similitu- Bernard.
do ad bona gratiæ referatur. Est enim homo substantia intelle-
ctualis, immortalis, libera, & actionum suarum domina. Qui-
bus in rebus Dei imaginem refert: ideoque dicitur ad imagi-
nem Dei conditus. Ad similitudinem verò, quia innocens, san-
ctus, purus, & immaculatus à Deo conditus est, & in gratia
constitutus. Est autem gratia quædam diuinæ similitudinis &
sanctitatis participatio. Vt enim ferrum in igne mersum, ignis Simil.
candorem, atque calorem suscipit; sic illo tempore per gratiam
homo deiformis effectus est: atque ita vtroque nomine perfe-
ctus, cùm propter naturæ integritatem, tum propter gratiæ di-
gnitatem. Qua de causa homo non iam vestigium, vt inferio-
ris ordinis creaturæ, sed imago Dei meritò appellabatur, adeò
vt si quis illum in hoc felicissimo statu cerneret, velut in puro
quodam speculo quandam diuinæ bonitatis effigiem cerneret.
Hæc igitur est imago qua homo initio conditionis suæ, hoc est
ante peccati lapsum, decoratus atque ornatus fuit.

Nunc inspiciamus quam ipse sibi imaginẽ per peccatum im-
presserit. Cùm igitur in hoc florẽtissimo statu homo esset à Deo
constitutus, cùm deberet tantæ felicitatis auctori subiici, eique
immortales agere gratias, serpentis antiqui suggestione delu-
sus, extulit se supra se: ideoq. meritò infra se deiectus est. Non
contentus enim diuina similitudine qua donatus fuerat, aliam
indebitè vsurpare præsumpsit, quam videlicet fallax serpens
illi promiserat dicens: Eritis sicut Dij scientes bonũ & malum. Genes.3.
Quam similitudinem non solùm non est assecutus, sed eam e-
tiam amisit qua fuerat decoratus. Iure enim amittere meruit
quod sibi erat indultum qui contra ius fasque inuasit alienum.
Atque ita factum est, vt qui conditus erat ad similitudinem Dei,
amissa hac diuina similitudine, similis fieret belluarum. Hinc Psal.48.
regius vates, Homo, inquit, cùm in honore esset, non intel-
lexit; comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus
est illis.

Queretis autem qua potissimũ ratione iumentis homo simi-
lis factus esse dicatur. Primũ quidem inter hominem & bestiam
hoc maximè interest, quod homo qui rationale animal est (cu-
ius summa dignitas in rationis dignitate atq. principatu posita
est) rationis lumine atq. consilio vitam regere & moderari de-
bet: bestiæ autẽ quæ rationis expertes sunt, nõ ratione & iudicio
quo carent, sed quodam naturæ impulsu atque appetitione du-
cuntur

cuntur. Hoc igitur proprium bestiarũ, illud hominũ est. Quod cùm ita sit, inuenies tamen plerosque homines sic cupiditatibus suis addictos, vt nihil omnino faciant duce & consule ratione, sed dignitatis suæ atque ingenitæ nobilitatis obliti, totos se cupiditatum suarum libidini tradant, illis obtemperent, illarum impetum sequantur, illasque tanquam certissimos vitæ duces, pecudum more amplectãtur: quibus frustra ratio, frustrà rationalis creaturæ dignitas tributa esse videtur. Quidquid enim ab eis cupiditas exigit, id illis protinus permittunt. Si cupiditas insurgit edendi, bibendi, ludẽdi, peierandi, detrahẽdi, rapiendi, maleprecandi, & maledicendi, in hæc omnia flagitia præcipites ruunt: vt qui se totos tanquã vilissima quædam mancipia huic turpissimo Dño subdiderint. Tales igitur meritò (quod ad rationẽ viuendi attinet) iumentis similes esse dicuntur: quia non ratione & consilio, sed affectibus & impetu cæco reguntur.

Simil. Est & aliud in quo iumẽtis similes esse perhibentur. Quemadmodum enim iumenta, quæ vt ratione, ita spe alterius vitæ carent, nihil aliud nisi bona corporis vt pastum, vt latibula, atq. alia eiusdem generis ad quæ sola nata sunt captant: ita plerique homines adeò Dei suique obliti, adeoque terrenis opibus & voluptatibus addicti sunt, vt nihil neque de animæ suæ immortalitate, neque de futuræ vitæ felicitate cogitent. Solam enim terram diligunt, terrena meditantur, terrenas opes ambiunt, & in hoc vno curas suas omnes, atque cogitationes insumunt. Hæc illos cura atque solicitudo vigilantes, hæc etiam dormientes occupat: de his in foro, de his in templo agunt, atque his opibus felicitatem & suam & aliorum metiuntur: vtpote qui (vt Propheta dicit) oculos suos statuerunt declinare in terram. Quibus extrema illa infelicitas contingit: de qua Hierem. ait: Dñe, oẽs qui te dereliquerũt, confundentur: recedentes à te in terra scribentur: quia dereliquerunt venã aquarũ viuentium Dominum. Quibus verbis apertè docuit huiusmodi homines cæleste beatitudinẽ terrena, æternam tẽporaria, ac deniq. diuinam belluina cõmutasse. Horum typũ tenuisse Datã & Abyrõ quos terra deuorauit, Origenes declarat his verbis: An non, inquit, tibi videtur à terra deuorari ille, qui semper de terra cogitat, qui semper terrenos habet actus, qui de terra loquitur, de terra litigat, terrena desiderat, & omnem spem suã ponit in terra: qui ad cælum oculos non leuat, qui futura non cogitat, qui iudicium Dei non metuit, nec beata eius promissa desiderat; sed semper de præsentibus cogitat, & ad æterna nõ suspirat? Talem cũ videris, dicito

Psal. 16.
Hier. 17.

qui

ua deuorauit eum terra. Hactenus Origenes. Quia verò in ...ra est thesaurus noster, ibi etiam sunt omnia interiora & ex...iora nostra, ibi intellectus, ibi voluntas, ibi memoria, ibi lin...a, ibi oculi, ibi deniq. affectus omnes atq. vota nostra collo...a sunt. Eorundē etiam typū gerit mulier illa, quæ in Euan...lio à dæmone oppressa, totos decē & octo annos curuato cor...ore incedebat: neque vnquā hoc tam longo spatio cęlum aspe...rat. Mirum autē est dæmonem qui solùm animarum nostra...ū exitium quærit, hoc morbi genere miserę mulieris corpus sic ...epressisse. Quod enim is lucrū ex hac corporis humani depres...ione captabat? Verùm hac re Dn̄s voluit præcipuum dæmonis ...fficiū adumbrari, cuius est mentes, quas obsidet, è cælo (vnde ...pse decidit) deiicere, & in terram ita mergere & sepelire, vt nū...quam oculos in cælū tollant, neque se ad cælestē hæreditatem ...natos esse meminerint; sed totos se terrenarum rerum studio at...que amori addicant. Non enim parum multos homines inue...nies, quos si interroges: Heus, quæso, num aliquādo ad te reuer...sus, tecum cogitare cœpisti quid de te tandem futurū sit? Num ita tecum aliquando philosophatus es: Homo sum, mortalis sum, Christianus sum, fidem habeo, spem habeo, iudicem ha...beo, qui mecum rationem initurus est de verbo etiā otioso quæ...siturus, qui piis regnum cælorum promittit, improbis verò ge...hennam minatur? Num igitur hisce de rebus aliquando tecum commentatus es? Plurimi sanè erunt qui respondeant: Ista ne per somnium quidem vnquam attigi. Omnis enim mea cura, & cogitatio de terra est; & planè ita viuo ac si alterius vitæ præ...mium aut supplicium ad me minimè pertineret. Quid igitur hoc aliud est, quàm pecudes imitari, quæ ad solum pastum natæ sunt? Meritò ergo Propheta hominem qui antè in summo ho...nore conditus erat, iumentis insipientibus similem effectū esse ait: Et de iumentis quidem nihil est quod mirari debeamus, nō magis quàm si corpora grauia deorsum ferri cerneremus; ho...minem verò, cuius animus cælestis est atque diuinus (qui præ...ter ingenitam mentis nobilitatem, fidem quoque & spem diui...narum promissionum habeat) nihilo meliorem bestiis tot acces...sionibus fieri verè deplorandum est.

En, fratres, quò per peccatum miserandus homo deuenit, & quorum similitudinē & imaginem induit qui ad Dei imaginem & similitudinem factus est. Quò ergo magis potuit miser ho...mo descendere, qui adeò sublimis ab auctore suo est cōditus? & fortassis hoc illud est quod tacitè Dominus innuere voluit, cùm

post

post eius lapsum quæsiuit: Adam vbi es? Quod perinde est ac si diceret, Vbi ego te collocaueram, & vbi tu te nunc posuisti? vbi eras, & vbi es? Eras Angelorum socius, eras mihi similis, eras in summo dignitatis ordine constitutus: nunc verò comparatus es iumentis insipientibus & similis factus es illis. Hic autem miserandus generis humani casus magnam non solùm improbis, sed piis etiam hominibus timoris materiam præbet. Si enim homo ille tot cælestibus donis instructus, & in eo statu collocatus, in quo neque caro, neque vllus carnis motus aduersus spiritum repugnabat, adeò fœdè corruit; quantum nos timere par est, qui impurissima carne septi, & in medio laqueorum, hoc est prauorum hominum consortio positi sumus: qui, dæmone etiam dormiente, assiduis tentationibus per singula pęnè momenta quatimur & infestamur? Quo ergo timore concuti? qua solicitudine angi? quo affectu diuinam semper opem implorare debemus? vt manum infirmis porrigat? vt à nobis misericordię suæ oculos nō dimoueat? vt serpētis antiqui potestatem frænet? vtque inexhausto prœlio decertantibus, vires & auxilium largiatur? Hæc enim omnia, fratres, miserandus ille parentum casus à nobis exigit. Sed quoniam hactenus de infelicis hominis lapsu atq; deformatione per peccatum diximus: nunc ne quis desperatione frangatur, de eiusdem per Christum reformatione dicamus.

II.

Potuisset ergo supernus ille iudex lapsum atque deformatum hominem sibi ipsi relinquere, quando is suo se vitio prodiderat. Noluit tamē iustitiæ seueritate, qua poterat, sed summa misericordia, quam non debebat, vt erigeret immensa Deitas, quem diaboli prostrarat iniquitas. Et quamuis potuisset solo verbo lapsum erigere, longè tamen dignius existimauit iusta satisfactione, quàm sola peccati remissione hominem liberare. Quis autem hoc vel dignius, vel cōuenientius, vel cumulatius præstare, quàm cōditor ipse potuisset? Constat enim absolutissimam imaginem ab egregio artifice expressam, sed iniuria temporum aut casu aliquo deformatam, à nemine commodius pristino decori restitui posse, quàm ab eo qui eam antè formasset.

Simil. Cùm ergo Deus hominem ad imaginē & similitudinem suam effinxerit, quis alius ei pristini decoris & pulchritudinis speciē nisi idem ipse qui condidit reddere potuit? Ex tribus autē diuinis personis illa præcipuè hoc negotium suscepit, quæ & hominē ipsum condidit, & imaginis nomē inter eas obtinet. Christi

autem

autem Dominus imago Dei inuisibilis, & figura substātiæ eius, & paternæ gloriæ splendor appellatur: quocirca ad illum præcipuè instaurandæ imaginis nostræ officium delegatum est, vt qui Dei imago erat, collapsam Dei imaginem ad similitudinem suam reformaret. Sed qua ratione hoc præstitit? Nimirum deformatam imaginem nostram in se suscipiens, imaginis suæ pulchritudinem in nobis instaurauit. Hinc Apostolus, Misit, inquit, Deus filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum. Rom. 8. Ideo autem Christum carnis peccati similitudinem suscepisse ait: non quia vllum in se peccati semen aut labem acceperit, sed quia caro eius purissima doloribus & pœnis quæ propter peccatum illata sunt, obnoxia erat. Vt enim si quis abscissas gestaret aures, latronis speciem referret, quamuis latro non esset; quoniam pœna hæc latronibus imposita est: ita caro pœnis atque doloribus obnoxia, peccati similitudinem gerit, quamuis à peccato immunis sit. Simil. Quid autem à summa illa maiestate atque innocentia magis alienum, quàm dolorum atque pœnarum (quæ propter peccatum inflictæ sunt) susceptio atque perpessio? Verè enim à propheta dictum: Alienū opus eius, peregrinū opus eius ab eo. Esaiæ 28. Quid verò tantæ illi puritati magis peregrinum & alienum, quàm crucis supplicium? Quid tibi, Domine Iesu, cum mortis ignominia? quid tibi cū lachrymis meis? quid cum sputis & alapis? quid cum spinarū aculeis atq. verberibus? Quid tibi cum latronibus & suspēdio crucis, quod sceleratis hominibus constitutum est? Verè Domine, peregrinum, verè alienum opus hoc à maiestate tua, non tamen alienum ab immensa charitate & misericordia tua. Hæc enim te adegit, vt dolores peccatis meis debitos in te susciperes, quo me ab illis plusquā paterna charitate liberares. Hac enim ratione de peccato dānasti peccatū, cùm in peccato inuenisti vnde peccatum deleres. Sicut enim ex viperæ veneno homines medicinam aduersus venenatum eiusdem morsum conficere solent: Simil. ita tu ex pœnis quas peccatum importauit in mundum, antidotum nobis aduersus peccati venenum confecisti. Et quemadmodum sanctus Dauid Goliam Goliæ gladio interfecit: ita tu à peccato arma accepisti, quibus peccatum extingueres. Simile quiddam de Banaia viro fortissimo literæ sanctæ prædicant, 2. Reg. 23. qui gigantem interfecit gestantem in manu hastam. Itaque cùm descendisset ad eum in virga, vi extorsit hastam de manu gigantis, & interfecit eum hasta sua. Hæc planè gloriosissima victoria est, talemque esse decuit victoriā aduersus

sus peccatum decertantis, vt videlicet à peccato ipso pœnas acciperet, quas non debebat, vt huius tantæ humilitatis & patientiæ merito ac sacrificio nos à peccati debito Christus Dominus liberaret.

III.


Sed quid nostra refert quòd Christus peccatum è mundo sustulerit, & cælestis gratię opes in illum contulerit, nisi nos huius tantæ gratiæ participes efficiamur? Quid igitur faciemus ne ab
1.Cor.15. hac tanta gratia excludamur? Hoc planè Apostolus declarauit cùm ait: Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis. Sicut ergo portauimus imaginem terreni: ita nunc portemus imaginem cælestis. Hæc autem imago quam portare iubemur, nullibi magis, quàm in ligno crucis apparet. Quid enim in cruce vides? Video planè hominem summo odio peccata prosequentem, summaque dilectione labores amplectentem. Video hominem tanta præditum bonitate, vt pro malis etiam hominibus seruandis, vitam in cruce profuderit. Video hominem tanta iustitia præcellentem, vt pro iniustis mori non dubitauerit. Quid enim aliud innocentiæ fontem ad mortem nisi peccata nostra impulerunt? Verè enim quisque nostrum dicere poterit: Ego te Domine in crucem adegi, ego pedes & manus tuas in ligno crucifixi, quia peccata mea crucis tibi supplicium pepererunt. Quid ergo aliud me facere par est, quàm vt propter te ego peccata mea interimam? Quomodo enim ego vitam largiar, cui tu mortem intulisti? Quomodo illud diligam, quod tu tantoperè exhorruisti? Quomodo ego nō disperdam gentes, quas tu mihi delere præcepisti? Et quoniam tu illos propter me labores detrectasti, precor, Domine, vt ne illos ego pro te labores fugiam: nec ex illorum me numero esse permittas, quos Apostolus tuus crucis tuæ inimicos, & ventris
Philip. 3. cultores appellat, cuius se turpissimo famulatui tradiderūt. Hæc igitur omnia me docet illa crux, eademque à me qui crucifixum Dominum adoro, postulat. Quid enim à me aliud Christi crux, quàm peccatorum odium, & laborum amorem exigit? Hoc est igitur quod Apostolus à nobis requirit, cùm ait: Sicut ergo portauimus imaginem terreni: ita nunc portemus imaginem cælestis. Si quando tales fuimus qualis ille vetus pater Adam, qui ob exiguam cibi voluptatem inobediens conditori suo extitit, simus nunc vt nouus pater Christus, qui mori prius voluit, quàm Dei præcepta violare. Si quando fuimus vt ille, qui cùm homo esset, diuinitatis sibi gloriā & similitudinē vsurpare

præsu-

præsumpsit, simus vt hic, qui cùm in forma Dei esset, semetipsum exinauit formam serui propter nos accipiens. Si fuimus vt ille, qui ne vxorem suam, hoc est, delicias suas tristitia afficeret, Dei præceptum contempsit: simus vt iste, qui amantissimã carnem suam ad crucem obtulit, vt Dei mãdatum impleret. Quod si tantus hic obedientiæ labor difficilis nobis apparet, cælestis præmij magnitudinem antè oculos ponamus. Id autem est diuinæ similitudinis participatio iis proposita, qui crucifixi Domini sui similitudinem in hac vita gestant. Vnde Apostolus, Saluatorem, inquit, expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Hac igitur spe erecti, fratres, ad brauium supernæ vocationis per laborum patientiam, & diuinorum mandatorum obedientiam alacri & prompto animo curramus, vt illius tandem gloriæ, quæ strenuè decertantibus promissa est, participes effici mereamur. Philip. 2. Philip. 3.

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN CONCIO PRIMA: IN qua lectio Euangelica, ac præcipuè verba thematis explanantur.

THE. *Confide, filia, fides tua te saluam fecit.* Matth. 9.



DVo in hodierna sancti Euangelij lectione insignia miracula S. Matthæus Euangelista describit: alterum, quo Dominus mulierem duodecim annis sanguinis fluxum patiẽtem sanauit; alterum, quo mortuam puellam duodecim annos natam ad vitam reuocauit. Quæ quidem miracula mysterio non vacant. Puella namque mortua gentilem populum designat: qui (quod attinet ad diuini numinis cultum) mortuus erat, vtpote qui lapidum atque lignorum superstitioni addictus, omni sensu & motu pietatis ac veræ religionis vt mortuus carebat. Mulier verò sanguinis fluxum patiens, Iudæorum populum adumbrat, qui veri Dei cognitionem habens, fluxum tamen sanguinis patiebatur: hoc est, cupi-

ditatum atque desideriorum suorum turbidos motus cohibere
Rom.3. nolebat. Per legem quippe (vt Apostolus ait) cognitio peccati, non autem gratia ad cohibitionem peccati. Ad vtriusque ergo gentis salutem Dei filius in mundum venit, vt & gentium populum ad vitam reuocaret, & Iudaicum cupiditati seruientem gratiæ suæ beneficio sanaret. Quod enim lex præstare non poterat, diuini Spiritus gratia præstitit. De vtroque ergo miraculo in præsenti concione dicturi, cælestem opem sacratissimæ Virginis interuentu suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Loquente Iesu ad turbas, ecce Princeps vnus accessit, & adorabat eum dicens: Domine, filia mea modò defuncta est; sed veni, impone manum tuam super eam, & viuet. Marcus ait: hunc principem non solùm adorasse Dominum, sed etiam ad pedes eius prouolutum fuisse. Summum certè hoc reuerentiæ genus extitit. Et quidem Dominus (si externam faciem spectes) humilis personæ speciem atque habitum referebat, & populi opinione fabri filius putabatur, atque eo tempore à Ioannis discipulis & Pharisæis accusabatur, quòd cũ publicanis ac peccatoribus ederet, ac biberet: nihilominus tamen hic Synagogæ Princeps non in domo, aut in angulis sedentem, sed præsente & spectante populo se pedibus eius prosternit, illumque adorat: quod genus reuerentiæ ne ipsis quidem mundi regibus atque imperatoribus exhibetur. Quid igitur hunc principem sic humiliauit, sic ad Christi pedes abiecit? Non dubium, quin extrema illa calamitas qua premebatur; qua si caruisset, nunquam se ad Christi pedes prostrauisset. Hic est, fratres, primus calamitatum fructus. Sũt & alij multi, quos breuiter commemorabo, vt calamitosis hominibus aliquid solatij præbeam. Omnes quippe homines felicem & placidam vitam optamus, omnes item calamitates, vitæ molestias, & corporis morbos tanquam pestem atque perniciem fugimus. Quæ tamen omnia non minus animæ saluti conferunt, quàm corporis morbis medicorum pharmaca, quamuis acerba sint & amara. Quis est igitur primus calamitatum fructus? certè hic, quem modò in hoc Synagogæ principe animaduertere potuistis: nempe humilitatis officium, dum se ad pedes pauperis Domini abiiciens, illum
Bernard. adorauit. Rectè enim & sapienter D. Bernard. humiliationem viam esse ad humilitatẽ docet. Vt enim studium ad sapientiam

ita humiliatio ad humilitatem ducit. Quocirca quisquis ad humilitatem aspirat, humiliationis viam recusare nõ debet. Contrà verò de diuitibus atque opulentis Propheta dicit: In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideò tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua. Vnde prudenter Apostolus diuitibus huius seculi præcipit, non sublime sapere: vtpote qui intelligeret homines secundis rebus insolescere, afflictis humiliari, & cum Propheta dicere; Bonum mihi, quia humiliasti me. Præstat etiam hoc calamitatis afflictio, quòd non solùm hominem humiliat, sed etiam mentem ad Deum eleuat, atque ad eius opem implorandam excitat. Vbi enim deest humanum auxilium, tum vel maximè homines ad diuina præsidia confugiunt. Cuius rei gratia Propheta ad Dominum clamat: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Contrà verò ad diuites huius seculi Dominus ait: Vitam manus tuæ inuenisti, propterea non rogasti. Hinc per Oseam Dominus: In tribulatione, inquit, sua manè consurgent ad me: venite, & reuertamur ad Dominum; quia ipse cœpit, & sanabit nos, percutiet & curabit nos. Hoc item Principis huius exemplo discimus, qui nunquam fortasse Domini Saluatoris opem implorasset, nisi ad hoc illum filiæ morbus impulisset. Est & alius calamitatum fructus, nempe peccatorum remissio. Quod enim malum carnis indulgentia peperit, eiusdem carnis afflictio delet. Vnde est illud D. Greg. Caro nos læta traxit ad culpã, afflicta reducat ad veniam. Hæc apertè Ecclesiast. docet, cùm ait: Pius & misericors est Dominus & remittit in die tribulationis peccata, & protector est omnibus exquirentibus se in veritate. Idem etiam sancta illa femina Sara Tobiæ iunioris vxor in oratione sua his verbis testatur: Benedictum est nomen tuum Deus patrum nostrorum, qui cùm iratus fueris, misericordiam facis, & in tribulatione peccata dimittis his, qui inuocant te. Hinc in Vitis Patrum legimus, vnum è septem illis fratribus, qui visendorum monachorũ gratia Aegypti deserta peragrarunt, febribus grauiter vexatum à B. Ioanne Aegyptio sanitatẽ petentem, ab eo audiuisse: Rem tibi necessariam cupis abiicere: vt enim corpora nitro abluuntur à sordibus, ita animæ à languoribus purificantur. Nec hoc solùm præstat calamitatis afflictio, vt dissoluat præterita debita, sed etiam vt augeat merita, & maiora gratiæ incrementa largiatur: Apostolo testante, qui ait: Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis: sed faciet cũ tentatione prouentum,

[Marginal notes: Psal. 72. — 1. Tim. 6. — Psal. 118. — Psal. 82. — Esaiæ 57. — Oseæ 6. — Gregor. homil. — Ecclesi. 2. — 1. Cor. 10.]

2.Cor.12. tum, vt possitis sustinere. Quod intelligens idem Apostolus ali-
bi, ait: Propter quod complaceam mihi in infirmitatibus meis,
in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angu-
stiis pro Christo. Cùm enim infirmor, tunc fortior sum & po-
tens, videlicet nouo diuinæ gratiæ subsidio atque solatio ad per-
2.Cor.1. ferenda mala roboratus. Vnde idem alibi ait: Sicut abundant
passiones Christi in nobis: ita & per Christum consolatio nostra.
Supra hæc autem omnia præstat beneficium aliud magnopere
expetendū, tribulatio patienter lata. Est enim signum proba-
virtutis, atq. signum etiam diuinæ prædestinationis. Quo no-
mine idem Apostolus primùm quidem in Deo, deinde in Chri-
sto, ac postremò in tribulationibus se gloriari ait: Res sanè m-
in tribulatione post Deum & Christum gloriari. Nam in D-
gloriari, quod videlicet illum propitium atque fauentē habe-
iustissimum est: sic etiam in Christo eius filio, per quem acce-
sum ad Patrem, à quo nobis bona omnia proueniunt, habemus.
At in tribulationibus gloriari, quas procul à se mortales cun-
ablegant, & nouum & mirum est. Cur igitur in his, Paule, glo-
Rom.5. riaris? Quoniam, inquit, tribulatio patientiam operatur, patie-
tia probationem, probatio verò spem, spes autem non confu-
dit. Quod igitur ait: patientia probationem, facilè ostendit e-
esse probatæ virtutis indicium. Quod verò probationem sp-
ea consequatur, quæ non confundit, non obscurè illam præde-
stinationis signum esse confirmat. Nec longè ab hac senten-
Eccles.2. Ecclesiasticus distat, cùm ait: Omne quod tibi applicitum fu-
rit, accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua patientia
habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum, homi-
verò receptibiles in camino humiliationis. Receptibiles ve-
vocat vel eos, qui Deo grati sunt, vel qui à Deo ad vitam pr-
destinati in æterna illa patria recipiendi sunt. Quæ cùm ita sin-
quis non libenti animo calamitatum angustias perferat, qu-
tantorum bonorum causas esse intelligit? Si enim corporeæ sa-
lutis gratia ferrum, & ignem, & amara pharmaca nō solùm pa-
tienter toleramus, sed etiam ardenter exquirimus, quid mirum
si ob animæ nostræ sanitatem, quæ tantò potior est, longè mi-
nora incommoda simili patientia toleremus? Hæc nos princip-
huius calamitas, fratres, de calamitatū fructibus, quæ nobis om-
nibus impendent, dicere compulit. Si enim omnia quæ scripta
sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiā & con-
solationem scripturarum spem habeamus: hoc in primis ad offi-
cium nostrum pertinet, vt his rationibus calamitosos homi-

huius vitæ incommoda æquo animo perferenda excitemus.

I.

Exoratus ergo Principis oratione Dominus, quamuis absens etiam ægris, & vitam mortuis reddere potuisset, vt petenti tamen morem gereret. & infirmam eius fidem roboraret, cum eo proficiscitur magna populi caterua, quæ ibi aderat, illum comitante. Hoc in loco quæri meritò potest, cur Dominus huic principi corpoream præsentiam ad salutem filiæ reddendam flagitanti concessit, & cum eo perrexit, quam tamen Regulo simili ardore eandem petenti non modò non exhibuit, sed illum etiam grauiter obiurgauit, dicens: Nisi signa & prodigia videritis, non credetis. Ioan. 4 Scio me hanc ipsam quæstonem in Euangelio de hoc Regulo proposuisse, causamque huius dissimilitudinis in tam simili negotio non tam in homines ipsos, quàm in abdita Dei iudicia, diuinamq. libertatem contulisse. Nunc autem in ipsis etiam personis nouam huius dissimilitudinis causam deprehendo. Regulus quippe ille simplicibus verbis Domini præsentiam postulauit: at hic princeps verbis etiam hanc tantam & cordis & corporis humilitatem adiecit, quam paulò ante vidistis. De huiusmodi antē oratione, quæ humilitatis virtute commendatur, Propheta dicit: Respexit in orationem humilium, & non spreuit preces eorum. Psal. 101. Hac ergo de causa nihil mirum, si Dominus se totum principis huius voluntati tradidit, & cum eo perrexit, & in via etiā in fide vacillantē confirmauit: qui tamen cum Regulo ire detrectauit, & acerba illum oratione corripuit.

Cæterùm dum pergit ad mortuam puellam suscitandam, mulier duodecim annis fluxu sanguinis laborans, quæ omnem substantiam suam in medicos erogauerat, nec quidquam profecerat, ab eo mirabili ratione sanata est. Hæc enim mulier partim celeberrima miraculorum Domini fama permota, partim etiam diuini spiritus beneficio illuminata, tantam de virtute & potentia Domini fidem conceperat, vt absque vlla mentis hæsitatione intra se diceret: *Si tetigero tantùm vestimētum eius, salua ero.* Multa sunt, quæ in huius mulieris curatione philosophari licet. Cùm enim corporum morbi quos Dominus depulit, spiritualium morborum imaginem gerant, quis animæ morbus per hunc sanguinis fluxum intelligatur, quærendum est. Et quidem per hunc morbum quo sanguis ita à corpore dissoluitur, vt nullo medicamento aut arte retineri possit, eos intelligi arbitror, qui sic peccatis assueti sunt, vt dinturna consuetudine in naturam quodammodo transeuntes, variorum desideriorum

 & cupi-

& cupiditatum fluxũ patiantur, quas vix cohibere possunt. Imò verò sunt quidam, qui eò improbitatis deuenerunt, vt dicant se non posse cupiditatibus suis imperare, easque rationis imperio cohibere. Hoc enim vel præcipuum inter bonos & malos discrimen est, quòd boni quidem illud Ecclesiastici præceptum sibi semper ante oculos ponunt: Post concupiscentias tuas ne eas, & à voluntate tua auertere. Boni enim viri (vt idem ait) statuunt cultrum gutturi suo, hoc est, cupiditatibus suis: vtpote qui in potestate habeant animas suas. Contrà verò improbi huius præceptionis immemores, sopita ratione solo cupiditatum impetu ita rapiuntur, vt vix illis resistere queant. Transierunt quippe (vt Propheta dicit) in affectum cordis, quoniam sic ab ingenita rationalis creaturæ nobilitate degenerarunt, vt pecudum more non rationis ductum, sed cupiditatis impulsum vbiq. sequantur. Cuius rei causam paucis explicabo. Scire igitur oportet, per bona opera cùm in charitate fiunt, mentem hominis magis ac magis illuminari, & liberum arbitrium ac volũtatem promptiorem in dies ad virtutis officia reddi. Quod cùm ita sit, consequens est, vt mala opera improborum mentibus tenebras obfundant, & voluntatis libertatem ad bona opera minuant: atque demum fit, vt quo magis improbus homo vitiis assuescit, hoc magis & intellectus eius ad diuina percipienda obscuretur, & voluntas tardior ad iustitiæ opera efficiatur. Fateor tamen neque intellectum, neque liberum arbitrium quatenus animæ vires sunt, assiduitate peccandi ita obrui posse, vt vel totum rationis lumen extinguatur, vel liberum arbitrium penitus deleatur. Quamuis eò vsque improbitatis consuetudo deuenire possit, vt peruersi homines videantur sibi quodammodo ad peccandum cogi. Sic sæpè deprehendimus homines vsque adeò capitali odio & vindictæ cupiditate inflammatos, vt nullis rationibus, nullis persuasionibus, nullis diuini timoris minis vel suppliciis ab hoc odio reuocari velint. Alios verò cernere licet vsque adeò impudico amore sauciatos, vt apertè fateantur se nullo modo hunc turpem animi motum à se excutere posse. Quibus si huius lethalis vulneris salutaria medicamenta proponas, vt vel corpus ieiuniis macerent, vel opem Domini aduersus hanc pestem implorent, vel certè lasciuientem carnem verberibus conscindant, apertè fatebuntur se huiusmodi remediis adeò nihil proficere, vt interdum etiam maius sibi incendium diabolo adnitente patiantur, cùm animaduertunt se ob dilecti corporis memoriam abolendã hoc supplicij genus perferre. Sunt

Ecclef. 18.

rur.

rurſus alij, qui viduarum, & pupillorum, aut cognatorum, aut etiam aliorum bona fraudibus & iniquis litibus diripiunt: qui ne propoſita quidem ante oculos ignis æterni pœna, vllo modo imperare ſibi poſſint, vt huic iuſtitiæ debito ſatisfaciant: atque ita demum in certiſſimo damnationis ſtatu & viuunt, & vitam finiunt, neque illos tandiu in hoc crimine perſiſtentes ſtimulus conſcientiæ pungit, cùm in hoc ſtatu ad tremendum Dominici corporis ſacramentum accedunt. Quid illos referam, qui iracundiæ morbo correpti, præcipites in maledicta omnia rapiuntur? Quid feminas commemorem, quæ & famulos & filias diris omnibus atque dæmonibus perpetuò deuouent? Quid illos item, qui conſuetudini iurandi ſic addicti ſunt, vt tot proferant iuramenta, quot verba? Sunt rurſus alij, qui fluxum etiam oculorum patiuntur, qui videlicet ambulant in viis cordis ſui, & in intuitu oculorum ſuorum, dum effrænatus eorum animus concupiſcit quidquid oculis placet? Nónne igitur omnes iſti, qui cæco impetu præcipites in hæc flagitia rapiuntur, nec vllis doctrinæ medicamentis ab hac praua conſuetudine reuocantur, cupiditatum fluxum patiuntur? Hi ſunt autem, quos Dominus apud Hieremiam ſub meretricis impudentiſſimæ nomine caſtigat his verbis: Leua, inquit, oculos tuos in directum, & vide vbi nunc proſtrata ſis: hoc eſt, quo te genere flagitiorum non contaminaueris. Hierem. 3

II.

Expoſuimus morbi huius vim atque rationem, nunc medicinam quæramus. Quam certè nulla humana vis, nulla ars præſtare poteſt: ſicut nec huius quidem feminæ morbum vlla potuit hominum medicina curare. Vera eſt enim maximeque tremenda illa D. Bernardi ſententia: Poſtquam aliquod vitium in conſuetudinem verſum eſt, niſi ineffabili diuinæ gratiæ miraculo ei non reſiſtitur. Bernard.

Cæterùm vt hæc mulier huius morbi periculum nobis indicauit: ita eadem remedium oſtendit. Quodnam illud eſt? *Si tetigero*, inquit, *veſtimentum eius*, *ſalua ero*. Sunt fateor multa ac varia huius morbi remedia; nullũ tamẽ præſentius quàm Chriſti veſtem tangere. Sed ea tamẽ fide, ea deuotione, ea reuerentia, ea fiducia, ea poſtremò religione, qua hæc mulier illam tetigit. Quid eſt veſtis Chriſti? Ea nimirum qua ſacratiſſimum corpus Chriſti tegitur. In ſacra enim hoſtia verum Chriſti corpus latet, in quod panis ſubſtantia verſa eſt: quod tamen candore illo, hoc eſt panis imagine atque ſpecie ita tegitur ac velatur,

vt Propheticum illud dicere possimus: Verè tu es Deus abscon-
Esaiæ 45. ditus, Deus Israël Saluator. Inter mirabiles autem sacramenti
huius virtutes & effectus, præcipuè numeratur fomitis mitiga-
tio. A quo fomite omnes prauę cupiditates tanquam fluxus san-
guinis deriuantur: quæ tamen huius sacramenti virtute resti-
Bernard. guuntur. Hinc D. Bern. ad monachos suos: Si quis, inquit, ve-
strum iracundiæ aut libidinis, aut inanis gloriæ turbidis mot-
bus minus agitatur atq. vexatur, gratias agat corpori & san-
ni Domini, quoniam virtus sacramenti in eo operatur, qu
piditatum nostrarum fluxus reprimit & continet. Hoc ig
immedicabilis alioqui mali remedium, religiosa hæc mu
Dominicæ vestis contactu mysticè nos docuit.

Marc. 5. F At Dominus (vt Marcus Euangelista refert) *Quis*, inqu
me tetigit? Cui Petrus, Præceptor, turba te comprimunt. Et di
Quis me tetigit? Circunspiciens autem Dominus, Tetigit me
liquis? inquit. Ego enim sensi de me virtutem exisse. Qui
verbis Dominus apertè docuit, nequaquam se ab illis tangi, q
solo corpore ipsum tangunt (quales hæ turbæ erant quæ Do
num sequebantur) ab illis autem verè & salutariter tangi, q
non corpore solùm, sed spiritu atque pietate illum tangu
etiam si solam vestis eius fimbriam contingant. Expergi
mini ergo quicunq. annua religione ad corpus Domini ex E
clesiæ institutione sumendum acceditis. Vehementer en
metuendum est, multos horum Dominicum quidem corp
premere, non tangere. Ille enim tangere dicitur, qui eius v
tutem participat, qui piè, qui religiosè, qui reuerenter atque
denter cum hac femina Dominicum corpus tangit. Cæteri v
rò quemadmodum turba hæc, premunt quidem Dominum, s
non tangunt: quia videlicet sacramentum recipiunt, non vir
tem sacramenti.

Sed ais: Cùm fideles omnes per id temporis idem Dom
corpus percipiant, & alij solùm premant, alij verò piè & re
giosè contingant: qua coniectura colligere potero, me non i
lud quidem pressisse, sed tetigisse? Hoc ipsum te eadem mul
exemplo suo declarabit. Ea namque vt vestem Domini contig
sensit illicò sanguinis sui fontem exsiccatum fuisse. Vide e
tu, an posteaquam Dominicum corpus tetigisti, solitus desi
riorum & cupiditatum tuarum fluxus repressus fuerit. Vid
idem iracundiæ, libidinis, auaritiæ, maledicentiæ, & capitali
dij, effrænati atque rebelles impetus in te vt anteà mane
Vide, an in sensibus tuis idē fluxus atq. licentia quæ antè fue

perduret, si lingua tua sine vllo pudoris fræno quidquid in buccam venerit, loquitur: si aures tuæ sine vllo repagulo omnibus detractionum & turpitudinum verbis intentæ sunt. Si oculis tuis noxia & periculosa videndi & concupiscendi licentiam tribuis, si cor tuum cunctis impuris cogitationibus sine vllo delectu patet, ac postremò si omnibus in rebus idem es, qui antea fueras, nec vllum animæ tuæ morbum sanasti, nullum peccati impetum cohibuisti: si hæc, inquam, omnia ita se habent, quis iam dubitare poterit, te corpus Dominicum pressisse, non tetigisse, ideoque nullam ab eo virtutem traxisse, sed magis in iudicium Dominicum corpus sumpsisse? Hinc in vitis Sanctorum Monachorum legimus, quendam eximiæ sanctitatis seniorem, cùm sacræ mensæ astaret, aliosque ad eam accedentes intueretur, vidisse quosdam quidem verè Dominicum corpus sumere, quosdam verò pro illo carbones deuorare. Faxit Christus Dominus, ne multi in paschali sollemnitate pro corpore Domini, huiusmodi carbones sumant, quorum posteà incendio ardeant. Cuius autẽ piaculi sit, sacram Eucharistiam indignè sumere, Apostolus docet, cũ eos ait: qui hoc audeant, reos esse corporis & sanguinis Domini. Ex quibus verbis sancti Doctores colligunt, eos in hac re execrandum Iudæorum facinus imitari, quoniam vtrique (quamuis dissimili ratione) in corpus & sanguinem Domini peccant: illi quidem ipsum crudeliter effundendo, isti verò fœdè conspurcando, atque indignè sumendo.

III.

Addit autem huic narrationi Marcus Euangelista, circunspiciente & quærente Domino, quis se tetigerit, mulierem hanc pauidam atque trementem ad ipsius genua procidisse, & quid esset factum exposuisse. Quasi enim furto salutis beneficium surripuisset, ita timere ac trepidare cœpit. O pia mulier, si tantam de virtute ac potestate Domini fidem cõcepisti, cur non similem de eius bonitate, misericordia, & benignitate fidem habes? Hic enim Dominus non minus pius & misericors, quàm potens ad sanandum est. Nec enim minor eius bonitas & misericordia, quàm potestas est. Credis illum salutem cõferre posse, crede etiam libentissimè velle. Ne timeas, ne trepides, quasi illum offenderis, sed gaude quòd eius benignitati benefaciendi materiã præbueris. Ad hoc enim è cælo venit in terram, ad hoc humanitatis nostræ vestem induit, vt homines omnium bonorum atque diuitiarum suarũ participes faceret. Deniq. ob hoc ipsum per vicos & castella obambulat benefaciendo & sanando

omnes oppressos à diabolo. Verè enim languores nostros i-
tulit,& dolores nostros ipse portauit. Quid ergo times? qui-
uida trepidas? plus ille salutem tuam, quàm tu ipsa, desi-
plus ille tua sanitate quàm tu ipsa gaudet. Te enim amor
cupiditas tua salutē desiderare compellit: illius verò im-
bonitas, infinita charitas, & incomprehensa misericordi-
tem omnibus dare desiderat. Ipse enim qui sanitatem c-
tuo præstitit, menti tuæ fidei lumen infundit, teque non
à corporis, sed ab infidelitatis etiam morbo clementer e-

Gregor. Sed hac tamen in re, fratres, illam D. Gregorij senten-
animaduertere licet: nempe bonarum mentium esse, ibi t-
culpam, vbi culpa non sit. Hoc enim inter pios & improbo-
scrimen est, quòd improbi etiam cùm praua opera edunt,
Prou. 2. timent, & interdum etiam lætantur, cùm malefecerint, & e-
tant in rebus pessimis: pij verò etiam cùm pietatis opera fa-
timere solent, ne fortè opus Domini desidiosè aut neglige-
fecerint, aut quod iustum erat, minus iustè fuerint exe-
Iob 9. Vnde sanctus ille Iob, Verebar, inquit, omnia opera mea, sc-
quòd non parceres delinquenti. Idemque rursus: Et cùm
uocantem, inquit, exaudierit me, non puto quòd audierit
Guerricus. cem meam. Vnde meritò Guerricus Abbas: Vtinam, inq-
fratres, eam nos humilitatem haberemus in peccatis nost-
quam sancti habuerunt in virtutibus suis.

Itaque pius Dominus metum piæ mulieri adimit, blandi-
mo eam filiæ nomine compellans: *Confide*, inquit, *filia*: *f-*
tua te saluam fecit. Credidisti enim te solo vestis meæ conta-
salutem esse cōsecuturam; tetigisti, & salutem assecuta es. Q-
in loco animaduertere licet, fratres, diuina munera atque do-
Cyprian. pro fidei mensura hominibus impartiri. Hinc D. Cyprian.
Epist. ad Donatum: Quantum, inquit, vas fidei capacis affe-
mus, tantum gratiæ inundantis haurimus. Dei enim mise-
cordia velut inexhaustus quidam bonorum omnium fons e-
quo plus hauriet, qui capacius fidei vas ad illum affert. Itaq-
Deut. 11. illa Domini promissio: Omnis locus, quē calcauerit pes vest-
vester erit, de huiusmodi fide quæ hanc adeò amplam de diui-
misericordia fiduciam concipit, intelligenda est. Sed operæ p-
tium erit, hoc ipsum exemplis illustrare. Ad hoc autē triplice-
vobis fidem ante oculos ponam: nempe huius Principis, cu-
filiam Dominus ad vitam reuocauit, & huius item piæ mulier-
atque Centurionis: Princeps credidit Dominū sacræ manus
contactu salutem ac vitam filiæ redditurum. At hæc pia mul-

longius in fide progressa, solo Dominicæ vestis contactu salutem se esse adepturã credidit. Altius tamen in hac ipsa fide Centurio quamuis gentilis processerat: qui sine Dominicæ manus, aut vestis contactu solo iussu & imperio salutem ægrotanti seruo credidit posse reddi. Cuius fidem Saluator demiratus, sequenti se turbæ dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël. Matth. 8. His tribus exemplis, fratres, vim fidei admirabilem intelligere poteritis: quæ tantum à Deo impetrat, quantum fidit, quantumque de immensa eius bonitate sibi pollicetur. Quam rem his exemplis animaduertere licet. Quamuis enim Dominus solo voluntatis nutu atque imperio hæc omnia mala depellere potuisset: vt tamen hanc fidei virtutem ostenderet, ita depulit, vt quisque petentium credidit. Principi namque salutem filiæ manus suæ contactu petenti, eo modo salutem contulit, quo ipse petebat: mulieri autem sacræ vestis contactu quam solam ad sanitatẽ sufficere credebat, sanitatem dedit: Cẽturioni verò qui neutrum exigebat, sed solũ Dñi imperium requirebat, solo imperio ægrotanti seruo sospitatem contulit.

His igitur exemplis admoniti, fratres, in quouis morbo, aut tentatione, aut calamitate ad opem Domini confugiamus, amplissimum fidei sinum ante illum expandentes. Hoc enim is à nobis exigit, cùm per Prophetam dicit: Psal. 81. Dilata os tuum, & implebo illud. Pro mensura quippe fidei atque spei munera sua fidelibus donat. Quod intelligens idem Propheta Dominũ precatur dicens: Psal. 32. Fiat misericordia tua Dñe super nos, quemadmodum sperauimus in te. Huic tamen spei, fratres, pietas & iustitia copulanda est, sicut idem Propheta monet, cùm ait: Psalm. 4. Sacrificate sacrificiũ iustitiæ, & sperate in Dño. Hęc autem spes iustitia suffulta, certissimus impetrandæ misericordiæ obses est. Cuius rei fideiiussorem se Eccles. proponit, cùm ait: Eccle. 2. Respicite filij nationes, quis sperauit in Domino, & confusus est; aut quis permansit in mandatis eius, & derelictus ab eo est? Idemque paulò antè: Ibidem. Crede Deo, & recuperabit te; & dirige viam tuam, & spera in illum. Viam igitur nostram ante omnia dirigere studeamus, & fidei atque spei sinum quantum poterimus expandamus, certi de immensa Domini benignitate, nunquam frustra nos in eo spem nostram collocaturos.

Sed ad historiæ finem veniamus. Cũ Dominus in principis domũ deuenisset, turbamq. lamentantẽ & tumultuantẽ compescuisset, solumq. Petrũ, Ioannem, atq. Iacobum dilectissimos discipulos, & parẽtes insuper puellæ secũ ingredi permisisset, ad iacen-

iacentis cadauer accedens, apprehensa eius manu ait: Thabita cumi, hoc est, puella, surge: O mira diuinæ potentiæ virtus: ad hanc vnam vocem subitò excitata puella, aperiens oculos parentes qui aderant, summo stupore simul atque gaudio compleuit. At Dominus edito hoc insigni miraculo, vt Marcus refert, vehementer parentibus præcepit, vt nemo id sciret. Quo in loco inquisitione dignum est, cur Dominus hoc illis silentium indixerit, qui tamen miraculum curatæ mulieris quod latebat, in publicum prodidit. Certè vt hoc exemplo bona opera nostra atque diuina munera aliquando quidem prædicāda, aliquando verò silentio tegenda esse doceret. Prædicanda quidem sunt, vbi hoc vel proximorū vtilitas, vel diuinæ gloriæ ratio postulat. Sic Paulus dona quæ à Deo perceperat, & labores quos Euangelicæ prædicationis gratia pertulerat, longa oratione in posteriori ad Corinth. epist. describit: quod hoc ad eorū fidem corroborandam, & pseudo Apostolorum perfidiam deprimendam maximè conducebat. Sic etiam Dominus sanatę mulieris beneficium publicari voluit, vt nutantem principis fidem hoc insigni miraculo confirmaret. At in altero miraculo cùm tam acriter parentibus silētium imponebat, non sibi, sed nobis vtiq. prospiciebat, qui ob naturæ lapsæ infirmitatem inanis gloriæ morbo vehementer laboramus. Vt autem quantum pestis hæc piis hominibus metuenda sit, ostendam, memorabile exemplum B. Apolonij, quod in Vitis Patrum refertur, hoc in loco attexere libet. Hic igitur sanctus Vir quindecim annos natus ad eremum perrexit, cumq; ibi quadringenta annis religiossimè Deo vacasset, vocem Dei ad se delatam audiuit: Apolloni, per te perdā sapientiam sapientiū in Aegypto, & intellectū prudētium reprobabo. Perdes autē mihi & eos qui inter ipsos sint sapiētes Babylonis, & omnem culturam dæmoniorū subrues. Perge ergo nunc in Aegyptum, generabis enim mihi populum perfectum, æmulatorem operum bonorum. At ille respondens ait: Aufer à me Domine iactantiam: ne fortè elatus super fratres meos, cadam ab omnibus bonis tuis. Respondet ad eū rursus diuina vox: Mitte manum tuam ad ceruices tuas, & quod comprehenderis constringe, & sub arena obrue. At ille sine mora iniecta manu ceruicibus apprehendit quasi paruulum quendam Aethiopem, quem continuò submersit sub arena clamantem: Ego sum superbiæ dæmon. Post hoc autē vox ad eum facta est: Perge nunc; omnia enim quæcunq. à Deo popósceris, impetrabis. Hoc igitur exemplo, fratres, vehemēter nobis ab omni superbia, inani gloria,

gloria, arrogantia, atque iactantia caueamus: vt his monstris superatis, humilitatis virtutem quæ aliarum omnium radix & custos est, adipiscentes, & huius piæ mulieris fidem, religionem, atque reuerentiam imitantes, perfectam animæ salutem, cupiditatum interitũ, ac tandem cælestis vitæ gloriam cõsequamur.

AD LECTOREM.

Non erit autem alienum ab huius Euangelij lectione insigne quoddam miraculum commemorare quod Euseb. Cesariensis Eccles. histor. lib. 7 cap. 14. narrat his verbis: Opera pretium arbitror, historiam hoc loco citare, quæ digna planè videtur quam memoriæ ad posteritatem commendemus. Mulierem illam sanguinis profluuio afflictatam, quam sanctorum Euangeliorum testimonio à Seruatore nostro morbi remedium inuenisse cognouimus, ex ea ciuitate, quam Phœnices Paneada vocant, oriundã, illiusq; domum ibi ostendi, & admirabilia quædam Seruatoris in eam beneficij monimenta, & quasi trophæa ad hoc tempus durare memorant. Pro foribus enim domus illius, æneam mulieris effigiem genibus flexis, & manibus instar supplicantis, in anteriorem partem extensis, super editum lapidem collocatam: huic eregione, viri erectam imaginem ex eadem materia conflatam, vestitu ad talos dimisso decenter ornatam, & manum mulieri porrigentem. Ad cuius pedes in ipsa basi peregrinam quandam & inusitatam herbæ speciem enasci: quam quidem, vbi ad ænei vestitus fimbriam excreuerit, morbis cuiusque generis medicandi vim & facultatem habere. Hanc statuam, effigiem Iesu exprimere dicunt: quam ad nostram vsque ætatem manentem, ipsi ad eam ciuitatem profecti, oculis cernebamus. Hactenus Eusebius.

IN EA-

IN EADEM DOMINICA XXIII POST PENTECOSTEN CONCIO SECVN in qua post Euangelicæ lectionis enarratio primùm de virtute spei atque fiduciæ in De deinde de his quæ nos ad huius fiduciæ firm tem retinendam adiuuant, disseritur.

THE. *Confide filia, fides tua te saluam fecit.* Matth. 9.



N hodierna S. Euangelij lectione mira fidei tus atque fiduciæ apertè monstratur. Duo qui miracula quæ in ea referuntur, huius fidei rito atque virtute patrata sunt. Quocirca, ne Euangelicæ lectionis proposito recedamus, huiusmodi fide atq. eius comite fiducia hodie nobis differen est. Scis hęc duo nomina hoc nostro seculo quibusdam fideliu non perinde grata esse, vt olim fuerunt. Sicut enim pretios aliquot cibos, vbi carnis ore fœdati sunt, fastidire solemus: cùm infelices ætatis nostræ hæretici rabido ore hæc duo sac nomina conspurcauerint, & ad sacrilega figmenta sua detors rint, horret quodammodo animus has virtutes attingere, ea que fidelium mentibus commendare. Verùm quoniam fide Christianæ religionis fundamentum, fiducia verò incompar bilis Christianæ vitæ thesaurus est (quo & misericordiam Do mini impetramus, & tranquillam ac placidam vitam sine vll inani formidine per illam Deo protegente ducimus) nullo mo do committendum est, vt propter hæreticorum calumnias, h tantas virtutes sua laude fraudemus. Itaque ab hæreticoru scopulis orationis nostræ nauiculam declinantes, inæstimabil harum virtutum opes (quatenus breui sermone comprehen possunt) vobis ante oculos proponemus: si prius tamen Euan gelicam lectionem, quæ huius argumenti fundamentum e explicauerimus. Quod vt piè & religiosè præstare possimus, cælestem opem sacratissimæ Virginis intercessione supplicite imploremus.

Simil.

AVE MARIA.

Loquēte Iesu ad turbas, ecce Princeps vnus accessit & adora eum

eum dicens: *Domine, filia mea modò defuncta est, sed veni impone manum tuam super eam, & viuet.* Defunctam quidem filiam Dominus inuenit, quam suscitauit: quæ tamen (vt Marcus ait) in extremo agone mortis erat, cùm eius pater opem Domini postulauit. Dum autem piissimus Dominus patrem sequitur, Marc. 5. alterius miraculi edendi oblata illi occasio est. Mulier enim quę duodecim annis sanguinis fluxū patiebatur, omnemq́., vt idem Marcus ait, substantiam suam in medicos frustrà erogauerat, imò grauius post tot medicamenta ægrotabat, ad cælestem medicum fidei præsidio instructa & illuminata cōfugit. Itaq. prudens mulier vbi humanum sibi videt defuisse auxilium, ad cælestem opem confugit. Quo minus mirandū est, fratres, si quos Dominus ad se trahere cupit, variis in seculo calamitatibus exagitari permittit, vt ab ipso seculo vexati atque repulsi, ad auctorem salutis, & vnicum malorum omnium perfugium redeant. Sæpe enim accidere videmus, vt qui naufragium faciunt, fluctibus ipsis quibus alij intereūt, ad tuta littora impellantur: eaque res illis saluti sit, quæ aliis interitum affert. Hoc igitur multis in vita frequenter accidit, quos variarum calamitatum fluctus ad Deum ire compellunt, in quo vno salutem, & pacem, & tranquillitatem inueniunt, quam nunquam in seculo repererunt: ac tum demum malis suis eruditi sapere incipiunt, cùm re ipsa fallacem mundi spem & inania promissa cognoscunt. Cùm autem & mundus amatores suos à se repellat atque deludat, & amator omniū Dominus eos ad se blanditiis & veris promissis aduocet, dubitat S. Eucherius Episcopus, vtra res magis Eucher. in Epist. nos ad pietatem mouere debeat, an mala & incommoda, quibus in hoc mundo premimur, an bona quibus nos ad se diuina benignitas vocat. Illa enim nos à se variis calamitatibus & incommodis abigunt: hæc autem nos ad se castissimis deliciis atq. fauoribus alliciūt. Itaq. animaduertere licet nobiles feminas quę viuentibus viris se totas eorum amori atque obsequio addixerant, illis solùm placere, illis inseruire, illorum nutui obtemperare summo studio curantes, vbi illis viduatæ sunt, totum illum amorem atque studium ad cælestis Sponsi cultum & amorem Hieron. in Epist. transtulisse. Quod sanctam Marcellam nobilem Romanam D. Hieron. fecisse in quadam epist. refert, quæ marito duobusque filiis orbata, ad pedes Christi prouoluta, dixit: Expeditius tibi, Domine, seruitura sum, quia tanto me onere liberasti. Idemque de Paula femina sanctissima in eius epitaphio sic refert: Postquā Idem. vir eius mortuus est, ita eum planxit, vt propè ipsa moreretur:

& ita se conuertit ad Domini seruitutem, vt mortem eius vide-
retur optasse. Hac igitur de causa frequenter Dominus quos ad
se trahere vult, his incommodis premi sinit: vitam quippe
ctuosam ac tristem humanus animus natura ipsa horret. V
est illud à Rhetoribus dictum, Nihil lachryma citius aresc
Quo fit, vt humanus animus sine aliqua aut iucunditat
suauitatis illecebra diu subsistere non possit. Ideò nihil mi
si nobilis vidua, cui nec per leges quidem mundi externa a
iucunditate frui licet, ad summum illum veræ ac solidæ iu
ditatis fontem se conuertat, vt in eo deprehendat id quo
mundus interdicit. Sic igitur fit (quod paulò antè diximu
ipsi nos calamitatum fluctus ad fidam littoris stationem ap
lere faciant. Quam rem æmorrhoissæ huius exemplo discim
quæ à medicis desperata, atque omni humana ope destitura
veræ salutis auctorem fidei lumine instructa confugit. Fama
nim mirabilium operum Domini excitata, atq; luce diuini Sp
ritus illuminata (nec enim externa miracula sine hoc inter
lumine fidem pariunt) intra se dicebat: *Si tetigero tantùm ve*
mentum eius, salua ero. Accessit ergo retrò, (videlicet conspectu
Dñi verita) *tetigitq; fimbriã vestimẽti eius, & repentè sanata e*
Cæterùm Dominus, qui piũ mulieris furtũ placidissimè t
lit, miraculum quod patratum erat, latere noluit. Itaq; consp
ciens ait: *Quis me tetigit? Cui Petrus: Præceptor* (inquit) *turb*
comprimunt, & dicis, Quis me tetigit? Cui Dominus : Tetigit m
aliquis: ego enim sensi de me virtutem exisse. Ab illa ergo femin
quæ piè, humiliter, ac fidenter solam vestis eius fimbriá tetig
se tactũ fuisse ait, non ab illis qui corpore tantũ, non etiã me
te atq. spiritu ipsum cõprimebant. Quo exẽplo (vt alia præte
mittamus quæ in superiori cõcione diximus) hoc etiã aliud co
1.Cor.14. ligere possumus, quod Apostolus ait: In Ecclesia malo quinq
verba sensu meo loqui, quã decẽ millia verborũ in lingua. H
enim quod Apostolus de Prophetiæ atque linguarum donis i
tellexit, non incommodè ad precandi rationem transferre p
sumus. Quisquis enim precibus suis hac fide & reuerentia, h
humilitate atque fiducia (quibus hæc femina instructa erat) d
uinæ misericordiæ viscera pulsat, verè Dominum tangit, eius
in se spiritum & virtutem trahit; illi verò qui siue Clerici, si
laici sint, qui magnum Psalmorum aliorumque precation
numerum veluti pensum quoddam sine vlla animi attentio
exoluunt, ore quidem Domino benedicentes, corde autem p
circulos & plateas dedita opera vagantes, premunt quidem

Dor

Dominum, non autē tangunt, quia solo corpore, non etiā spiritu tangunt: ideoq; virtutem & gratiā ab eo minimè percipiunt. De his nanq. per Prophetam Dominus dicit: Populus hic labiis Esai.29. me honorat, cor autem eorum longè est me. Et alibi idem: Au- Amos 5. fer, inquit, à me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam. Oris igitur sine mente clamorem Dominus tumultum carminum vocat. Tales ergo orationes Dominus nō exaudit, qui tamē ad Mosem sine vocis strepitu, ore cordis precantem ait, Quid clamas ad me? Ideoque Saluator in Euange- Exod.14. lio orandi modum discipulis præscribens, Orantes, inquit, noli- Matth.6. te multum loqui, sicut Ethnici faciunt. Putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur. Quibus verbis illos notauit, qui humano more delusi, solùm orationum numerum sine mente computantes, à Deo se exaudiri putant. Hoc enim Dominus innuit, cùm ait: Putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur. Nemo tamen existimet his verbis longam orationem damnari, cùm & ipse pernoctaret in oratione Dei, & sanctissimi quique viri tandiu frequenter orabant, vt diem crebrò cum nocte iungerent. Quin & sancta illa Sara Tobiæ iunioris vxor, triduo in oratione perseuerans, Domini misericordiā cōsecuta est. Non enim hoc in loco longa orationis spatia, sed inanis Ethnicorum fiducia reprehenditur. Neq; verò quisquā existimet hac doctrina eam orationē accusari, quæ præscriptis verbis atq; ore Dñm laudat. Quis enim adeò desipiat, vt hoc damnare audeat, quod Ecclesia in tēplis omnibus, quodq. sancti omnes ab origine mundi, quodq; Sanctus sanctorū Dominus non semel in vita factitauit? Sed eos iure reprehendimus, qui solo strepitu labiorum contenti, sine vlla mente atq; reuerentia sacra verba proferunt. Qui enim sic orant, etiam si plurimas preces fundant, comprimunt illi quidem vt hæc turba Dominum, sed non tangunt. Ideoque non modò eius gratiam non promerentur, sed eius etiam potestatem ac maiestatem offendūt. Quantuis enim (vt Cardinalis Caietanus ait) non semper orare tenea- Caietan. mur, nisi cùm hoc necessitatis occasio postulat, tamen cū sponte in homil. orare volumus, meminisse debemus, nos cum Deo loqui, quem attentè ac reuerenter alloqui tenemur. Quòd si socordia & negligētia nostra nō facimus, neglecti officij atq; debitæ reuerentiæ rei sumus. Quid igitur superest, fratres? nempe illud Apostoli, Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & 1.Cor.14. mente; hoc est, cū Deo psallimus, nō auiū ritu, sed hominū more psallamus, & cū verbis Dñi misericordiā deprecamur, id ver-

semus in corde, quod ore proferimus: nec alterū ab altero dissideat, dū ore versamus diuina, corde autē humana tractamus. Sic enim fiet, vt feminę huius exēplo Dominū spiritu magis quā corpore tangentes, virtutis eius participes effici mereamur.

Cæterùm ad eorum solatium, qui dum piè atque religiosè orare proponunt, mens ipsa ex insita naturæ fragilitate huc illuc sine consensu vagatur, hoc adiiciendū puto; nempe quòd horum oratio vsqueadeò ingrata Deo non sit, vt etiam merito suo & impetrandi vi non careat. Hoc enim à prima illa animi destinatione habet, quæ nisi consensu nostro reuocetur, piæ orationis fructum atque meritum retinet.

I.

Cùm ergo (vt ad historiæ seriem redeamus) religiosa mulier pium illud furtum nequaquam Dominum latere perspexisset, magno timore perculsa, quod factum fuerat, in omnium conspectu humiliter propalauit. Cui Dominus blandè leniterque respondens, perceptæ salutis beneficium illius fidei attribuit, dicens: Confide, filia, fides tua te saluam fecit.

Cùm ergo Dominus in Principis domum deuenisset, & lamentantem ac tumultuantem familiam compescuisset, nō permisit quenquam secum intrare, nisi tres amantissimos discipulos, Petrum, Iacobum, & Ioannem, patremq; & matrem puellæ, apprehensaq; defunctæ manu, *Puella*, inquit, *surge*. Quæ immensa huius diuini verbi virtute sic à morte ad vitam reuocata est, quasi à somno excitata fuisset. Parentibus verò hoc tanto miraculo attonitis huius operis silentiū indixit, atq; vt puellam allato cibo reficerent, præcepit. Quid igitur? An non satis ad hoc erat sine Domini admonitu solicita parentum cura? Erat sanè. Verùm tamen admonitio ratione atque mysterio non vacat. Primùm enim stupefactis parentibus ostendere hoc indicio voluit puellam quā mortuam lugebant, verè à morte fuisse excitatam. Nam & discipuli qui tot miracula Domini inspexerāt, cùm illum à mortuis excitatum viderūt, phantasma aut spiritum esse credebant. Quibus Dominus carnem suam palpandā præbuit. Adhuc autem illis non credentibus & mirantibus præ gaudio dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur? &c. Sicut igitur hoc indicio Dominus veram corporis sui resurrectionem discipulis approbauit: ita nunc puellæ parentes tanto miraculo stupefactos, veræ resurrectionis certiores efficere voluit. Sunt enim quædam opera adeò mirāda, vt vix credantur, etiam cùm

Genes. 45. videntur, aut à fide dignissimis narrantur. Sic enim S. Patriarcha

cha Iacob filiis ab Aegypto regressis, & vitam atque dignitatem filij Iosephi testificantibus, tamen non credebat.

Sed aliud in his Domini verbis sublimius mysterium latere puto. Cùm enim Dominus suscitatæ puellæ cibũ tribuere præcipit, nos vtique admonet, vt posteaquàm per confessionis sacramentum à spirituali animæ morte fuerimus excitati, perceptã vitam salutari Eucharistię cibo alendam atq. sustentandam curemus. Hæc enim duo sacramenta (vt alia prætermittamus) Saluator instituit: quorum alterum mortuorum, alterum viuorum est. Confessionis enim sacramentum, quod verè mortifera peccata remittit (dicente Domino, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis) mortuas sępè in peccato animas ad vitam reuocat. Quam quidem vitam hic diuinus cibus nutrit, alit, atque roborat, dum eam per gratiam quam confert, à peccati morte præseruat. Hic est enim cibus, de quo Dominus per Prophetam dicit: Quod est bonum eius, aut quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines? Quæ cùm ita sint, facile erit diuinare, fratres, cur tot animas in peccato mortuas passim cernere liceat. Vt enim alias huius tanti mali causas prætereamus, hæc præcipua causa esse videtur, quòd homines hoc Angelorũ pane non reficiantur & roborentur. Olim quidem initio nascentis Ecclesiæ fideles hoc cælesti cibo refecti atque roborati, non modò diuinæ legis iugum libentissimè portabant, sed horrenda etiam supplicia, ne diuinas leges violarent, infracto animo perferebant. Vndè verò hæc tanta infirmitas nostra, nisi quòd tandiu ab hoc cælesti pane abstinemus? Hic enim panis cor hominis confirmat: hic inuictum robur animo præstat: hic labentes animi vires reficit: hic spirituali suauitate mentem recreans, terrena omnia fastidire, & cælesti appetere facit. Hoc est igitur quod cælestis magister docere nos voluit, cùm suscitatæ puellæ dari cibum præcepit. Hactenus de Euangelica lectione, nunc sententiam verbis thematis comprehensam excutere incipiamus.

Ioan. 20.

Zachar. 9.

TRACTATIO THEMATIS. II.

Confide filia, fides tua te saluã fecit. Diximus paulò antè fratres, incomparabilem in hisce Domini verbis latere thesaurum, quo vita nostra fide, spe, ac diuinæ miserationis fiducia munita, in hoc mortali corpore tot periculis & miseriis obnoxio sub vmbra alarum Domini incolumis & tuta manet. Et quidẽ hoc in loco non de mortua fide agimus, sed de ea, quæ per dilectionem

nem operatur, quæque non solùm charitate informatur, sed etiam clarissimis Spiritus sancti donis, ac præcipuè intellectus & sapientiæ dono perficitur & illuminatur; quoniam altero fidei mysteria penetrat, altero mirabilem eorundem suauitatem atque saporem degustat.

Hæc igitur fides his donis instructa & illuminata, vt omnium aliarum virtutum radix & fundamentum est: ita fiduciæ virtutem & natura & nomine sibi coniunctam, præcipuè parit; enim fidei atque fiduciæ nomen; ita vtriusque vis atque natura coniuncta est. Est autem fiducia (vt D. Thom. ait) spes roborata
2.2.q.129. art.6.ad 3. ex aliqua firma opinione procedens. Itaque S. Doctor non sentit illam esse virtutem à spei virtute distinctam, sed modum esse spei, cui ea robur addit inuictum. Ideoque Apostolus fiduciam cum spe coniungit, cùm ait: Nos sumus Christi domus, si
Hebr.3. fiduciam & gloriam spei vsque ad finem firmam retineamus.
Bernard. Nec minus spes fidei quàm fiducia coniuncta est. Hinc D. Bernard. Germana fidei & spei cognatio est, vt quod illa futurũ credit, hæc sibi incipiat sperare futurũ. Dicit ergo fides: Parata sunt magna & inexcogitabilia bona à Deo fidelibus suis. Dicit spes: Mihi illa seruantur. Hanc autẽ vtriusq. virtutis huius cognationem non obscurè exponit Apostolus cùm ait: Deus autẽ spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis in spe & virtute Spiritus sancti. Illa enim incensa atque inflammata fides fiduciam & spem viuam parit, & in ea nos abundare facit.

Hanc porrò fiduciã cùm ad humana præsidia refertur, ex aliqua firma opinione oriri, idem Doctor affirmat. Cęterùm fiducia quæ ad diuina præsidia refertur, diuinæ promissioni, quæ quauis demõstratione certior atq. firmior est, innititur. Spes igitur huiusmodi fiducia confirmata, mirabiles in anima iusti fructus parit, è quibus duos tantũ hoc in loco referamus. Primũ enim spes hæc efficacissimũ instrumentũ est ad opẽ & misericordiam Domini impetrandã. Ad cuius rei fidem non vnũ aut alterum locũ, sed omnes penè Dauidicos hymnos offerre possem. Vix enim vllus reperietur, qui nõ virtutis huius fructus, laudes,
Psalm.21. & exempla contineat. In te, inquit, sperauerunt Patres nostri, sperauerunt, & liberasti eos: ad te clamauerũt, & salui facti sunt:
Psal.39. in te sperauerunt, & non sunt confusi. Et iterum, Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi, & exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miserię, & de luto fæcis, & statuit supra petram pedes meos, & cætera quæ sequuntur; quæ omnia mirabiles huius virtutis fructus & effectus declarãt. Quid verò Esaias
quàm

quàm multis modis hanc virtutem commẽdat? Ecce (ait) Deus Esai. 25.
noster iste, expectauimus eum, & saluauit nos, iste Dominus, su-
stinuimus eũ, exultabimus, & lætabimur in salutari eius. Idem-
que alio in loco pios omnes inducit cum Deo loquentes: Serua-
bis pacem, Domine, pacem quia in te sperauimus. Hæc autem
tanta spei virtus non ad mortuam & informem, sed ad viuam
pertinet, quã Christus Dominus (vt Petrus Apostolus ait) resur- 1. Petr. 1.
rectione sua nobis contulit. Hæc illa spes est, quę (vt Paulus ait) Roman. 5.
non confundit, hoc est, quæ nunquam frustrà & inaniter sperat.
Hæc illa spes, quæ nunquam à conspectu Domini vacua rece-
dit, eodem pollicente atque dicente: Quidquid orantes petitis, Marc. 11.
credite, quia accipietis, & fiet vobis. Quo in loco Dominus non
solùm fidem eam commendat, quæ Deum omnipotentem &
benignum esse credit (qua nemo fidelium quamlibet impro-
bus sit, caret) sed etiam fiduciam de eius misericordia, in qua
spei robur constitutum esse diximus. Sicut igitur charitas prin-
cipium est merendi: ita hæc spes radix & fundamentum est
impetrandi. Nullum in charitate bonum opus edimus, in quo
non mereamur: nihil rursum nobis salutare huiusmodi spe ful-
ti à Deo petimus, quod non impetremus, etiamsi ab eo vt
montes transferat postulemus. Quod Greg. Turonensem Epi- Eucher.
scopum, Eucherio referẽte, precibus suis à Domino impetrasse
legimus, vt commodum fabricæ cuiusdam templi locum da-
ret. Neque verò hoc aut mirum, aut incredibile videri debet:
quoniam (vt sapienter Episcopus Abulensis ait) nunquam ho- Abulen.
mo sanus certissimam hanc spem atque fiduciam de diuina vo-
luntate concipiet, nisi diuino ad hoc spiritu actus fuerit &
excitatus. Nunquam autem hic Spiritus veritatis, mentem ho-
minis ad hoc certissimè sperãdum instigabit, nisi id etiã præsta-
re velit, cuius illi spem atque fidem inspirat. Ex hoc igitur tam
illustri Domini Saluatoris testimonio, & cæteris quæ hactenus
à nobis inducta sunt, hoc sanè colligimus, vt ad precandũ acces-
suri, hac spe atque fiducia diuinæ miserationis preces nostras
muniendas curemus. Sic enim fiet, vt nunquam vacui ab o-
ratione recedamus. Hic igitur, fratres, primus ac maximus
spei fructus est.

Est & alter non minus suspiciendus, quòd videlicet hæc eadẽ
spes cælesti fiducia roborata (qualẽ hactenus descripsimus) in-
credibilẽ homini pio tranquillitatẽ & pacẽ ab omni terrore im-
munem præstat. Quia enim hæc spes Dominũ ad se trahit, qui
(vt ait Propheta) protector est omnium sperãtium in se; idcircò Psalm. 17.
nihil

nihil habet pius homo, cur trepidare debeat, si hanc spē in De
fixam & constitutam habeat. Quisquis igitur huius virtutis me-
rito Deum sibi protectorem, tutorem, & salutis auctorem fec
cur trepidare, cur angi, cur nimia solicitudine contabescere de-
beat, cùm talem intra se patronū & curatorem habeat? Qua-
lum iactura torquere, quæ inopia solicitū reddere, quæ huma
potentia labefactare, quæ persecutio perterrere, quæ homi
vel infamia vel iniuria de statu deiicere queat, cùm omnipo-
tem intra se salutis vindicem habeat, qui persequentibus
stere, mala in bonū vertere, inopiam leuare potest, omniaq
dem electorum suorū saluti deseruire, & in bonū cooperar
1. Petr. 5. cit? Omnem (inquit Petrus) solicitudinem vestram proiic
tes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. O aurea verba, ô m
gnifica promissa cunctis mundi opibus anteferēda! Quid en
formidare, cur solicitus esse debeat, qui cum Propheta dic
potest: Ego autem mendicus sum & pauper, Dominus solici
est mei, hoc est, pro me solicitam curam gerit? Cur ego solici
esse debeam, cùm pro me omnipotens Deus solicitus sit? Q
autem ex hoc sequitur, nisi placidissima pax atque tranquillit
Spes enim non minus timori, quàm desperationi aduersa
pulso autē inani timore, vera atq; firma securitas pacis & tra
quillitatis indiuidua comes & amica consequitur. Si ergo
hanc tranquillitatem & pacem omnium mortalium vota
que desideria aspirant, quantus spei huius thesaurus est, q
nos ad hanc tantam felicitatem prouehit atque perducit?

III.

Si quis autem quærat, cur Dominus tantum virtuti spei tri
buat, cui nihil minus quàm seipsum donat, ad hoc respōdemu
Psal. 49. hac virtute præcipuè Dominum honorari. Honorem autem i
exhibet, quisquis ei sacrificium laudis offert. Sic enim ait: S
crificium laudis honorificabit me. Laudamus verò Dominu
aliquādo quidem verbis, cùm eius misericordiam, & veritate
cæterasque eius virtutes prædicamus: aliquando verò non ta
verbis, quàm rebus ipsis, atque piis actionibus has eius laud
tacendo commendamus. Verbi gratia, Quisquis hac eius pr
missione fideli mente concepta (qui dat pauperi, nunquam eg
bit) seipsum spoliat, vt pauperes vestiat, sibique panem subtr
hit, vt esurientes alat, hic non verbis, sed piis operibus Domi
misericordiam & veritatem commendat, cum hac Domini pro-
missione fretus, quamuis seipsum spoliet, nihil sibi defuturu
credit. Hoc autem laudis genus multò præstantius & magni
cent

centius priori illo esse, hoc exemplo commonstrabo. Dupliciter potest pharmacopola, quam ipse composuit tiriacam commendare, aut cumpluribus eam & magnificis verbis, aut cùm se à vipera morderi, & in tumorem conuerti sinens, adhibito hoc medicamento sanitatem recipit. Hoc igitur in loco quis non videt, longè magis medicinam opere ipso, quàm verbis commendari? Ad hunc ergo modũ longè dignius Dei virtutes attollit quisquis eius misericordia & veritate fretus, in apertum se periculũ coniicit, quàm qui voce tenus has eius laudes & virtutes decantat. Inde adeò fit, vt multò magis spes atque fiducia, quàm quæuis magnifica verba, illum & honoret & laudet. Cùm autẽ Dominus dicat: Qui glorificauerit me, glorificabo eum; mirum non est, si illos ipse singulari quadam ratione glorificet, qui ipsum hac singulari ratione sanctificant. Quod quidem non obscurè Dominus significauit, cùm Moysi & Aaroni vitio vertit, quòd ipsum ad aquas contradictionis non sanctificauerint: quia videlicet non vsqueadeo plenam & perfectam fiduciam de eius paterna cura & prouidentia eo tempore habuerũt. Si igitur qui Deo diffidit, Deum non sanctificat: ergo quisquis illi fidit, ipsum planè honorat atque sanctificat: ideoque multis ab eo donis cumulatur & honoratur. Sed quid mirum, si amator hominum Deus illius fidei innitentes & ad illius opem confugiẽtes, tuendos atque seruandos suscipiat, cùm hucusque etiã fides hominum pertingat? Hoc enim inimicis inimici interdum præstare solent. Inimicus enim inimicum in aliquo periculo constitutum ad se confugientem recipit, illumq; ab inuadẽtibus tuetur, nihil interim de veteris inimicitiæ contentione remittens: quod quidem minimè faceret, nisi hoc ipsum honoris maximi loco duceret. Qualẽ ergo se amator omniũ Dominus sibi confidentibus atque opem suam implorantibus exhibebit? Hic igitur tantus honor quem Deo exhibet qui spem omnem suam in illius fide & misericordia reponit, in causa est, vt se illi Dominus atque opes suas conferat, ipsumque in omni calamitate tuendum atque iuuandum suscipiat. Hoc est igitur, fratres, quod nos ad virtutis huius amorem vehementer excitare debet.

Simil.

1. Reg. 2.

Simil.

IIII.

Sed est tamen aliud, quod maiorem nobis virtutis huius cupiditatem iniiciat, nempe diuinæ offensionis timor, si de eius ope & misericordia vel paululum diffidamus. Quam rem exemplo Moysis & Aaron, cuius paulò superius mentionem fecimus, intelligere

telligere licet: qui quoniam populo ad aquas contradictionis sitiente, non nihil de diuinæ prouidentiæ cura propter perfidiam populi hæsitarunt, in huius diffidentiæ pœnam ab ingressu promissæ terræ prohibiti sunt. Qua de re sic idem Mo-

Deut.4.

ses ait: Iratusque est Dominus contra me propter sermones vestros, & iurauit, vt non transirem Iordanem; nec ingrederer terram optimam quam daturus est vobis. Ecce morior in hac humo: non transibo Iordanem; vos transibitis & possidetis terrā egregiam. Quam quidē pœnā iureiurando firmatam amicissimus Dei Moses, qui facie ad faciem cum Deo loquetur, nullis precibus reuocare potuit. Quod quidem ipse signi-

Deut.3.

ficauit his verbis: Precatusque sum Dominum in tempore illo dicens, Domine Deus tu cœpisti ostendere seruo tuo magnitudinem tuam, manumque fortissimam: neque enim est alius Deus vel in cælo, vel in terra, qui possit facere opera tua: & comparari fortitudini tuæ. Transibo igitur, & videbo terram hanc optimam trans Iordanem, & montem istum egregium, & Libanum. Iratusque est Dominus mihi propter vos, nec exaudiuit me, sed dixit mihi, Sufficit tibi; nequaquā vltrà loquaris de hac re ad me. Ascende cacumen Phasgę, & oculos tuos circunfer ad Occidentem, & ad Aquilonem, Austrumque & Orientem, & aspice: nec enim transibis Iordanem istum. Hactenus verba Mosis: quibus intelligere licet, quàm grauiter & molestè Dominus ferat vel paululum de immensa bonitate & prouidentia sua hæsitare. Quam viri sancti hæsitationem atque nutationem duplicata silicis percussio designauit. Nec enim prior, sed posterior à petra aquas elicuit.

Quæ à me hactenus dicta sunt, fratres, magnum vobis virtutis huius amorem & cupiditatem iniicere potuerunt: quę habita tot fructus parit, neglecta verò tantā diuini numinis ostensionem continet. Verùm scire oportet virtutis huius assequendæ non minorem fortasse difficultatem, quàm vtilitatem esse. Sic enim natura comparatum esse videmus, vt quæ sunt in rebus præstantissima, sint etiam ad assequendum difficillima. Quod in hac virtute deprehendimus: quæ vt præstantissima, ita etiam rarissima est. Itaque animaduertere licet, multos homines pietatem sectantes, variisque virtutum opibus, hoc est, abstinentia, patientia, & misericordiæ atque eleēmosynæ operibus ornatos, qui tamē vbi noua aliqua calamitas impenderit, animum despondent, affliguntur, anguntur, spirituque pusillanimitatis absorbentur, neque deficientem animum diuinæ mi-

serati

ſerationis, & prouidentiæ ſpe fulciunt, atque ſuſtentant: quod non leue infirmæ ſpei atque fiduciæ argumentum eſt. Quod tamen frequenter nec aduertimus, nec delictum eſſe iudicamus, nec in ſacramento confeſsionis huius delicti mentionem facimus: cùm tamen hac animi conſternatione aduerſus diuinam miſericordiam, bonitatem, fidem, atque paternam prouidentiam delinquamus: cui debitum honorem negamus, cùm hoc modo deficimus. An non piiſſimum patrem filius offenderet, qui triſtis ſemper & mœrens incederet, quod dubitaret, an neceſſaria ſibi ad vitæ vſum præbere vellet, cùm maximè poſſet? Hoc ergo peccati genere communem illum piorum parentem oſtendit quiſquis præſidium ab illo calamitate aliqua circunuentus non ſperat. Talem igitur pater ipſe pia increpatione per prophetam caſtigat his verbis: Et nunc quare mœrore contraheris? Nunquid Rex non eſt tibi, aut conſiliarius tuus periit, quia comprehendit te dolor vt parturientem? Mich. 4. Regis enim eſt ſubditos fidei ſuæ commiſſos virtute tueri: conſiliarij verò ratione & conſilio iuuare. Cùm ergo & regem adeò potentem & conſiliarium adeò prudentem habeas; cur, quæſo, mœrore contraheris? His ergo verbis nos Dominus omnem immodicam curam & ſolicitudinem atque triſtitiam ſpe miſericordiæ, & paternæ prouidentiæ ſuæ ab animo excutere vult. Hoc autem modo labantem animum atque penè deficientem regius vates confirmabat cùm diceret: Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi ſalutare vultus mei, & Deus meus. Pſalm. 41. Rurſúmque pro eo quod nos legimus, Dum anxiaretur cor meum, in petra exaltaſti me. Diuus Hieronymus ex Hebræo vertit, Cùm triſte fuerit cor meum, cùm fortis eleuabitur aduerſum me, tu eris ductor meus: fuiſti ſpes mea, turris fortitudinis à facie inimici. Pſalm. 60. Spes igitur, fratres, in preſſuris, & calamitatibus vim ſuam maximè exerit atque declarat, dum inanes metus atque ſolicitudines ab animo pellit. Vt enim perfecta charitas (teſte Ioanne) foras mittit timorem: ita perfecta ſpes inanes formidines, & anxias curas ab animo diſcutit. 1. Ioan. 4. Hinc Propheta, Ecce, inquit, Deus Saluator meus, fiducialiter agam, & non timebo. Eſaiæ 12. Quiſquis igitur immodico timore fluctuat & angitur, nondum fiducialiter agit.

Cùm igitur tanta ſit virtutis huius dignitas, vtilitas, atque neceſſitas, exiſtimo vos omnes magnopere, qua ratione eam adipiſci valeatis, deſiderare. Ad hoc breuiter pro temporis anguſtia

gustia respondemus, orationem, quæ ex intimis præcordiis ad Dominum funditur, præcipuum instrumentum esse, quo hæc pulcherrima virtus à Domino impetratur. Sicut enim cætera Dei dona, ita hoc etiam flagranti & indefessa oratione consequimur. Deinde oratio nostra bonorum operum meritis vacua esse non debet, cùm spes ipsa (vt Theologi docent) ex meritis & diuina gratia pendeat. Hinc Apostolus, Qui, inquit, bene ministrauerint, gradum bonum acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Iesu. Ex quibus Apostoli verbis colligitur, fidele ministerium, spei atque fiduciæ virtute crescere & augeri. Quò enim homo fidelius Deo ministrat, hôc confidentius eius misericordiam postulat. Inter cætera autem virtutum opera, timor Domini præcipuè copulandus est, dicente Propheta: Beneplacitū est Domino super timentes eū, & in eis qui sperāt super misericordia eius. Hac enim ratione spei alacritatē timor temperat, & timoris pusillanimitatem spes corrigit & erigit. Est enim pulcherrima atque saluberrima harum duarum virtutum copula. Peccata verò ante omnia capitali odio detestanda, atque modis omnibus fugienda sunt. Hæc nanque animum ad diuina præsidia, & spem in Deum assurgere conantem, velut ex alto deiiciunt atque pessundant. Id adeò verum est, vt quanuis luctuosa peccatorū recordatio salutaris & necessaria sit, eo tamen tempore, quo labentem animum in spem attollere volumus, ab ea

Simil. supersedendum sit. Quocirca sicut ij qui flumen transmittunt, admoneri solent, ne aquas rapido impetu currentes aspiciat, sed oculos aliò deflectant: ita iis præcipiendum est, vt relicta per id temporis peccatorum consideratione, in ea magis oculos coniiciant, quæ illorum spem erigere atq; fulcire possint.

Quæ sunt autem illa? Primùm quidem immensa Dei pietas & misericordia est. Deinde inexhausta seruatoris nostri merita quæ nobis ipse superno Patri offerenda contulit. His adde diuinarum promissionum veritatem, quibus salutarē opem & misericordiam suppliciter & fidenter ad eam confugientibus promisit: quam pro se Regius vates proponebat, cùm hanc misericordiam postulans adiecit, Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris. Postremò in præterita diuinæ benignitatis beneficia oculos cōiicere debemus, vt ex præteritis noua sperare discamus. Sic enim sancti Patres olim spē suam in Deum

2.Mac.15. fulciebant. Hinc in libr. Machab. legimus, Machabæus autem confidebat semper, cum omni spe, auxilium sibi à Deo affuturum, & hortabatur suos ne formidarent ad aduentum nationum

ad

sed in mente haberent adiutoria sibi facta de cælo, & nunc sperarent ab omnipotente, sibi victoriam affuturam. Videtis ergo, fratres, animosum ducem prætemitorum beneficiorum commemoratione suam & militum suorum fiduciam alere atque fulcire?

Itaque fratres, cùm spes vestra ob meritorum infirmitatem nutare cœperit, continuò ad hæc ipsa, quæ breuiter perstrinximus, mentis oculos attollite, quibus vacillantem atque labantem spem vestram fulcire & sustentare possitis: vt sic tandem huius virtutis merito, & ab instantibus periculis liberari, & diuinis beneficiis affici, & cælestis gratiæ incrementa promereri, & cælestem tandem gloriam aspirante Domino consequi valeatis.

DOMINICA VIGESIMAQVARTA POST PENTECOSTEN CONCIO PRIMA: in qua primùm causæ redduntur cur generale iudicium futurum sit: deinde antecedentia illius signa declarantur.

THE. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neq; fiet.* Matth. 24.



Vanuis innumera sint diuinæ iustitiæ opera, quibus Deus immane odium, quo peccatum prosequitur, ostendit, tria tamen celeberrima numerantur. Quorum duo iam præcesserunt, tertium verò futuro tempori reseruatur. Et primi quidē fuit generale diluuium, quo Deus vniuersum mundum à se recens conditum, aquarum inundatione deleuit: neque quidquā ex eo superesse voluit, nisi quod vna intra se arca cōcludere potuit. Secundum verò fuit, Hierosolymitanæ ciuitatis atque Iudææ vastatio, in qua insignis illa ciuitas simul cum templo flammis exusta, & solo æquata est: & infinita penè hominum multitudo ferro, fame, & peste extincta fuit. Hoc igitur secundū diuinæ iustitiæ opus quadragesimo anno post ascensum Domini in cælum in indignissimæ necis eius vltionem editum fuit. Superest tertium iustitiæ opus, quod in extremo iudicio futurum speramus, in quo omnium seculorum causæ examinandæ, & vel sem-

sempiternæ felicitatis, vel sempiternæ vltionis in omnes h nes sententia ferenda. Prætermisso autem primo illo diui dicij opere, de duobus sequentibus, altero quidem præteri tero verò futuro, deq; signis vtrunq. antecedentibus in ho na sancti Euangelij lectione Dominus disserit. Quia eni statio illa Hierosolymitana velut vmbra quædā & imago ri iudicij extitit, similiaq. fere signa vtriusq. excidij referu ideò de vtroq. simul Dominus agit. Huius verò doctrin dendæ hæc occasio fuit. Cùm Dominus è tēplo egrederetu cesserunt discipuli eius, vt ostenderent ei ædificationes te Quibus Dñs futurorū pręscius ait, Videtis hęc omnia? amē vobis, non relinquetur hic lapis super lapidē, qui nō destru

Cęterùm Domino templū egresso, atq. in mōte Oliueti sidente, accesserunt ad eum discipuli secretò, & ab eo huius tæ ruinæ tempus quæsierunt: Dic, inquiunt, nobis, quando erunt, & quod signum aduentus tui, & consummationi culi. Quia enim discipuli templum illud perpetuò dur rum arbitrabantur, nec vnquam nisi cum ipso mundo ruit ideò de vtraque re simul quærunt, simulque Dominus vtri ruinæ atque iudicij signa prodit.

Prætermissis autem excidij Hierosolymitani signis, quę pręteriere, de futuri iudicij signis, quod omnes speramus, qu que maximè nostra scire refert, in præsenti concione diss mus. Quanuis autem hoc ipsum argumentum in Dominici uentus initio tractari soleat, ea tamen eius vtilitas est (quem modum paulò pòst videbimus) vt non eo tempore solùm, in omnibus penè cōcionibus, tractari meritò debeat. Vt aut hoc vtiliter & religiosè efficere possimus, cælestem opem sa tissimæ Virginis interuentu suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Redde rationem villicationis tuæ, &c. Si quis, fratres, cōn nes Christianorū huius ætatis mores & vitam diligenter co derauerit, eamq. cum fide quam profitentur contulerit, non terit, si vel micam cerebri habeat, non vehementer admirar tantum inter vitæ regulā & vitam ipsam interesse videat. C infideles ipsi si vtrunque perpenderent, vix in animum indu re possent, nos ea vera & firma esse credere, quæ confitem

Cicero de natura deorum. lib. 1.

Hinc Cicero de diuina prouidentia cùm Epicuro Philoso disputans, vel suo, vel Epicuri nomine impossibile esse ait, qui Deum proborum atque improborum rationem haber dat, non dies, noctesque diuinum numen horrere. At nos

tres, hoc ipsum & inconcussa fide credimus, & suppliciorum at-
que præmiorum magnitudinem eadem fide instituti nouimus:
cùm tamen multi ab hoc trepidationis affectu adeò longè ab-
sint, vt vix hoc ipsum illis vnquam in mentẽ veniat. Quid igi-
tur dicemus? Hos ob innumera flagitia quæ passim committũt,
amisisse fidem? Nullo modo. Sed eam multis modis impeditã Simil.
& obscuratam habere. Vt enim arbitrij nostri libertas peccato-
rum multitudine debilitatur, quanuis nõ extinguatur (semper
enim liber ad peccandum, vel non peccandum homo manet)
ita fides quò magis homo delinquit, & peccata peccatis addit,
hoc magis obscuratur & impeditur, nunquã tamen nisi hæresis
perfidia intercidit. Vt igitur lucerna intra modiũ cõdita, splen- Simil.
dorem quidẽ suũ retinet, sed obiectu tamẽ adiuncti corporis ne
aërem illuminet impeditur; ita fides, quę in Christiani hominis
mente in baptismi sacramẽto infusa est, inconcussa semper ma-
net; quanuis peccato intercedente, nõ perinde vt anteà vim suã
exerat, & nos afficiat. Qua de causa huiusmodi fides peccatis
impedita, à Iacobo Apostolo mortua nominatur. Quid er-
go mirum, si quod mortuum est, vim illam & acrimoniam
(quam dum viueret habebat) amiserit? Hoc igitur in causa est
fratres, cur tam multi fidelium, qui fidei lumine instituti, im-
peruestigabiles cælestis gloriæ diuitias, & sempiterna gehennæ
supplicia, piis & improbis constituta, & rationem de tota vita
ad verbum vsque otiosum esse reddendam firmissimè credunt,
flagitiosè tamen viuant: quia quanuis harum rerum fidem ha-
beãt, mortuã tamẽ habet; quæ vitalẽ illã vim, quam anteà habe-
bat, amisit. Cùm igitur fides hoc modo iaceat, operæpretium me
facturum arbitror, si quod fide adeò languida & mortua credi-
mus, ratione etiã apertissima comprobemus: vt quos fortè talis
fidei lumen minus mouet, rationis lumen (quod à Deo quoque
mentibus nostris inditum est) aliquantulum moueat. Vt enim Simil.
lucerna lucernę addita lumen auget; ita rationis lumen fidei lu-
mini adiunctum (quanuis alterius ordinis sit) mentem magis
afficiet atque excitabit. Est autem fidei nostræ fundamentum
quod Apostolus ait; Accedentem ad Deũ oportet credere quia
est; & quia inquirentibus se remunerator sit. Hoc est, vt cul-
tores suos debitis præmiis; contemptores verò, & religionis
violatores debitis suppliciis afficiat. Hoc ipsum igitur quod
Christiana fides prædicat, firmissimæ quoq; rationes ita esse cõ-
firmant: quarum nonnullas hoc in loco afferam. Principio igi-
tur ab ipso Deo opt. max. exordium capientes, illud ante
omnia

omnia statuendum est, Deum ex communi Philosophantium sententia id esse, quo nihil neque maius, neque melius cogitatione atque animo fingi possit. Quod cùm ita sit, necesse est summam æquitatem, bonitatem, summamque fidem & iustitiam in eo esse. Quod si ita est, efficitur sanè, vt bonos quidem summo amore prosequatur, malos verò pari odio detestetur. Si enim boni viri proprium est, vt quo maiori bonitate pollet, eo maiori dilectione & virtutem diligat, & scelus oderit; consequens est, vt infinita illa & summa bonitas summa quidem dilectione bonos, summo verò odio malos prosequatur. Si ergo ad summam hanc bonitatem & iustitiam pertinet, Deũ bonos diligere, malos verò odisse; necessariò fatendum est, eum, quos diligat, meritis præmiis ornare; quos autem oderit, debitis suppliciis afficere. Quod cùm in hac vita non semper fiat, fateamur oportet, esse alteram vitam, in qua quod in hac prætermissum est, impleatur. Quod autem hoc in præsenti vita non omnino fiat, vel inde liquet, quòd plurimi olim fuerint facinorosi & improbi homines, qui iucundissimam vitam, bonisque omnibus circumfluentem in hoc seculo vixerunt: & multi contrà sanctissimi viri (quales olim Prophetę, & plusquã Propheta Ioannes, & martyres omnes extiterunt) qui & durissimam vitam, & acerbissimam mortem cum summo dolore atque dedecore pertulerunt. Cùm igitur neque illi meritis suppliciis sint mulctati, neque hi rursus dum vixerunt, dignis præmiis & honoribus affecti, necesse est, vt alteram vitam esse statuamus, in qua hæc tanta inæqualitas ad iustam æqualitatem reuocanda sit: alioqui, si improbi sine supplicio, & pij sine præmio relinquantur, quonammodo Dei regis optimi, & gubernatoris integerrimi nomen tueri poterit? Vbi eius prouidentia? vbi iustitiæ? vbi erga viros bonos amor, & erga malos odium (quæ in summo Imperatore præcipua esse debet) vbi deniq. ergà pios & bene meritos homines gratitudo?
Simil. Si Leones, si Tygrides, si serpentes in benefactores suos & obsequentes grati sunt, & beneuoli; quomodo hanc tantam virtutem Deo adimemus, qui virtutum omnium fons & origo est, & à quo omnis creaturarum perfectio manat? Huius verò rationis
2. Thess. 1. tanta vis est, vt vel hac vna spe Apostolus Thessalonicenses pro Christo persecutionem passos potissimũ consolatus fuerit, cùm ait: Si tamen iustum est apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini requiem nobiscũ in reuelatione Domini Iesu Christi. Quod perinde est, ac si diceret: Si hoc iustũ est, vt iustus & iniustus meritis à Deo vel præ-

miis, vel ſuppliciis afficiantur (quod negare manifeſta inſania, ac blaſphemia eſt) certiſſimum eſt etiam, veſtrum præmium & illorum ſupplicium à iuſtiſſimo Deo ſperandum eſſe.

Quod ipſum clarius adhuc Abraham Patriarcha ſignificauit, cùm Domino ad Sodomorũ vaſtationẽ pergenti ait: Nunquid perdes iuſtum cùm impio? ſi fuerint quinquaginta iuſti in ciuitate, peribunt ſimul? Abſit à te, vt rem hanc facias, & occidas iuſtum cum impio fiatque iuſtus ſicut impius. Non eſt hoc tuum; qui iudicas omnem terram, nequaquam facies iudicium hoc. Obſeruate, quæſo, quàm alienum ab illa ſumma æquitate ſanctus Patriarcha eſſe crediderit iudicium hoc, cùm toties eandem ſententiam aliis, atque aliis verbis tam acri oratione repetierit.

Aliam quoque huic addam non minus firmã rationẽ. Conſtat verum eſſe quod Philoſophi dictitare ſolent, naturam non deficere in neceſſariis. Quo ſignificare volunt, naturæ auctorẽ & moderatorem Deum in rebus ad animantium vitam tuendã neceſſariis nullo modo deeſſe; ſed omnibus omnia prouidere: at nihil homini ratione prædito magis neceſſarium & conſentaneum eſt, quàm ſecundum rationem viuere. Sic autem viuere, eſt ſecundum virtutis præcepta vitam inſtituere. Virtutis autem ſtudioſus eſſe nemo poteſt, niſi qui mentem puram & ab omni flagitio liberam conſeruauerit. Quis enim non videat verum virtutis decus & elegantiam in puritate mentis præcipuè poſitã eſſe? Hoc enim vel ipſi quoque Ethnici philoſophi confitentur. Qua de re extat præclarè illa Aeſchyli ſententia, Qui non credi, ſed eſſe iuſtus expetit, diligenter arua mentis excolens, virtutis ampla fundit ex ſe germina. Videtis igitur mẽtem præcipuè, quaſi puritatis & innocentiæ fontem excolendam eſſe, à qua cętera virtutum germina oriantur, & ſine qua nulla omnino virtus extare poſſit? Si ergo virtus in animi candore & puritate potiſſimùm ſita eſt, quonammodo internam hanc animi puritatẽ homo conſeruabit, niſi ante oculos eius obuerſetur ſanctus quidam timor iudicis cuncta cernentis, & ab omni etiam vel ſecretiſſimo ſcelere rationem exigentis? Nam vt ſatis cautum ſit humanis legibus quo à publicis flagitiis abſtineamus, quomodo ſine metu diuini numinis nos ab occultis cõtinebimus? quomodo quiſquam inſidioſas blandaſque cogitationes, & natiuæ voluptatis titillationes à corde ſuo velut gehenna flammas excutiet (quod ad virtutis puritatẽ retinendam neceſſarium eſt quæ ſola impuræ cogitationis voluntaria mora amittitur) niſi protinus

nus ad diuini numinis præsentiam, occultissima quæque cogitationum abdita rimantis, expauescat? Si ergo (vt antè diximus) naturæ auctor nihil quod ad vitæ vsum necessarium sit, prætermittit, vera autem virtus maximè omnium necessaria est, & q sine respectu diuini numinis extare nullo modo potest: quis iam negare audeat, diuinum iudicium, hoc est, bonorum malorumque discrimen futurum esse? Quod quidem ipsi quoq. Ethnici intellexerunt; inter quos qui ciuitates legibus fundauerunt & humanam societatem ab iniuria tueri decreuerunt, magna cura religionem statuere, & diuini numinis metum hominibus incutere conati sunt: quòd intelligerent legum præsidia sine hoc salutari metu ad tuendam vitæ innocentiam satis non esse, cùm multa clam scelera patrari possint, quæ legibus minimè vindicantur. Hinc Thales ille Milesius, qui sapientissimus inter septem extitit (vt auctor est Cicero) dicere solebat, homines existimare oportere, Deos omnia cernere, & deorum omnia esse plena. Hac enim ratione fore omnes castiores, & religiosiores. Si ergo insignes philosophi, si vrbium conditores & legislatores, diuini numinis metum, & conceptam de diuina æquitate & prouidentia sententiam ad virtutis & humanæ societatis cultum necessariam esse credebant (sine qua vita hominum feralibus inter se odiis & contentionibus dissideret) necessariò fatendum est, esse diuinam prouidentiam, & bonorum malorumque delectum: sine quo nec vlla virtus, nec iustitia, nec religio, neq; humana societas, aut charitas extare vllo modo poterit.

Cicero.

His igitur rationibus, fratres, apertè liquet quantum in hac parte rationis lumen cum fidei lumine consentiat. Nec mirum, cùm idem vtriusque luminis fons & origo sit. Hinc clarissimi inter philosophos eadem ferè de diuina iustitia & prouidentia quæ nostræ literæ sanctæ sentiunt. Cicero, præstantissimus inter Academicos Philosophus, clarissimum hac de re testimonium perhibet his verbis: Sit hoc à principio hominibus persuasum, Dominos esse rerum omnium atq; moderatores Deos, eaque quæ geruntur, eorum geri ditione atque numine: eosque optimè de genere hominum mereri, & qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religionem, intueri: piorumque & impiorum habere rationem. Quid his, quæso, clarius, quid illustrius, ab homine Ethnico dici potuit?

II. Hu

II.

Huic autem veritati, quæ non fide solùm, sed etiam rationis humanæ lumine constat, aliam huic affinem Christiana religio adiungit: Hoc est, statutum esse à superno mundi iudice diem: in quo non vnius aut alterius, sed cunctorum mortalium causæ & merita ab eo cognoscantur debitisq; aut præmiis aut suppliciis afficiãtur. Sunt autẽ adeò magna atq. tremenda, quæ de hoc iudicio in literis sanctis prædicãtur, vt vix quidquã sit, quod homines magis ad Dei timorem & pœnitentiæ studium inducere possit. Ideò hoc in primis Dominus annũciari hominibus præcipit. Hinc Ioan. in Apoc. ait, vidisse se Angelum Dei per medium cælum volantem, habentem Euangelium æternum, vt euangelizaret illud sedentibus super terram, & super omnem gentem, & tribum, & linguam, magna voce clamantem, Timete Dominum, & date illi honorem: quia venit hora iudicij eius, & adorate eum qui fecit cælum, & terrã, mare, & fontes aquarũ. Hic Angelus Christus Dominus fuit à cælesti Patre in terram missus, vt hominibus non solùm Euangelij gratiam (quæ diuinæ misericordiæ magnitudinem declarat) sed eius etiã erga rebelles iustitiam annunciaret: de qua Apostolus ait, Reuelatur etiã ira Dei de cælo super omnem impietatem & iniustitiã hominum, qui veritatẽ Dei in iniustitia detinent, hoc est, qui veritatẽ, quæ illos dirigere in vita posset, vinctam atque captiuam tenent, nec iuxta illius præscriptionem vitam dirigunt. Itaque cùm multa essent alia, quæ Angelus ille ad permouendos homines comemorare potuisset, huius potissimum mysterij mentionẽ facit, quod hoc sit ad obduratorũ hominũ animos perterrefaciẽdos efficacissimũ. De B. etiã Vincẽtio (qui mira fulsit cõcionãdi gratia) scriptũ est, quod ferè in omnibus cõcionibus suis extremi iudicij districtionẽ auditoribus inculcabat quo factum est, vt multa hominũ millia hac doctrina ad veteris vitæ pœnitentiã prouocaret. Deniq. talia sunt quæ in literis sanctis de hoc iudicio referuntur, tantumque hominum fidem superant, vt posteaquam ea Dominus in hac sacra lectione prædixisset, hanc asseuerationẽ adiecerit: Cęlũ & terra transibunt, verba autẽ mea non præteribunt. Quibus verbis huius diei magnitudinem & inconcussã huius vaticinij veritatẽ cõprobauit, cui nulla humana veritas cõparari potest. Est enim triplex veritatis & certitudinis gradus. Vera enim & certa sunt quę sensu percipimus, quæ aut oculis cernimus, aut manibus contrectamus. Sed certiora sunt quę per demonstrationẽ intellectu cõprehendimus: sensus

enim aliquando fallit: cùm tamen demonstratio, quę intelle-
fit, fallere non possit. Longè tamen certiora sunt quæ Catho
ca fide credimus: vtpote quæ testimonio primæ veritatis in
tuntur. Hoc igitur sibi quisque vestrum persuadeat, fratres
quæ hodie dicturi sumus, quamlibet magna & incredibili
deantur, ipsa tamen esse veritate (si dici possit) veriora, & ad
Simil. mouendos animos potentiora. Solent medici in grauior
morbis septimum quemque diem diligenter obseruare, q
illi criticũ appellant, in quo aiũt naturã ipsam ad vim morb
pellendam acrius incitari. Quo fit, vt si eo die quo aliquam
salutis concipere poterant, æger nihilo melius valeat, peric
sissimè illum ægrotare dicant. Si igitur, fratres, hoc adeò ins
fidei nostræ dogmate (quod ad commouendos animos pot
mum est) nihil obdurati homines cõmouentur, non video q
illis aliud proponi possit, quo ad sanitatem perducantur.

Simil. Sed ais, Si statim à morte priuatum cuiusque sequitur iu
cium, quid necesse est postea commune iudiciũ celebrari? M
tæ sunt causæ, sed illa in primis, quòd hoc maximè ad diu
prouidentiæ gloriam pertinet: quæ non adeò conspicua in
vita est, cùm videamus omnia perturbari, bonos deiici, malo
sublime tolli, innocentes opprimi, & nocentes absolui: qua
iustos quoque interdum commouere solet. Vnde est illud, M
autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei; q
zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns. Iam verò i
Malac. 3. proborũ voces apud Malachiam Dominus describit hoc mo
Inualuerunt super me verba vestra dicit Dominus. Dixistis, V
nus est qui seruit Deo; & quod nobis emolumentum, quia c
stodiuimus præcepta eius, & ambulauimus tristes corã Domi
exercituum? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes, siquidem
dificati sunt facientes impietatem. Hæ sunt voces impioru
malè de diuina prouidentia sentiẽtium, cuius quidẽ iudicia o
culta frequenter sunt, nunquam tamen iniusta. Quæ cùm
sint expediebat vtique ad diuinæ prouidentiæ gloriam has h
minum querelas compescere, diemq. statuere, in quo vniue
mortalium genere spectante atque præsente, magnificaret g
riam suam, & sortes piorum atque impiorum commutaret,
inæqualitatem huius vitæ, alterius inæqualitate pensaret. H
Malac. 4. autem ita futurum esse idem Dominus per eundem Malach
pollicetur, cùm ad illas malorum voces respondens ait: Ecce di
veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi, & om
nes facientes iniquitatem stipula, & inflammabit eos adue

dies dicit Dominus, & non relinquet eis neque radicem neque germen; hoc est nullum omnino bonum, nec in re, nec in spe: id enim radicis & germinis nomine significatur. Subditque, Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius,(id est sanans vos radiis suis) & egrediemini, & salietis sicut vituli de armento, & calcabitis impios, cùm fuerit cinis sub planta pedum vestrorum. Videtis ergo cuius rei gratia hæc dies decreta sit?

Nec solùm ad Dei, sed etiam ad bonorum omnium gloriã, & improborum ignominiam hæc dies destinata est. Quia enim boni viri gloriam hominum propter Dei gloriam contempserunt, & contemptibiles frequenter atque stulti propter Christũ æstimari voluerunt, exigit planè diuinæ iustitiæ æquitas, vt qui terrenam gloriam propter illum contempserunt vniuerso mortalium genere in illo velut totius mundi theatro præsente, pro vita bene acta, & re bene gesta gloriam, & honorem, & æternæ felicitatis præmium recipiant. Quod videntes impij (vt est in libro Sapientiæ) turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subita illa & insperata salute, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ augustia spiritus gementes. Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & cætera quæ sequuntur Sapientiæ 5. Nec modò ad gloriam bonorum, sed ad malorum etiam ignominiam dies illa constituta est, qui cùm Pharisæorum more gloriam hominum dilexerint magis quàm Dei, & metu mundi atque humano pudore ducti, pietatis & religionis opera neglexerint, dignum est, vt hoc publicum dedecus illo die subeant, & eorũ scelera & turpitudines in conspectu seculorum omniũ euulgentur, quemadmodum per Prophetam Dominus comminatur cùm ait: Reuelabo pudẽda tua in facie tua, & ostendam populis nuditatem tuam, & gentibus ignominiam tuam. Atque hoc die implebitur illud Domini vaticinium, Qui me erubuerit, & sermones meos, & filius hominis erubescet eum, cùm venerit in maiestate sua. Hoc autẽ modo erubescit Christum, qui humano pudore ductus, timet ad viuifica confessionis & Eucharistiæ sacramenta frequenter accedere, timet se aliis, cùm res ita postulat, submittere, timet Ecclesiæ limina frequentare, ac denique timet verus Christi seruus apparere. Hũc ergo Christus erubescet, cùm venerit in maiestate sua, hoc est quia tu inglorium duxisti apparere seruum meum, ego inglorium esse ducam tam vilis serui Dominum appellari.

Naum. 3.

Lucæ 12.

 pellari.

pellari. Et quidem hoc publicum improborũ dedecus & ignominia proprium est hominis improbi suppliciũ. Verbera enim & plagæ cum brutis homini communia sunt. Quoniam igitur rationalis creatura in hoc iudicio plectenda est, debuit vtique ea pœna quæ tali creaturæ propria est, puniri: hoc est publica ignominia. Liquet igitur ex iis qua ratione post priuatum cuiusque iudicium, commune omnium expectandum sit.

PARS POSTERIOR.

Nunc de signis quæ iudicium hoc antecedent (de quibus in præsenti Euangelio Dominus) pauca dicamus. Horũ igitur signorum primum et aliorum initium est generalis corruptio vitæ & veræ atq; germanæ charitatis extinctio, quemadmodum
Matt. 24. Saluator ait: Quia abundabit iniquitas, refrigescet multorum charitas. Refrigescente autem charitate, amor sui pro charitate dominabitur. Cui consentit illud Apostoli, In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa. Erunt enim homines amantes se, &c. Primo loco posuit amorem sui. Quod planè sufficiebat ad cætera mũdi flagitia designãda. Radix enim malorũ omnium
2. Tim. 6. niũ cupiditas & immodicus amor sui est. Crescente autem radice malorum, necesse est, vt ipsa mala pariter succrescant, dũ homines nihil aliud quàm seipsos quærunt, nulla pietatis & iustitiæ habita ratione: quod omnium planè malorum extremũ est. Vnde celebratur illa Philosophorum sententia, Vir vituperatur vltimo vituperio, quando nihil facit, nisi propter seipsum. Huius autem tam peruersæ radicis multos nunc surculos ætate nostra videmus, dũ homines adeo sibi proximi sunt, adeoque suis vtilitatibus intenti, vt nec pedem, aut manum ad aliorum vtilitatem mouere, nisi pretio & muneribus inducti sunt.

Secundum signũ quod iniquitatis abundantiam consequitur, est consimilis iniquitatis calamitas. Quia enim iustissima Dei lege pœna sequitur culpam, sicut vmbra corpus, necesse est, vt quomodo crescente corpore crescit vmbra: ita crescente culpa crescat pariter & pœna. Et quia tunc hominum malitia ad cumulum peruentura est, consimilis eam vtique pœna consequitur. Quod apertè Dominus in præsenti lectione exprimit cum ait, *Erit autem tunc tribulatio, qualis nunquã fuit ab initio mundi vsque modò neque fiet. Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua esset omnis caro, sed propter electos breuiabuntur.* Quid, quæso, his verbis formidabilius? quid terribilius? Quæ sint autem calamitates, & plagæ quibus in his diebus mundus affligendus sit, Euangelista Ioannes in Apocalyp. enumerat his penè verbis.

vidi, inquit, aliud signum in cælo magnum & mirabile, Angelos septem habentes septem plagas nouissimas, quoniam in illis consummata est ira Dei. Ex quibus planè verbis apparet de plagis iudicium antecedentibus Euangelistam loqui, quæ omniũ nouissimæ erunt. Subditque, Et vnum de quatuor animalibus dedit septem Angelis, septem phialas aureas plenas iracundiæ Dei viuentis in secula seculorum. Et audiui vocem magnam de templo dicentem, Ite, & effundite septem phialas iræ Dei in terram. Et abiit primus Angelus, & effudit phialam in terram, & factum est vulnus sæuum & pessimũ in hominibus. Et secundus Angelus effudit phialam suam in mare, & factus est sanguis tanquã mortui, & omnis anima vinẽs mortua est in mari. Et tertius effudit phialam suã super flumina, et super fontes aquarũ, & factus est sanguis. Quod quidam interpres exponit ad verbũ dicens, similem tunc futurum mundũ sub Enoch & Helia, qualis fuit sub Mose in Aegypto, quando aquę in sanguinem versæ sunt. Et quartus Angelus effudit phialam suam in solem, & datum est illi æstu affligere homines & igni: & æstuauerunt homines æstu magno, & blasphemauerunt nomen Dei habentis potestatẽ super eas plagas. Et quintus Angelus effudit phialã suam super sedem bestiæ, & factum est regnũ eius tenebrosum, & cõmanducauerunt linguas suas præ doloribus & vulneribus suis. Et sextus Angelus effudit phialã suam in flumen illud magnum Euphratẽ, & siccauit aquam eius, vt præpararetur iter regibus ab ortu solis. Et vidi de ore draconis, & de ore bestiæ, & de ore pseudoprophetæ exire spiritus tres immundos in modũ ranarũ. Sũt enim spiritus dæmoniorũ facientes signa. De his autẽ signis mẽdacibus Apostolus etiã ad Thessalon. & Dominus in præsenti lectione mentionẽ facit cùm ait: *Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna atque prodigia: ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* Hi ergo tres impurissimi spiritus (vt Ioannes deinde ait) procedent ad reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei. Et septimus Angelus effudit phialam suam in aërem, & facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræmotus factus est magnus, qualis nunquam fuit, & facta est ciuitas magna in tres partes, & ciuitates gentium ceciderunt, & omnis insula fugit, & montes non sunt inuenti. Hactenus verba Apocalyp. In his porrò septem plagis meritò interpretes credũt vel explicari, vel figurari omnes plagas, quæ in hodierna sancti Euangelij lectione continentur.

 Quid

Quid deinde? Statim autem (ait Dominus) post tribulationē dierum illorum, *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suū, & stellæ de cælo cadent*, hoc est cadere videbūtur, *& virtutes illorū*, hoc est facultates, & influentiæ eorum *commouebuntur*. Atque ita demum omnia inferiora corpora, quæ earum vi & potestate aguntur, variè afficientur, & insolitis motibus trepidas hominum mentes perterrefacient.

Post hæc verò priora signa tandē apparebit signū filij hominis in cælo. Ante cælestis quippe regis aduentū triūphale crucis vexillū Sole ipso splēdidius apparebit. *Et tunc* (inquit Dñs) *plangēt omnes tribus terræ*. Quia videlicet in illo signo impij dānationē suā apertè videbunt. Infideles quidem, quia crucē Dñi blasphemarūt: mali verò fideles, quia tāto hoc beneficio atq. remedio vti noluerūt. Tātò enim (vt ait Emissenus) erunt grauiora humana delicta, quātò magis se extenderūt diuina beneficia. Vnde credendū est (ait) illā vocē resurrectionis pretiosa crucis vestigia protestantē, etiā in iudicio suo Dñm ad vasa iniquitatis prolaturū atq. dicturū: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & agnosce quæ pro te & à te, impietas humana, pertulerim. Illa vtique clauorum signa bonis salutaria, & malis terribilia, quæ vsque ad diem iudicij non debentur, sine dubio obiicienda seruantur. Hæc ille. Nec solùm ingratitudinem nostram, sed desidiam quoque & socordiam crux illa damnabit, & inexcusabilem reddet. Qua enim ratione se improbus homo ante Dominicæ crucis conspectū purgare poterit, quæ efficacissimū infirmitatis nostræ atq. malorū omniū medicamentū est? Vnde ad quæuis alia crimina vtrunq. respōdere poterit improbus homo, ad hæc nullo modo poterit. Si enim illi obiiciatur, Rapuisti, adulterasti, maledixisti, peierasti, blasphemasti respōdere poterit, Infirmus erā, in peccato cōceptus erā, ad malū procliuis erā, impura carne septus erā. At cùm iudex ipse respōdeat, Nūquid resina nō est Galaad, aut medicus non est ibi? Quod perinde est ac si diceret, An nō erāt in Ecclesia medicamenta, nō erant sacramenta, quæ ex latere meo fluxerunt? non erat confessio præteritorum malorū remedium? & Eucharistia futurorum antidotum? non erant in cruce mea vehementissima charitatis incitamenta, & altissimæ humilitatis, patientiæ, obedientiæ, & virtutum omnium clarissima exempla, quibus infirmitati tuæ consulere posses? Quare ergo non est obducta cicatrix filiæ populi mei? Hoc est, quare vulnera tua his medicamentis non curasti, quæ cælestis medicus precio sanguinis sui cōparauit, tibiq; gratuito contulit? Quid

ergo ad hæc miserandi homines respondebunt? quid pro se dicent? quid facient? Certè quod Saluator hoc in loco ait: *Tunc plangent omnes tribus terræ.* Et quidem vox illa, *Tunc*, non vulgarem emphasim habere mihi videtur. Tūc enim frustra plangent, qui nunquam in hac vita, in qua plangendi tempus erat, plangere voluerunt. Tunc seipsos accusabūt, qui nunquam dū viuerent, accusare voluerunt, Tunc peccati malitiam atque deformitatem agnoscent: quam dum in hoc seculo agerēt, agnoscere noluerunt. Tunc & sero quidē & frustra intelligent amentiam & cæcitatem suam, & dolos quibus eos dæmon atq. mundi fallacia dementauit: qua delusi, reliquerunt iter rectum, & ambulauerunt vias difficiles ac tenebrosas. Itaque dicent: Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis: ambulauimus vias difficiles viam autem Domini ignorauimus. Tunc velut attoniti amentiam suam obstupescent, cùm recolant se propter res nihili hoc est propter exiguum lucellum, propter popularis auræ vanitatem, aut fœdas carnis voluptates sempiterna bona perdidisse, & in nunquā finienda mala incidisse. Quid enim dementius, quid insanius, quàm propter momentaneam voluptatem æternum supplicium subire voluisse? Hoc cælum, hoc terra, hoc muta elementa, hoc saxa ipsa atque marmora, si id quidem fieri potuisset, lamentarentur & obstupescerent. Hanc enim mentis cæcitatē, has horrendas hominū tenebras nobis insinuat quinta illa plaga, cuius superius meminimus, in qua quintus Angelus phialam suam supra bestiæ sedem effundens, fecit regnum eius tenebrosum. Quo significare voluit, omnes qui sub rege diabolo militant, sic tetris atq; horrendis tenebris circunfusos esse, vt hæc tam aperta præcipitia, & hanc tantam errorum voraginem obcæcatis oculis minimè videant. Tunc prætereà plangēt, cùm ad mentem reuocent admonitiones, consilia, & Ecclesiæ voces, quibus ea à prauis itineribus ad viam veritatis reuocare improbos nitebatur, ad quas semper obsurduerunt, quibus si aliquando parere voluissent, nunquam in eam infelicissimā sortem incidissent, in qua illis spes omnis salutis adempta est. Itaque idem illis eueniet, quod immorigeris atque rebellibus filiis contingere solet: qui cùm à matribus admonentur, vt à maleficiis abstineant, ne in capitis periculum incidant, consilia salubria contemnentes, à lictoribus tandem ob maleficia comprehensi, ad supplicium trahuntur. Tunc enim maternas admonitiones ad mentem frustra reuocant, cùm iam nulla spes salutis reliqua maneat. Sic igitur infelicibus istis in extremo iudicio eueniet, Simil.

eueniet, qui serò tunc sapient, cùm nullus iam neque pœnitentiæ, neque lachrymis, neque precibus locus futurus sit. Q circa si quis hunc tantum animi cruciatum vitare cupit, m dum pœnitentiæ tempus est, opportunè sibi consulat.

II.

Hæc sunt, fratres, antecedentia diem iudicij signa: quorum sola commemoratio tantoperè animas nostras concutit, qui ciet iudicium ipsum, cuius hæc signa sunt? Si hæc dolorum tia, qualis finis & cõsummatio, nisi dolorum omnium sum Quale erit videre formidabilem illum iudicem astantibus gelorum choris, & toto cælestis curiæ senatu? Quale erit vi horrendum illud supremi iudicis fulmen, cùm ad impios uersus dicat: Discedite à me maledicti in ignem æternum, paratus est diabolo & angelis eius? Quis poterit tonitrui hu magnitudinem sustinere? Quam lugubre quæso erit hom (inquit Eusebius) Deum videre, & perdere, & ante precij perire conspectum! Quid tunc animi habebit, cùm alios il (erogante Domino) percipere viderit illęsæ & integrę fidei b uium, candidæ thesaurum castitatis, fructus misericordię, tale ra iustitiæ, cùm indigna sibi sorte cõspexerit nouissimos de p mis fieri, & de nouissimis primos pauperes supra diuites, ser supra Dominos glorificari, se autem inter hæc videat cum p catis suis de spectaculo felicitatis doloris initia reparanté? H ctenus Euseb.

Nunc ad vos, fratres. Si hæc ita esse adeò certum est, vt ini statim huius concionis exposuimus, quomodo tam securè ag mus, & in vtramque aurem dormimus, quomodo tãtus hic m lorum impendentium cumulus neque nos concutit, nec à m lis reuocat, nec ad bonum prouocat, nec solicitos magis fac quàm si hæc omnia vel meræ nugæ, vel puerorum territamen essent? Si hæc omnia Catholica fide tenemus, quomodo nõ corde & corpore contremiscimus? Hoc enim inter periculorum imaginationem atq; opinionem distare Philosophus ait, quò periculorum opinio timorem incutit, quem non incutit sola ne opinione imaginatio. Si enim domum hanc supra me ruitu ram opinor, vehementer timeo: si verò sola hoc imaginatio cogito, nihil timeo. Si ergo sola impendentis periculi opini imo & sola suspicio me pauidum atque solicitum facit, quom do, quæso, tantorum malorum non suspicio aut opinio, sed Ca tholica fides omni certitudine certior non me pauidum ac soli citum faciat? Quid ad hoc respondere possimus, prorsus igno

ro, nisi quod vehementer timeo multos esse nunc Pharaones in mũdo, qui iusto Dei iudicio obdurati excæcatiq; sint. Hic enim cùm tot diuinæ iustitiæ signa vidisset, totque minis & plagis admoneretur, nihilominùs tamen in pertinacia sua obfirmato animo perstitit. Quam eius peruicaciam imitari videntur, qui signa plagasq; his longè maiores & audientes & inconcussa fide credentes in sceleribus suis infixi atque immoti iacent.

Sed dicetis forsitan, Quid igitur faciemus, vt hæc tanta mala effugere valeamus? Multa sunt, quæ fieri necesse est; sed illud in primis, vt hæc ipsa quæ diximus, frequenter ad memoriam reuocetis, & futurum hoc iudicium, æternumque suppliciũ vobis ante oculos assiduè proponatis. Hoc ipsum apud Climacum legimus sanctum quendam cuiusdam monasterij coquum facere solitum; qui cùm ab eodem Climaco rogaretur, qua ratione tãtam à Domino gratiam percepisset, respondit se consideratione illius ignis (quem in culina semper aspiciebat) inextinguibilis ignis memoriam perpetuò renouare: cuius consideratio vehementer ipsum ad virtutis & religionis studium incitabat. Hac eadem pœnarum æternitate stupefactus & attonitus Propheta, Meditatus sum, inquit, nocte cũ corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum. Quid autem cogitabat, nimirum inextinguibilis huius ignis æternitatem, & implacabilem diuini numinis iram. Subdit enim, Nunquid in æternum proiiciet Deus? aut non apponet vltrà, vt complacitior sit adhuc? aut in finem misericordiam suam abscindet à generatione in generationẽ, aut obliuiscetur misereri Deus? & continebit in ira sua misericordias suas? Videte quã multis verbis eandem æternitatis sententiam repetierit? Sed singula, quæso, huius loci verba expendamus. Meditatus sum, inquit, nocte cum corde meo. Nocte, inquam, (cùm omnia silent nec tumultuantis familiæ strepitus mentis aciem aut perturbat, aut alio deflectit) tunc, inquam, terrena omnia atque temporaria infra me relinquens, in ipsam æternitatem quæ omne tempus continet mentis oculos attollo; & non modò sempiternam beatarum mentium felicitatem, sed sempiternam etiam improborum pœnam considero: quibus videlicet nullus ad diuinam misericordiam promerendam aditus patet: quæ res vsqueadeò animum meum stupefacit, & attonitum reddit, vt in hæc admirationis verba prorumpere faciat: Nũquid amator hominum Deus quos ad imaginem suam condidit, & acerbissima morte redemit, in æternum à se ablegaturus & proiecturus

cturus est? neque vllis aut precibus aut sacrificiis placandus? Itáne fiet, vt gratiæ ac misericordiæ suæ flueta à generatione in generationem, hoc est, in omnia secula seculorum abscindat, neque illam fluere solito cursu patiatur? Itáne fiet, vt obliuiscatur misereri Deus, qui ab ipso mūdi exordio etiam cùm improbos puniuit, nihil vnquam fecit, quod non misericordiæ suæ sale condiret? quique nulla magis re quàm misericordiæ operibus summam sibi gloriam comparauit. Quî ergo fieri potest, vt eius obliuionem capiat, in qua semper versatur? Denique cui is, cui semper proprium est misereri & parcere, tantum iræ suæ permittet, vt misericordiam, quæ in omnibus eius operibus elucet, quasi vinctam & captiuam teneat? Huius ergo æternitatis consideratione stupefactus, sic vitam meam instituere decreui, vt ante tremendi iudicis tribunal iudicatus appaream, non iudicandus. Scio enim eos qui seipsos iudicant, à Deo minimè iudicari. Ad hoc autem opportunum noctis tempus elegi, vt cùm alij quietem & somnum carpūt, ego attentus vigilem, diligenterq; spiritum meum scopere studeam. Hoc autem facio, cùm omnes peccatorum meorum sordes pœnitentiæ lachrymis diluo, & omnes annos meos recogito in amaritudine animæ meæ. Nec contentus hac ratione præterita mala purgasse, non minori cura vitare futura propono. Itaque omnia conscientiæ meæ latibula scrutor, vt quidquid siue loquendo, siue indigna cogitando deliqui, à meis moribus & vita procul repellam. Si igitur aliquando me de proximis meis obloquutū deprehendero, dabo operam, ne deinceps in hunc lapsum incidam, & apud me statuam, alienam vitam alienaque facta instar vetiti ligni esse, cuius mihi fructus semper interdictus sit. Si enim de quocunq; verbo otioso in die iudicij rationem reddituri sumus, quid de scurrilibus verbis, quid de cōtumeliosis, quid de maledicis, quid de impudicis, quid de his, quibus fama proximi denigratur, vel odia & discordiæ inter fratres aluntur, censendum erit? Ab his ergo verbis omnibus tanquam nautæ à scopulis in mari fugiendum esse mihi decerno. Et ad hoc præstandum hac voce opem Domini implorabo: Pone Domine custodiam ori meo, & ostiū circunstantiæ labiis meis. Nec ori tantum, sed etiam cordi frænos iniiciam, nec illud vltrà præscriptos sibi à Deo fines licenter vagari permittam. Si igitur tardius impuræ cogitationi obstiti, deinceps vigilantissimam curam adhibebo, vt cùm primū fœda cogitatio mentem meam titillare cœperit, nulla interiecta mora, illam ceu aliquam gehennæ scintillam à me protinus excutiam:

tiam: vt sic tandem pectus meum quod sibi Dominus in domicilium elegit, purum integrumque custodiam. His igitur rationibus scopam atque mundabo spiritum meum. Ad hunc ergo modum vir sanctus nocturno tempore exercebatur: qui enim hoc faciũt, etiam cùm quieti sunt, in virtutum officiis exercentur: vt enim D. Bernard. ait, cõsideratio regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat & ordinat. Rectè ergo vir sanctus, Exercitabar, inquit, & scopebam spiritum meum.

Quid nos ad hæc dicemus, fratres, qui has tam lõgas hyemis noctes non in hac pia meditatione, sed in somno aut chartarum ludo insumimus, cùm sancti omnes per cruces, & varia certamina, atque durissima carnis & spiritus prælia cæleste præmiũ fuerint assequuti. Cur, quæso, vel vnam tantum noctis horam huic studio non impendimus? Planè fateor me nunquam satis mirari, quid sit in causa, cùm homo duabus partibus adeò inter se distantibus, corpore videlicet atque anima constet, quarum altera mortalis, altera immortalis atq; diuina sit, quatuor & viginti horas belluinæ partis obsequio tribuat, & ne vnam quidẽ ex tot horis Angelicæ portioni impendat. Quid, quęso, minus à nobis exigi potest, quàm vt vel vnam horam animæ saluti, imo & immortali substantiæ, quæ perpetuò duratura est, impendamus, cùm celeriter interituro corpori totius vitæ spatia concedamus. Verè enim totam æternitatẽ hac pia exercitatione in tuto collocabimus. Quanuis enim ea sola ad salutem animæ parum sit, pius tamẽ & misericors Dominus, qui abundãtia pietatis suæ & merita supplicũ excedit & vota, reliqua omnia suppliciter petentibus elargietur. Huius ergo vatis exẽplo assidua æterni supplicij meditatione, scrutetur vnusquisque conscientiæ suæ latebras, & scopere studeat spiritum suum. Videat diligenter an superbia, an ira, an auaritia, an impudicitia, an proximi odium, an vindictæ cupido, an iurandi, vel detrahendi, vel maledicẽdi, vel malè precandi, praua consuetudo, vel quoduis aliud crimen in ipso dominetur, illudque Prophetæ huius exemplo tereti pœnitentiæ scopa mundare, & nouum deinde hominem induere studeat. Sed heu me miserum, fratres, cùm hęc dico pudore suffundor, & quadam animi cõsternatione frangor. Eò enim concionandi officium deuenisse video, vt verbum Domini nobis in carmen musicum versum sit: quod quidem ideò solùm auditur, vt aures demulceat, non vt mores & vitam corrigat atque componat. Quæ consuetudo facit, vt cùm concionator di-

uini

uini iudicij æternique supplicij commemoratione auditorum animos perterrefacere studet (quo fulmine nullum in literis sanctis terribilius atque formidabilius est) nihilo magis hac tanta re proficiat, quàm alia quacunque doctrina. Itaque euenire nobis video quod bombicibus iis contingit qui fila serica nectunt. Quia enim hæc animalcula grauiter tonitruis læduntur, solent quibus eorum cura est, tympana frequenter pulsare, vt hoc leuiori sonitu assueta, cùm tonitrua increbruerint, minus lædantur. Ad hunc ergo modum cùm solitas Ecclesiæ voces atque conciones quibus mysteria leniora tractantur, sine vllo fructu audiamus, fit, vt cùm eadem Ecclesia hodie proposita diuini iudicij magnitudine tonat ac fulminat, nihilo magis quàm cæteris concionibus hoc tanto fulmine concutiamur. Itaque vehementer timeo, ne in nos vox illa Prophetæ cadat: Insanabilis plaga tua, pessima plaga tua. Quod tantum malum à nobis Dominus, quos sanguinis sui precio redemit, procul pellere dignetur, & sic vitam nostram dirigat vt (quemadmodum Euseb. Emiss. ait (quod nobis Dominus contulit iudicatus, in nobis inueniat iudicaturus.

IN EADEM DOMINICA VIGESIMA QVARTA POST PENTECOSTEN CONCIO secunda: in qua post Euangelicæ lectionis explanationem de excidio Hierosolymitano propter peccata populi immisso, & de magnitudine diuinæ iustitiæ, & peccati grauitate atque malitia agitur.

THE. *Cùm videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto, qui legit, intelligat.* Matth. 24.



Iniunctur hodie Euangelia Dominicorum dierũ, quæ inter Pentecosten & aduentum Domini ab Ecclesia leguntur. Est autem materia huius lectionis Euangelicæ, doloris ac timoris plenissima. Agitur enim in ea de duobus maximis iudiciis, quæ in diuinis literis continentur: nempe de communi totius mundi, & de singulari Iudaici populi iudicio: quo videlicet

licet Dominus dilectissimum populum (quem ab initio fouerat atque dilexerat, & miris beneficiis ornauerat.) Romanorũ armis vastandum ac demoliendum tradidit. Sed quoniam de extremo iudicio in aduentu Domini dicturi sumus; de hoc singulari in præsenti Concione disseremus. Quod vt piè & religiosè tractare possimus, cælestem opem sacratissimæ Virginis interuentu suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Cùm videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat. Hoc in loco Dominus Danielis Prophetæ clarissimum vaticinium citat. Cùm verò ait, Qui legit intelligat; attentos nos facit, magna in hac desolatione mysteria latere significans, quæ non est huius temporis atque instituti persequi. Solùm id assumo, quod non segniter Dominus animaduerti voluit: nempe vastationem ciuitatis & templi post mortem Christi à Propheta prænuntiatam, quæ est ineluctabile argumentum aduentus Christi. Si enim post eius mortem ciuitas illa desolanda erat, & desolatio perpetuò duratura prædicatur, sequitur ergo Messiam non modò iam venisse, sed etiam pro mundi salute immolatum fuisse. Quia igitur salutis & vitæ nostræ fundamentum fides in Christum est, quæ hoc argumento euidentissimè confirmatur, ideò Dominus ait: *Cùm videritis abominationem, &c. qui legit, intelligat*: hoc est. Quisquis desolationem hanc viderit, manifestè colligat venisse ac passum esse iam Christum, post cuius aduentum & mortem abominatio desolationis consecutura erat. Vocat autem illam abominationem; quoniam ab idololatris & abominandis hominibus ciuitas vastata est: nempe ab exercitu Romanorum. Neque enim respublica illa delenda erat, donec ea mundo pareret Saluatorem. Ideò neque dux de fœmore Iuda defuturus erat, neque templum illud ruiturum: quæ duo perfectam reipub. formam constituunt.

Deinde incipit Dominus magnitudinem huius vastationis exponere: *Tunc* (inquit) *qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.* Tanta enim erit vis atque potentia inimicorum, vt nulli nisi perfugam pateat aditus ad salutem. *Fugiant* (inquit) *ad montes*, vt inter feras tuti lateāt, quibus inter homines nullus erit tutus latendi locus. Exaggeratque deinde fugę necessitatem, cùm ait: *Qui est in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua, & qui in agro,*

in agro, non reuertatur tollere tunicam suam. Tanta enim erit fugiendi velocitas atque necessitas, vt relictis omnibus, vitæ suæ quisque consulat. Quid igitur qui fugere non poterunt? Horũ miserrimam conditionem protinus exponit, cùm ait: *Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus*: quæ videlicet dum vel ventrem gestant, vel pueros lactant, ad fugiendũ minus expeditæ sunt. Atque ad hoc ipsum facit, quod deinde sequitur: *Orate ne fuga vestra fiat in hyeme vel Sabbatho*, quando non licet longum iter conficere. His omnibus modis vastationis huius magnitudinem, & ineluctabile malum Dominus significauit, quemadmodum & alibi dixit: Sunt enim hi dies vltionis, vt impleantur scripturæ Prophetarum. Rursumque alibi: Erit enim (inquit) ira magna populo huic, & captiui ducentur in omnes gentes, & Hierusalem calcabitur à Gẽtibus, donec impleantur tempora nationum. Hactenus de vastatione & singulari iudicio populi sui Dominus dixit: quæ verò sequuntur ad vniuersale iudicium pertinere videntur, de quo alibi dicemus: nunc de priori dicamus.

Lucæ 21.

Ibidem.

I.

Inter ea, quæ ad Christianam vitam requiruntur, timor Domini & peccati odium præcipuè numeratur. Odium enim peccati reuocat à malo: timor verò Domini non solùm reuocat à malo, sed incitat etiam ad bonum: Iuxta quod scriptũ est; Qui timet Deum, nihil negligit. Ideoq; dãda opera nobis est, vt hos duos affectus altissimè animo nostro imprimamus. Et de timore quidem Domini Climacus ita dicit: Caue qui luges, ne vnquam canem illum excipias, qui tibi misericordem Dominum pollicetur. Agit enim hoc, vt abs te luctum & securissimum depellat metum. Tunc solùm misericordiam eius tibi pollicere, cùm te desperatione absorberi videris. Vterque autem hic affectus ex eodem fonte manat: hoc est ex consideratione diuinorũ iudiciorũ & suppliciorum, quibus Dominus sceleratos homines afficere solet. Hæc enim & quam sit diuina iustitia formidabilis & peccati malitia execrabilis, facilè declarant. Inter omnia autẽ supplicia, quæ post diluuiũ propter peccata immissa sunt, maximum huius Hierosolymitanæ desolationis supplicium extitit; de quo nunc nobis disserendum est.

Eccles. 6.

Climacus.

Atque vt rem omnem altius à prima origine repetamus, tria mihi de hac re dicenda esse videntur. Primum quàm gratis, hoc est absque vllis præcedentibus meritis Hebræorũ gentem Dominus in populum suũ atque hæreditatem elegerit. Deinde quàm poten-

potenter & magnificè illum exaltauerit. Ac postremò (vbi peccatum intercessit) quàm grauiter & seuerè de illo supplicium sumpserit. Per quæ omnia facile erit non solùm diuinæ iustitiæ (de qua nunc sermo est) sed etiam diuinæ misericordiæ magnitudinem intueri: hoc est, quàm mirabilis in vtraque iuxta re sit Dominus, & in hominibus eligendis, & in peccatoribus puniendis; quàm diues in misericordia, quàm diues item in iustitia. Deniq. quomodo Dominus in vtroque appareat, verè magnus: magnus in miserendo, & magnus in vindicando: magnus in amore hominũ, & magnus in odio vitiorum: magnus cũ dona benemeritis tribuit, & magnus cùm plagas improbis immittit.

Principio igitur (quo doctrina hæc latius pateat) ab illa quæstione ordiamur, num electio & vocatio Dei ex meritis hominum, an ex sola gratia procedat. Omissis autem ambagibus, illud tenendum est: videlicet, tam electionem, quàm vocationẽ Dei ex sola eius gratia & misericordia, non ex meritis hominũ proficisci. Quam rem apertè cõfirmat Apostolus, cùm ait: Elegit nos Dominus antè mundi constitutionem in Christo, vt essemus sancti & immaculati coram ipso. In quibus verbis apertè videmus ordinem & causam electionis diuinæ. Non enim quia præuidit homines sanctos futuros ideò elegit eos: sed ipse potius elegit, quos sanctos faceret & immaculatos. Non ergo sanctitas nostra diuinæ electionis causa fuit, sed diuina potius electio iustitiæ & sanctitatis nostræ causa est. Quã rem Israëlitici populi electio nõ obscurè declarat. De qua sic Moyses in Cantico: Constituit terminos populorũ iuxta numerũ filiorũ Israël. Hoc est (vt interpres quidã ait) tot erãt populi, & adhuc plures, quot erant capita & singulares personæ Israëlis: Et cùm tã multi essent Gentiũ populi, ex tot gentibus & linguis solos tantùm filios Israël in populũ & peculiũ sibi Dominus elegit. Vnde ait: Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius. Quod beneficiũ amplificans Moyses ait: En Domini Dei tui cælũ est, & cælũ cæli: & tamen patribus tuis cõglutinatus est Dominus, & elegit eos & semen eorum post eos. Quod perinde est, ac si diceret; Non egebat Deus vestro famulatu: qui cælorũ Dominus est; neq; ipso etiam cælorum ministerio, qui seipso beatus est: neq. vlla etiam domo indigebat, cui cælum sedes est, & terra scabellum pedum eius: & tamen qui talis ac tantus erat, nulla sua necessitate, sed sola bonitate elegit vos atq; dilexit, & non vulgari quidẽ, sed arctissima dilectione. Id enim significat, cùm ait: Conglutinatus est, &c. Tali ergo amore cælorũ Domi-

Ephes. 1.
Deut. 32.
Deut. 10.
Esaiæ 66.

nus patres veſtros complexus eſt, & eorum filios antequã in lu
cem ederẽtur. Ne verò rudis aliquis exiſtimaret propter inge
tes aliquot naturæ dotes aut populi magnitudinẽ eũ fuiſſe e
ctũ, ait rurſum: Non quia cunctas gẽtes numero vincebatis,
bis iunctus eſt Dominus, & elegit vos (cũ omnibus ſitis popu
pauciores) ſed quia dilexit vos, & cuſtodiuit iuramentum qu
iurauit patribus veſtris. Nihil igitur erat in illo populo ſiue
tiæ, ſiue naturæ, ſiue fortunæ, quod Dominũ ad huius tant
ctionis gratiam excitare potuiſſet. Nam quod ad religionẽ
net, veriſimile eſt, filios Iſraël in Aegypto ſub dęmonis pote
te fuiſſe, & idôla coluiſſe. Quod verò ad natiuam indolem,
acumen ingenij, & magnitudinem animi attinet, quid mag
aut pręclarum in tã humili fortuna ſpectari potuiſſet? Sapien
enim à Philoſophis dictum eſt, Seruitutẽ homini dimidiũ ad
mere iudicij: paupertatẽ autẽ dimidium animi. Hinc eſt, qu
ſeruorum ingenia viliſſima ſunt, vtpote infimis rebus inten
pauperũ verò animi parum generoſi ſint, vtpote qui nihil ſi
opibus præclarum moliri audeant. Quod vtrumq. in hunc p
pulũ cadebat. Qua ex re liquet, nihil præclarum in illo popu
fuiſſe, nihil ſpectabile; ſed omnia vilia, abiecta, rudia. Quá e
ruditatem apertiſſimè extrema illa dementia declarat, qua m
rante diutius Moyſe in monte cum Domino, ad Aaronẽ co
uenientes dixerunt: Fac nobis Deos, qui nos præcedant, Mo
enim huic, qui nos eduxit è terra Aegypti, neſcimus quid ac
derit. Quod perinde eſt, ac ſi dicerent, Hic Moyſes, qui no
promiſit ſuis ex terra Aegypti eduxit, intelligens ſe quod pro
miſit implere non poſſe, vt nos videlicet in terram lacte & me
le manantẽ introduceret, pudore & metu correptus in recond
tas rupes, aut obſcura nemora ſe abdidit, nosq́ue dereliqu
Quocirca tu nobis Deos fac, qui nos in hoc itinere præcedan
quorum auſpiciis & virtute Chananæorum terram occupa
valeamus. Animaduertite, quęſo, fratres, cęcitatis huius magn
tudinem, Ab homine exigũt, vt Deos faciat. Quis hoc truncu
aut ſaxum poſtularet? Quin & illud non minoris inſaniæ co
flato iam vitulo dicunt, Ecce dij tui Iſraël, qui te eduxerunt
terra Aegypti. Recentiſſima adhuc extabant inſignia illa mi
cula, atque portenta quæ Dominus in eorum gratiam patrau
rat, præſertim cùm ipſis etiam ſtupentibus vndis per mediũ ma
ris nouum & inuium humanis greſſibus inter aperuit; & Pha
langes, atque currus Pharaonis contortis iter ſe maris vortic
bus ſubmerſit; tamen ea cæcitatis magnitudo eorũ mentes o

presse

presserat, vt conflato recenter vitulo dicerēt: Ecce Dij tui Israël qui te eduxerūt de terra Aegypti. Satis vel hoc vno argumento liquere puto fratres, quanta eo tempore fuerit huius populi ruditas & ignorantia, vt omittam eius rebellionem, & perfidiam, quæ hoc eodem indicio perspicitur.

II.

Nunc id quod secundo loco proposuimus videamus: videlicet, quàm potenter hunc Dominus populum amplificauit, quē tam gratiosè elegit. Primò quidē eduxit de Aegyptiaca seruitute, occidit propter eū primogenita Ægyptiorū, vastauit vniuersam terrā Aegypti, perfudit cælos tenebris, maria constrauit, eduxit aquā de petra, pluit illi manna de cælo, præcessit eum per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, metaturq́. ipse locum, in quo castra ponere deberent. Vbi verò in terram promissionis ventū est, perpetē Iordanis meatū in fontē retorsit, vt siccis vestigiis per arentem alueum populus transiret. Ipse etiā muros ciuitatis diruit, ipse pro eis de cælo immissis lapidibus grandinis decertauit, solemq́ue in medio cæli stare fecit immotum, vt victori populo diem faceret longiorem. Sed hæc terrena sunt, & ad corpus magis spectantia. Illud verò maximū, quòd ipse legem dedit eis vitæ & disciplinæ, eamq́ue digito suo scribere dignatus est; qua iter illis ad immortalitatem & beatam vitam pateret. Cuius beneficij magnitudinem non tacuit Propheta, cùm dixit: Quæ est enim gens sic inclyta, quæ habeat cæremonias, iustaq́. iudicia, & vniuersam legem, quam ego proponam hodie coram oculis vestris? Non enim fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Denique adeò benignè ac clementer eos Dominus toto hoc itinere deduxit, docuit, seruauit, atque defendit; vt ductor ipse Moses in Cantico dicat: Circunduxit eum, & docuit, & custodiuit quasi pupillam oculi sui. Sicut Aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans. Expandit alas suas, & assumpsit eos, & portauit in humeris suis. Quibus igitur aliis verbis paternam erga hunc populum prouidentiam potuit Dominus significare, quàm his quibus testatur se eos tanquam pupillā oculi custodisse? Quid enim diligētius, quàm pupillam oculi custodimus? Quid illud etiam, quòd instar Aquilæ alas suas expandit, & portauit in humeris suis? Quoties verò ministros suos ad eos delegauit; nempe Angelos, Prophetas, Patriarchas, aliosq́ue sanctissimos viros? Quot eis insperatas victorias & auxilia de cælo in rebus afflictis & penè

Exod. 12.
Ibid. 10.
Ibid. 16.
Ibid. 17.
Ibid. 13.
Iosue. 3.
Iosue. 6.
Iosue. 10.
Deut. 4.
Deut. 32.

conclamatis misit? Iam verò quis delicias verborum, quibus eos Dominus cōpellat explicare queat? Modò enim populum suū, modò peculium, modò partem suam, modò funiculum hæreditatis suæ, modò vineam suam & germē delectabile, modò regnū sacerdotale; hoc est, reges & sacerdotes sibi charissimos nominat: modò totū populum, & filiū, & primogenitum filiū, & Hier.31. tenerrimè dilectum appellat, cùm ait: Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus: quia ex quo locutus sum de eo, adhuc recordabor eius: idcirco commota sunt viscera mea super eum, miserās miserebor eius. Quibus verbis quid, quęso, dulcius? quid amantius? quid indulgentius? Et quasi parum esset totius populi patrem appellasse, appellat etiam sponsum, ipsamq; Synagogam sponsam. Scribique voluit sancto Spiritu dictante epithalamium, id est, nuptiale carmen: in quo mirabiles deliciæ, amantissimaque colloquia sponsi, & sponsæ vltrò ci- Cantic.2. troque habita referuntur. Cuiusmodi sunt illa: Surge, propera amica mea, speciosa mea, columba mea, formosa mea, &c. Quibus verbis quid blandius atque dulcius dici possit, non video. Quanta enim dignitas humanæ naturæ, quod eam rerum omnium Dominus & filiam & sponsam appellauerit! Nam duobus iis nominibus nihil est aut coniunctius, aut charius, aut sublimius.

Sed fuit adhuc in hoc populo quædam eius portio dignior, Psalm.86. & Deo charior. Scriptum est enim: Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Erat enim in ea ciuitate, quod eam maximè illustrabat: nempe augustissimum Dei templum & sanctuarium: propterquod vates sanctus fausta omnia Psal.118. precabatur ciuitati, cùm diceret: Propter domum Domini Dei nostri (hoc est, propter sacrum eius templum ac sanctuarium) quæsiui bona tibi. Hanc ergo sibi sedem Dominus elegerat, hîc sanctuarium suum, hîc altare statuerat, hîc colebatur, hîc adorabatur; hîc psalmis & hymnis celebratur, hîc populo propitiabatur, hîc responsa dabat: denique hoc vno in loco sacrificia illi grata erant, extra quem prohibita, atque ideò ingrata erant. Tanta extitit huius loci dignitas & religio. Hoc est ergo quod secundo loco proposuimus: videlicet, quàm magnificè populum hunc Dominus exaltauerit, & quàm magnificis muneribus & ciuitatem illam & templum ornauerit.

III.

Nunc tertiò videamus, quò hæc tanta sublimitas (vbi peccatum intercessit) collapsa sit: vt hac ratione intelligamus, quæ

nos eleuet gratia, quò culpa deiiciat. Cùm in hanc igitur dignitatem populus euectus esset, & bonis omnibus circumflueret, in illud ingratitudinis & impietatis malum incidit de quo Propheta dicit: Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & cætera, quæ sequuntur. In quo crimine præcipuè numerantur decem tribus Israël, quæ à Domo Dauid ad Hieroboam defecerũt, & relicto tẽplo & vero Deo vitulos aureos, quos Hieroboam fabricatus fuerat, coluerunt. Itaq. sponsa illa dilectissima, videlicet Synagoga, quæ Dominum casto antè amore dilexerat, ad deos alienos conuersa, legitimi sponsi sui thorum nefario adulterio polluit. Sic enim Dominus illi improperãs ait: Iuxta me discooperuisti, & suscepisti adulterũ. Quo scelere ita Dominus ad iracundiam prouocatus fuit, vt totum illum adeó vehementem ignem amoris, in ardẽtissimum ignem verteret indignationis: quem tremendis verbis & longa oratione Moses in Cantico suo expressit, cùm Dominum sic loquentem inducit: Ignis accensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima, deuorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet. Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis. Foris vastabit gladius, & intus pauor, iuuenem simul ac virginem lactentem cum homine sene. Et dixi, Vbi nam sunt? Cessare faciam ex hominibus memoriam eorum. Expendite, quæso, singula huius indignationis verba. Quot enim verba, tot fulmina. Quibus Dominus iræ suæ magnitudinem & peccati odiũ hac tam multiplici atque horrenda pœnarum atrocitate declarauit. Denique vbi diuina patiẽtia & misericordia immissis quotidie nouis Prophetis eos ad meliorem mentem reuocare voluit, nec impetrauit, vbi diu illos frustra expectauit, eos tandem repulit à conspectu suo. Sic enim legimus in libro Regum. Quamobrem iratus vehementer Dominus Israëli, abstulit eos à conspectu suo. Proiecitque Dominus omne semen Israël, & afflixit eos, & tradidit eos in manus diripientium, donec proiiceret eos à facie sua. Translatusque est Israël de terra sua in Assyrios vsque in diem hanc: siquidem captiuitas hæc nunquam posteà reuocata fuit. Itaque proiecit Dominus de cælo in terram inclytam Israël, & non est recordatus scabelli pedum suorum, in die furoris sui. Nec recordatus est Abraham, Isaac, & Iacob seruorum suorum fidelium: neque fœderis quod cum eis percusserat, neque multitudinis beneficiorum, quibus olim eos cumulauerat; quò mi-

Deut. 32.

Esai. 57.

Deut. 32.

4. Reg 17.

nus dispergeret eos inter omnes gentes, & æterna captiuitate damnaret. Hæc est virgo Israël quæ cecidit, quæ sola ferè in mundo fidei veritatem aliquando seruauerat.

Remansit verò tribus Iuda sola. Et nec ipsa pactum Domini custodiuit, sed in via Israëlis ambulauit: dixitq. Dominus, Etiam

Hier. 3. Iudam auferã à facie mea. Causam verò repudij huius per Hieremiã exposuit his verbis: Et vidit præuaricatrix soror eius Iuda, quòd pro eo quòd mœchata esset auersatrix Israël, præcissem eam, & dedissem ei libellũ repudij & nõ timuit; sed abiit etiam, & fornicata est & ipsa, & mœchata est cũ lapide & ligno. Quid igitur ex hoc consecutum est? Nimirũ id quod ipse Do-

Ezech. 23. minus per Ezechielẽ vaticinatur, cùm ait: In via sororis tuę ambulasti, & dabo calicẽ eius in manu tua. Ebrietate & dolore repleberis, calice mœroris & tristitiæ, calice sororis tuæ Samariæ. Et potabis illũ vsq. ad fæces, & fragmenta eius deuorabis, & vbera tua lacerabis. Ah, Domine Deus meus, non recordaberis, non populi tui, at sanctuarij tui, altaris tui, & templi tui, quod vnum in orbe terrarũ erat. Quare quasi colonus futurus es super terrã, & quasi viator declinans ad manendum, qui proprio caret hospitio? Extincto enim atq. destructo hoc domicilio quæ tibi sedes reliqua est in orbe terrarum, in qua debitus tibi cultus exhibeatur? Nullam omnino cultus sui rationem habet, sed (quod est mirabilius) repulit altare suum, & maledixit sanctificationi suæ: quia non propter locum, gentem, sed propter gentem locum elegit. Vbi verò gens ipsa degenerauit, & à vera pie-

Hier 15. tate defecit, illam à conspectu suo proiecit. Vnde ad Hieremiam dicit: Eiice illos à facie mea, & egrediantur. Quòd si dixerint ad te, Quo egrediemur? Dices ad eos. Qui ad gladium ad gladium; & qui ad famem ad famem; & qui ad captiuitatem ad captiuitatem, dicit Dominus. Et visitabo super eos quatuor species: gladium ad occisionem, & canes ad lacerandum, & volatilia cæli, & bestias terræ ad deuorandum & dissipandum; & dabo eos in feruorem, hoc est (vt alius vertit interpres) in diuexationem vniuersis regnis terræ.

En, fratres, quantum sit peccati virus atque malitia, quod tantam amicitiam in tantam inimicitiam cõmutauit. Quid enim hoc animo & his verbis acerbius? Venerunt ergo Chaldæi, &

4. Reg. vlt. obsederunt ciuitatem, & diruta est ciuitas, & viri bellatores fugerunt, & comprehensus est Sedecias Rex, adductusque ad Regem Babylonis, & quid tandem Rex fecit? Flios ipsius Sedechiæ occidit in oculis eius, & omnes principes eius: ac postremò oculos

los in tantam cladem malè seruatos effodit, & cathenis vinctum duxit in Babylonem: & in carcerem ad extremum vsq. vitæ diē coniecit. Incenderuntque Chaldæi sanctuarium Domini, & destruxerunt murum Hierusalem, & omnem domum maiorem atque minorem; & effuderunt sanguinem sanctorū tanquam aquam in medio eius. Animaduertite, quæso, hoc exemplo, fratres, quanta sit diuinæ iustitiæ magnitudo, & quanta itē peccati grauitas. Ecce ex quàm faustis & felicibus initiis, quàm infelix exitus (vbi peccatum intercessit) consecutus est.

Verùm hæc ipsa, quæ diximus, quamlibet maxima videantur, leuia tamen sunt præ iis quæ sequuntur. Hæc enim captiuitas Babylonica septuaginta annorum fuit. Ea verò, quæ per Romanos facta est (de qua in præsenti Euangelio Dominus agit) per mille iam & quingentos annos, & eò plus durat, neque vnquam reuocata est. Cuius lamentabilem historiam Iosephus, qui in ea obsidione interfuit, illustri sermone describit: In qua refert, Iudæos omnes, qui ad festum Paschæ celebrandum in Hierusalem conuenerunt (quod per legem alibi celebrari non poterat) ab exercitu Romanorum obsessos: in qua obsidione eam famis magnitudinem inualuisse dicit, vt carnibus filiorum parentes vescerentur: tantaque strages hominum in populo facta fuerit, vt fame ferroque & peste vndecies centena millia hominum conciderint. Quæ clades nunquam hactenus in genere humano ab orbe condito visa est, præter illam, quæ tempore diluuij accidit, qua totum genus humanum (præter quos clauserat arca) deletū fuit. Reliqui verò qui mortem euaserunt, in duriorem morte captiuitatem inciderunt. Nonaginta enim millia hominum in captiuitatem ducta esse, idem auctor refert: qui per varias mundi plagas dispersi, bestiis nonnunquam (vt idem ait) lacerandi obiiciebātur. Quid his, quæso, calamitosius? quid miserabilius? quid horribilius?

En, fratres, qualis à radice peccati fructus proueniat: en quale sit stipendium eius: en magnitudo diuinæ iustitiæ: en quo odio Dominus prosequitur impios, dum quos ipse plantauit, euellit; & quos vsque ad sidera eleuauerat, vsque ad inferos detraxit. Quam miserabilem tragœdiam & causam eius breui Dominus sermone per Hieremiam complectitur, cùm ait: Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, dedi dilectam animā meam in manus inimicorum meorum. Ecce quam appellat domum suam, hæreditatem suam (quodque tenerrimum est)

animam suam. Summum enim erat appellare eos animam su sed supra summum etiam adiecit aliquid maius, nempe di-ctam animam suam: quam tamen vbi peccatū intercessit, tradidit in manus inimicorum.

IIII.

Sed iam nunc, fratres, incredulis relictis, ad nos ipsos ve-mus. Hæc enim philosophia non ad eos modò sed ad nos-que multò magis pertinet: vtpote qui longè maiora bene quàm illi per Christum recepimus. Quantum enim à lege stat Euangelium, tantum beneficia nostra illorum beneficia perant. Illorū enim beneficia magna ex parte ad corporis vsu pertinebant; nostra verò ad mentis cultū & ornatū spectant. Illa ad vitam præsentem, quæ temporaria est: nostra ad vitā illa conferunt, quę sempiterna est. Quæ cùm ita sint, quid hic ali

Hebr. 2. consequi necesse est, nisi quod Apostolus in Epistola ad He-bræos admonet, cùm ait: Propterea abundantius oportet ser-uare nos ea quæ audiuimus, ne fortè pereffluamus? Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia iustam accipit mercedis retribu-tionem: quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Si enim diuinorum beneficiorum abusus & ingrati-tudo talem illi populo cladem peperit: quid nobis ab eodē iudi-ce Deo timendum est, qui longè plura & maiora recepimus, n illis tamen meliores redditi sumus? Sed quid timendum di-co? An non in eandem calamitatem & vastationem nos quo-que incidimus? Olim enim per totum penè terrarum orbem florente adhuc Imperio Romanorum, Christiana religio pro-tendebatur: at verò nostra ætate quota nobis Christiani or-bis portio relicta est? An non apertè hîc videmus, eundem Dominum in eadem causa eandem omnino sententiam protu-lisse, eademque seueritate vsum fuisse? An non videmus hic il-

Rom. 11. lud Apostoli vaticinium impletum? Ait enim: Si aliqui ex ra-mis fracti sunt: tu autē cùm oleaster esses, insertus es in bonam oliuam: noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne & tibi non parcat. Verè enim Iudæi le-gitimi & germani filij Dei erant: nos contrà hospites testamen-torū & peregrini. Illi naturales rami oliuæ: nos insititij. Si ergo adeò seuerè Dominus cū naturalibus ramis egit, vbi aduersus eū peccatum est: quid nos sperare par est, si in similia crimina in-ciderimus? Hoc ergo nomine multò magis nobis, quàm illis ti-

Hier. 25. mendū est. Sic enim Dominus per Prophetā: Ecce, inquit, in ci-

uitate

uitate in qua inuocatum est nomen meum, ego incipio affligere: & vos eritis immunes? Non eritis immunes dicit Dominus. Quo in loco D. Grego. Qui (inquit) patientur, quos reprobat, si taliter cruciat quos amat? Illi enim erant dilecti: nos contrà (vt Apostolus ait) natura filij iræ. Gregor. Ephes. 2.

Cæterùm cùm hæc tanta diuinæ seueritatis atq. iustitiæ vis mentes hominũ perterrefaciat, & pœnitentiã inducat, non desunt improbis sua diuerticula ad quæ confugiant, quo se in sceleribus suis perdurantes, consolẽtur & tueantur. Inter quæ primum est & vulgatissimum (quodq; sæpe alias conuellere conati sumus) Christianæ fidei dignitas, etiam si operibus destituta sit. Quã rẽ Apostoli testimonio confirmare nõ verentur, cùm is dicat, Arbitramur iustificari hominẽ per fidem sine operibus legis. Verùm his D. August. hunc locũ explanans, respondet his verbis. Sufficere homini fidem etiam si male viuat, & opera bona non faciat, absit vt hoc sentiret vas electionis. Quid verò illud quod apud Matthæum Dominus ait, Multi dicent mihi in illa die, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Itaq. tantum abest, vt cõmunis improborum fides ad salutẽ sufficiat, vt ne illa quidẽ fides, quæ miracula facit, quæ dæmones pellit, quæ Prophetico spi[illegible] futura prædicit (quod Balaam contigit) ad hoc satis sit [illegible] quibus Domini verbis (vt hoc obiter admoneamus) duo colligere licet: alterum quidem esse fidem informem (quod hæretici negant) alterum verò sceleratis etiam hominibus facultatem à Deo dari, vt hæc adeò miranda opera faciant. Hoc enim Dominus designauit cùm dixit; Nunquam noui vos. Hoc est, nullo tempore etiam cùm miracula ederetis noui vos, ea videlicet notitia, quę approbationis esse dicitur. Hæc enim non ad eam gratiam, quæ hominem Deo gratum facit, sed ad gratias gratis datas pertinent, quæ ad aliorum vtilitatem donantur: quas improbis etiam hominibus donari ex his Domini verbis colligimus. Ea est enim Dei nostri bonitas & misericordia, ea erga genus hominum charitas, vt illa quæ ad ipsorum vtilitatem pertinent, non modò piis & religiosis, sed improbis etiam hominibus in aliorum gratiam conferat. Sic enim illam maximè necessariam baptismatis gratiam, non solùm sacerdotibus sed etiã laicis, & feminis, atque adeò hæreticis contulit. Hæc enim potestas, non in dantis, sed in recipientis vtilitatem cedit. Matth. 7.

Sed rursum ais: Cùm morti proximus fuero, tunc testamento restituam, tunc salutaribus sacramentis deuotè susceptis, in pace discedam. An non meministi quod Dominus in Euangelicæ lectionis initio dixerit: *Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus:* Hoc est, væ illis qui instanti mortis agone salutaris vitæ propositum concipiunt? Parum enim idoneum tempus est inchoandi nouam vitam, cùm vita deficit; sine qua noua vita esse non potest. Quid, quod illud ipsum tempus ad veram agendam pœnitentiam impeditissimum est, quæ totam hominis mentem atque animum requirit: quam alio atque alio vocant mille dolorum & curarum agmina, quæ ægrotantem & migrare parantem vndique obsident, & velut captiuum tenent. Hoc enim est, quod mysticè in hac ipsa lectione Dominus significauit, cùm dixit: *Orate ne fuga vestra fiat hyeme:* quod hoc tempus ad fugam minus commodum sit. Non minus autem ad fugam seculi atque peccati, tempus mortis parum aptum est: quando vxor deflet, paruuli plangunt, familia perstrepit, medici eunt & redeunt, alia subinde atque alia medicamenta nihil profutura mutantes: dolores verò ipsi atque corporis æstus & imbecillitas vsque adeò hominis mentem occupatam tenet, vt vix aliud cogitare possit, quàm quod illum pungit. Quisquis igitur hoc tempore peccatum deserere vult, is verò in Sabbato atque hyeme, hoc est, in tempore valde difficili fugam meditatur. Hæc igitur extrema pœnitentia periculi plenissima est: vtpote quæ magis ab instanti necessitate, magisque ab amore sui, quàm ab amore Dei proficisci videatur.

Sed instant rursus alij, ad sacramentorum virtutem confugientes, quæ pœnitentes ex attritis contritos faciunt: attritos autem esse, qui pœnarum etiam metu peccata plangunt; quod Niniuitæ fecerunt. Hanc planè Theologiam cælestis Magister non ignorabat, qui & sacramenta instituit, & vim remittendi peccata illis contulit. Si autem hæc res securitatem parit; quis, quæso, fidelium damnabitur? Omnes enim ferè perceptis sacramentis ex hac vita decedunt. Quod si ita est, quomodo verum erit quod Saluator paulò ante hæc verba dixerat: Intrate per angustam portam: quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem: & multi sunt qui intrant per illã. Quàm angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam; Et pauci sunt qui inueniunt eam! Hoc igitur minimè verum esset, si hæc fides cum hac dilata ad extremum spiritum pœnitentia certum

Matth. 7.

vitæ

vitæ remedium hominibus præberet. Quàm ſint autem pauci, qui per hanc anguſtam portam intrantes vitam conſequantur, nolo vt dicenti mihi credatis: D. Chryſoſtomum in medium proferam: qui in inſigni illa Antiochiæ ciuitate, quæ Syriæ metropolis erat, inter tot hominum millia vix centum homines eſſe arbitratur; qui in timore Domini vitam perducentes, ſempiternam aſſequerentur ſalutem. Eius hæc verba ſunt: Quot eſſe putatis in ciuitate noſtra, qui ſalui fiant? Infeſtum quidem eſt quod dicturus ſum, dicam tamen: Non poſſunt in tot millibus centum inueniri, qui ſaluentur; quin & de his dubito. Quanta enim in iuuenibus quæſo malitia? Quantus in ſenibus torpor? filij curam gerit nemo: nemo zelum habet, vt ſenem reſpiciens imitetur: exemplaria deleta ſunt, propterea neque iuuenes euadunt laudabiles. Hactenus Chryſoſt. An hoc autem vir ſanctus amplificādi gratia, an alia ratione dixerit, non eſt animus diſquirere: ſatis tamen eſt ad metum nobis incutiendum, & falſam multorum ſecuritatem arguendam hæc à viro ſanctiſſimo dicta fuiſſe. Chryſoſt.

Itaque, fratres, nemo ſalutis ſuæ præſidium in ſola extrema pœnitentia ponat. Ante oculos ſemper illa B. Iob ſententia habenda eſt; Si repentè interroget, quis reſpondebit ei? Repentè autem Dominus interrogat, cùm hominem in ea hora imparatum, & multis ſceleribus irretitū inuenit. Quid ergo tunc temporis homo peccatis aſſuetus reſpondere æquiſſimo iudici poterit: qui toties ab eo etiam admonitus, reſipiſcere noluit? Si (vt Petrus Apoſtolus ait) iuſtus vix ſaluabitur, impius & peccator vbi parebunt? Iob 9. 1. Petr. 4.

Atque vt id quod diximus euidētius appareat, Antiochi Regis Aſiæ in mortis agone conſtituti pœnitentiam in medium proferamus. Hunc igitur crudeliſſimum carnificem, templiq. & religionis euerſorem, ſupernus ille iudex acerbiſſimo viſcerum & internorum dolore percuſſit. Itaque qui ſupra humanū modum elatus erat, nunc humiliatus ad terram in geſtatorio portabatur, manifeſtam Dei virtutem in ſemetipſo conteſtans: ita, vt de corpore impij vermes ſcaturirent: ac viuentes in doloribus carnes eius effluerent, odore etiā illius & fœtore exercitus grauaretur. Itaque his doloribus preſſus, multis miriſque modis ſe Domino ſatisfacturum promittebat. Primùm enim Hieroſolymam pollicitus eſt ſe libertate donaturum, & Iudæos pares Athenienſibus facturū, & templū etiā ſanctum (quod prius ſpoliauerat) optimis donis ornaturum, & pertinentes ad ſacrificia

ficia

ficia sumptus de redditibus suis præbiturum. Quid his amplius requires? Addit etiam aliud nouum atq. mirandum, se videlicet Iudæum futurũ, peragrataq. omni Regione, prædicaturũ Dei potentiam, quam in dolorum suorũ acerbitate apertissimè cognouerat. Quid his maius à Rege Iudæorũ nationi & religioni infensissimo promitti potuit?

Audistis, fratres, quàm multa atq. miranda Rex hic in ista mortis hora pollicitus fuerit? Sed quẽ tandem fructũ hac pœnitentia, quam non Dei, sed sui ipsius amor expresserat, fuerit assecutus, declarat sermo diuinus, cùm protinus subdit: Orabat ille scelestus Dominum, à quo non esset misericordiã consecuturus. Quis igitur eorum, qui vitã omnem in ludo & otio, variisq. voluptatibus consumpserunt; qui periuriis, odiis, detractionibus, adulteriis, & terrenis opibus inexplebili cupiditate congerendis, omniq. turpitudinis genere animam suam commacularunt, certã sibi salutem in extrema illa pœnitẽtia polliceatur, qui Regẽ hunc tã magna eodẽ tẽpore proponẽtẽ, à diuina misericordia exclusum, & ad sempiterna supplicia dãnatũ videat.

Et quidem si parua rerum momenta in hac vel cura, vel negligentia versarentur, minus esset periculi. At cùm nobis sermo diuinus non solùm sempiternam felicitatem, sed sempiterna etiam (eademq. acerbissima) supplicia ob oculos ponat, quis vsqueadeò à communi sensu abhorreat, vt hæc tanta mala non perhorrescat? Et ne à proposito exẽplo recedamus, ex hac Regis Antiochi plaga, qualis sempiterna illa pœna futura sit, coniicere vtcunque possumus.

Quæro enim à vobis, fratres, an gehẽnæ tormẽta huius morbi doloribus grauiora esse iudicetis? Iudicamus planè. Nullus quippe huius vitæ dolor cum doloribus illis comparari potest. D. Thom. Vnde D. Thomas, vbi Dominicæ passionis dolorem, qui vnquã fuerunt dolorum, maximũ fuisse apertissimis rationibus comprobasset, alterius tamen vitæ doloris hoc in loco excipit, qui omnes alios huius vitæ dolores superant, quemadmodum (inquit) alterius vitæ gaudia omnibus huius mundi gaudiis maiora sunt. Iam verò de durationis comparatione nulla quæstio est. Illam enim Regis impij plagam paucorũ dierum fuisse cõstat, At gehennæ cruciatus sempiternis seculorum ætatibus finẽ non inuenient, sed cum ipsa Dei æternitate certabunt. Itaque post annorum mille millia, alia rursum in illa millia, & post hæc alia iterum mille millia, atq. item alia atque alia sine vlla intermissione sequentur. Quam rem si quis altius considerauerit, mirũ sane

ſanè erit, ſi is animo intra ſe poſſit conſiſtere. Nunc ad vos, fratres: Si hic impius & ſceleratus Rex, vt illam paucorum dierum pœnam euaderet, tam multa ſe facturũ pollicebatur; quid nos facere, quid promittere, quid perpeti par eſt, vt non paucorum dierum plagam, ſed ęterna gehennæ incẽdia euadere poſſimus? Quid, quæſo, ſanctiſſimos illos Anachoritas in deſerta compulit, ſociosque ſcorpionum fecit atq. ferarum, niſi perſpecta huius rei atrocitas & magnitudo? Quantum verò hæc eadem cogitatio ſanctos Martyres inter acerbiſſimos illos membrorum omnium cruciatus, inter vngulas & craticulas, & ſartagines ferreas roborauit? At nos cæci & amentes, neq. vnius Quadrageſimæ inediam perferre, neque cupiditatibus noſtris frænum iniicere, nec delinquentibus contra nos veniam dare, neque linguæ petulantiam, neq. oculorum licentiam cohibere, neque Chriſti iugum ſuaue & onus leue humeris noſtris imponere volumus, vt hæc tanta ſupplicia euadere poſſimus. O deplorandam perditorum hominum cæcitatem, ô amentiam, ô deluſarum mentium ſtuporem, quæ hanc tantam rem neq. aduertunt, neq. cogitant, neque ſibi opportuno tempore conſulere volunt! Quid enim miſerrimæ illæ animæ quæ apud inferos torquentur, non facerent, quid non perferrent, ſi hanc temporis opportunitatẽ (quam nos vacuam abire patimur) inuenirent? Si enim tã multa ſacrilegus hic Rex propter tam breuem paucorum dierũ moleſtiã promittebat, quid iſti promitterẽt, vt à ſempiterno illo incendio liberarentur? Ergo fratres, vel ſerò ſaltem ſapere incipiamus, & hanc ipſam opportunitatem (quam diuina nobis pietas concedit) nullo modo præterfluere ſinamus. Terreat nos illa vox Domini, Venit nox, in qua nemo poteſt operari. Ergo quãdiu dies eſt, hoc eſt, dum vita ſupereſt, dum iudex ipſe nos ad ſe blandiſſimis vocibus & promiſſis vocat, curramus, fratres, ne in hanc tantam malorum voraginem incidamus. Hæc igitur omnia, fratres, prudenter atque ſolicitè conſiderantes, opportunè pœnitentiam agere incipiamus, quòd inſtanti mortis hora tot modis impediti, ægrè agere poterimus. Sic enim fiet, vt peccata noſtra voluntaria magis quàm neceſſaria pœnitentia diluentes, ad ſempiternam tandem felicitatem verè pœnitẽtibus promiſſam, Domino aſpirante, peruenire mereamur.

CONCIO FVNEBRIS: IN QVA TVM DE HVMANÆ VITÆ BREVItate, tum de variis eiusdem miseriis agitur.

THE. *Iugum graue super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium.* Ecclesiast. 40.



VEhementer Christiani populi consuetudo laudanda est: quæ inferias defunctorum, ac præcipuè clarorum virorũ solenni ritu celebrare solet: partim, vt precibus eorum qui assistunt defunctorũ animæ, si quid in eis terrenæ labis purgandũ superest, adiuuentur: partim, vt iidem ipsi qui huic pietatis officio intersunt, in alieno funere velut in quodam speculo, conditionis & naturæ suæ admoneantur. Quid enim aliud de me sperare, aut mihi polliceri possum, quàm quod in naturæ meæ consorte oculis obiectum video, & veluti manibus contrecto? Hinc Ecclesiasticus vita functum hominem hac prudentissima oratione ad eos qui adhuc in vita manent loquentem

Ecclef. 38. inducit, Memor esto, iudicij mei. Sic enim erit & tuum. Mihi heri & tibi hodie. Hanc autem admonitionem vsque adeò animis nostris infixam esse voluit, vt post hanc breuem saluta-

Ibidem. remque sententiam adiunxerit, In requie mortui requiescere fac memoriam tuam. Non enim sat esse putauit, properanter & cursim hanc vitæ nostræ sortem cogitare: sed in ea voluit mentem nostram, velut in quodam domicilio perpetuò commorari. Hac enim ratione fastum, & omnem carnis lasciuiam, & inanem hominum lætitiam comprimi posse iudicauit: cùm mens humana, quæ per exteriora vagatur, ad seipsam rediens, sortis & mortalitatis suæ admonetur. Ad cuius

Eccl. 40. rei memoriam nos idem Ecclesiasticus his verbis quæ à me initio proposita sunt reuocat, cùm ait: Iugum graue super filios Adam à die exitus, &c. De hoc igitur graui iugo, hoc est, de humanæ vitæ miseriis, eiusdemque vitæ breuitate, quam fallax viuendi cupiditas longissimam nobis facit, hodie disserendum est. Quod vt piè & vtiliter præstare possimus, cælestem opem sacratissimæ Virginis interuentu suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

De humanæ vitæ miseriis multi tum Philosophi, tũ Theologi iusta volumina scripserunt; vtpote qui materiam latè patentem ad scribendum nacti essent. Certè Innocẽtius Papa integrum volumen variis vitæ nostræ miseriis ennmerandis impleuit. Innocẽt. Papa. Difficile autem dictu est, quantas hæc Philosophia vtilitates pariat. Primùm enim ad sui ipsius cognitionem, quæ totius veræ sapientiæ caput & fundamentum est, mirè adiuuat: deinde ad omnem fastum & elationem ab animo penitus eliminandam, plurimùm confert: cùm sibi ipsi dicere prudens homo valeat, Quid superbis puluis & cinis? Eccles. 10. Et illud item, Non apponat vltra magnificare se homo supra terram: Psalm. 9. siue (vt Diuus Hieronymus ex Hebr. vertit) Hierony. homo de terra, hoc est, qui ex limo terræ formatus, in eandem terram paulò post vertendus est. Sed præcipuè tamen hæc commentatio ad mundi contemptum adiuuat, quem despicere debet quisquis ad charitatis & iustitiæ studium aspirat. Neque enim amor Dei cum amore mundi cohærere & cohabitare potest, cùm Iacobus Apostolus dicat, Iacob 4. eum qui mundi huius amicus esse voluerit, inimicum Dei constitui. Ioannes quoque in Epistola sua: 1. Ioan. 2. Nolite, ait, diligere mundum: quia si quis mundum diligit, non est charitas Patris in eo. Nihil autem magis mundi contemptum parit, quàm fragilitatis & imbecillitatis nostrę consideratio: quandoquidem mundi gloria, & humanæ vitæ fragilitas sic coniuncta sunt, vt nullo modo in vita fragili ac misera solida voluptas atque felicitas esse possit. Corruat enim necesse est, quod tam fragili fundamento nititur.

Qua tamen in re serpentis antiqui calliditas potissimùm cernitur, qui rem omnium maximè tristem atque calamitosam, maximè iucundam atque amabilem plerumque facit. Cuius rei causam attentius mihi consideranti apparet, raram paucorum hominum mundo seruientium felicitatem, omnium oculis ita illudere, vt similem quisque sibi sortem ac fortunam polliceatur, nec oculos atque mentem habeat, quibus innumerabiles aliorum clades & ruinas cernat. Quam rem proposito vulgari & noto exemplo planam vobis facere curabo. Nemo ignorat quàm multi mortales in expugnatione huius noui orbis, Simil. qui temporibus nostris in occidentali India patefactus est, partim naufragiis, partim ferro, partim variis morborum generibus, ob inclementiam alieni cæli, vitam morte commutauerint: paucissimos autem ex tot hominum millibus

libus extitisse, qui diuites & fortunati ad suos redierint. Atqui cunq. modò in eas oras proficisci parāt, in eos solū oculos coniiciunt, qui opulenti ad sua redierunt, similē sibi fortunam pollicentes: cęterorum autē miserabiles casus & mortes obliuiscuntur, vel certè non attendunt: & ita fit, vt paucorum exempla spē illorum magis excitent, quàm innumerabiliū ruinæ metū incutiant. Perturbati enim affectus & auaritiæ studium, rationis iudicium illis eripiunt, & in aperta illos pericula coniiciunt. Simili ergo ratione seculi homines decipiuntur, qui cùm in mundo paucissimos secunda fortuna vti animaduertunt, innumerabiles autem qui variis casibus atq fortuna aduersa iactentur, talem esse mundum iudicant, qualem paucorū felicitas, non qualem innumerabilium calamitas ostendit: cùm tamen rerū appellatio non ex eo quòd paucioribus, sed ex eo quòd pluribus accidit, sumenda sit. Hæc igitur mihi præcipua causa esse videtur, cur tam multis hominibus mundus amabilis appareat, cùm re vera maximè acerbus & contēptibilis sit. Huc accedit hostis antiqui versutia, qui hoc exēplo incautos homines decipit atq; dementat. Quemadmodum enim oratores ea quæ causam suā adiuuant, auditorum oculis affigunt, & vehementer amplificāt: quæ verò nocent, aut silentio premunt, si possunt, aut si nō possunt, eleuant & extenúant: ita astutissimus hic orator (præterquam quòd mendax est & mendacij pater) ea quæ animos nostros ad mundi amorem inflammare possunt, miro modo auget, & amplificat, & tanquam oculis spectanda proponit: quæ verò nos ad eius odium atque contemptum inducere possunt, summa arte vel extenuat, vel oculis nostris abscondit. O quantus nobis cāpus hoc in loco aperiebatur, in quo innumerabiles multorum casus atque tragœdias percēsere possemus, quas callidissimus hic orator excitauit, dum paucorum felicitatē oculis subiecit, & multorum calamitates abscondit! Quia igitur ars arte superāda est, libet in præsenti concione & inanē mundi gloriam, & humanæ vitæ miseriam ac breuitatem, quæ illi coniuncta est, suis veluti coloribus depingere; vt cùm serpens antiquus aliam nobis eius imaginem ementitis coloribus effinxerit, nos illi veram obiiciamus, atque veritate mendacium retundamus, & vera imagine fucatam atque fallacem detegamus. Sed breuitatem vitæ primo loco expendamus. Hæc enim prudenter considerata magnum nobis stimulum ad mundi contemptum addet: quandoquidem magna felicitas in breui & angusta vita esse nullo modo potest.

Simil.

I.

Breuitatem vitæ nostræ Ecclesiasticus non quidem pusillo, sed magno & prudenti animo hac oratione metitur: Numerus, inquit, annorum vitæ hominis, vt multum, centum anni: quasi guttæ aquæ maris deputati sunt, & quasi calculus arenæ: sic exigui anni in die æui. Animaduertite, quæso, quid sit vna aquæ gutta Oceano comparata, & vnus arenæ calculus ad infinitam maris arenam relatus: id enim esse ait vitam nostram, si vel Angelorum vitæ qui in omne æuum permanent, comparetur. Quid igitur hac breuitate angustius? Sed non Ecclesiasticus modò, qui diuina luce perfusus hanc de vitę nostræ breuitate sententiam tulit, sed Seneca etiam illam eadem ratione metitur his verbis: Omnia humana breuia & caduca sunt, infiniti temporis nullam partem occupantia. Terram hanc cum populis, vrbibusque, & fluminibus, & ambitu maris, puncti loco ponimus, ad vniuersa referentes. Minorem portionem habet ætas nostra quàm punctum, si tempori comparetur omni, cuius maior est mensura quàm mundi. Quid ergo interest id extendere, cuius quantumcunque incrementum fuerit, non multum aberit à nihilo? Licet nouies centenos percenseas annos, cùm ad omne tempus demiseris animum, nulla erit illa longissimi breuissimique æui differentia, si inspecto quanto quis vixerit spatio, comparaueris quanto non vixerit. Hactenus ille. Et quidem nos vehementer eorum vitam admiramur, quæ ad centesimum annum protensa fuerit, eamque nimium viuacem atque felicem iudicamus, quæ ad hanc vsque ætatem peruenerit. At supernæ illæ mentes, quibus vita nostra comparata vix puncti instar obtinet, non minus ignorantiam & pusillanimitatem nostram in hac parte mirabuntur, quàm illius piscis ætatem miramur, qui quoniam vno solo die vitam producit ephimera à Philosophis & medicis Græco nomine appellatus est. Cùm enim vitæ nostræ spatium piscis huius vitæ comparamus, breuissimam illam atque momentaneam ætatem iudicamus. Quis autem dubitare possit, vitam nostram si cum beatarum mentium æuo conferatur, multo esse breuiorem quàm illius piscis? In altero enim res finita cum finita comparatur: in altero verò res angustis terminis circunscripta, cum ea quæ nullis finibus coercetur. Si ergo nos breuissimam illam vitam iudicamus, multò certè breuiorem supernæ mentes nostram iudicabunt: etiam si ad centesimum annum (vt Ecclesiasticus ait) protendatur. Damnati certè ad æterna supplicia

Eccl. 18.

Seneca.

Eccl. 18.

plicia simili ratione anteactæ vitæ & felicitatis suæ spatia computant: qui cùm in lib. Sapientiæ ætatem suam rebus breuissimis ac pænè momentaneis comparent, tandem concludunt. Sic & nos nati continuò desiuimus esse. Non enim sibi videntur aliquantisper vixisse, sed protinus natalem diem cum morte copulasse.

Sapien. 5.

Verùm, si citra comparationem hanc, ætates hominum quales in se sunt inspiciamus, breui temporis spatio illas definiri inueniemus. Si quisque nostrum cæco sui amore posito tam frequentes & quotidianas hominum mortes in quauis ætate inspexerit, inueniet planè maximam eorum partem ante sexagesimum annum vita defungi, paucos autem ad septuagesimum peruenire. Quis ergo hanc ætatem appellare longam poterit, nisi qui pusillo animo est? Multis enim rebus (vt sapienter Seneca dixit) non ex natura sua, sed ex paruitate nostra magnitudo accedit.

Seneca.

Sed nemo tamen nostrum hanc sibi ætatem polliceatur: partim quòd incertissima & raræ cuiusdam felicitatis sit, quam nemo sapiens sibi promittere debet: partim quòd ex hac summa illud etiam spatium subtrahendum est, quod vnusquisque nostrū iam vixit. Quicquid enim à tergo reliquimus festina mors velut rem sui iuris occupauit: vt videlicet qui nunc viuere videmur, ex parte quidem viuamus, ex parte verò mortui simus. Quòd si tota ętas nostra nulla sui parte detracta adeò breuis est, qualis, quæso, erit tam magna sui parte consumpta? Si totum adeò breue est, quantò breuior erit pars aliqua relicta de toto? Itaque nos qui diu iam viximus, qui tantum vitæ exhausimus, non iam vita, sed quædam pericula vitæ manent. O igitur, fratres, quicunque ad trigesimum vel quadragesimum ætatis annum peruenistis, animaduertite, quæso, diligenter exiguum vobis spatium ad extremum vitæ diem superesse, in quo creditorum omnium restitutio facienda est, vbi omnia quæ de terra sumpta sunt, in terram conuertentur, & terrę, antiquæ omnium parenti, reddentur. Illa vestros, quos nunc tantoperè diligitis oculos, vestras manus, vestraque ita excolitis corpora, in sinu suo complexura est, & in cinerem chara ista & culta membra redactura. Si ergo tam vilis modò est possessio vitę nostrę, quòd tam vicina morti sit, cur eam tanti facitis, vt felicitatem & salutem æternā propter eius amorē periclitari velitis? Si res quidem integra maneret, si tota nobis humanæ vitæ portio superesset, minus fortasse hoc mirum videretur: longa enim vita occasionem

nem sæpius præbuit malæ vitæ. Quod fortassis in causa fuit, vt priores illi mundi homines tam flagitiosè vixerint, quia diutissimæ spes vitæ eos ad salutis suæ rationisque reddendæ obliuionem inducere videbatur. At nos, quorum vita momentum est, vmbra est, transitus est, puluis est, cinis est, fœnum agri est quod hodie viret, & cras in clibanum mittitur, quomodo hoc tantulum vitæ spatium auctori vitæ atque salutis nostræ negamus? Nos postremò, quorum vita omnibus mundi rebus fragilibus comparatur, cur eam animæ nostræ, cur Deo, cur eius amicitiæ & gratiæ, cur virtuti atque iustitiæ, cur cælesti vitę & æternæ felicitati anteponimus? cur vsque adeò spes nostras in longinquum porrigimus? quomodo impendentem vbique mortem non videmus? cur tanta in futurum molimur tempus, partem vitæ vitiis, partem negotiis, partem pœnitentiæ reseruantes? Siccine tam diuturna vobis hęc vita esse videtur, vt tot tantisque rebus, tot tantisque peccatis purgandis sufficere possit? Vix, ait Climacus, hodierna dies seipsam satis expiare potest, & tu mihi tot annos flagitiorum atque fraudum extremæ vitę portioni expiandos relinquis? Matth. 6. Climac.

II.

Cæterùm, quoniam vitæ nostræ breuitatem vidimus, sequitur vt eius deinde miseriam videamus: qua planè non potest non esse resperia humana felicitas. Hanc autem non video qua ratione commodius explicare possim, quàm si eam statuæ illi quam Nabuchodonosor Rex in somnis vidit, comparauero. Eius autem erat caput aureum, pectus argenteum, fœmora ærea, pedes fictiles, quos lapis quidam excisus de monte comminuit: quibus comminutis æs, argentum, & aurum redacta sunt quasi in fauillam æstiuæ areæ, quæ à vento rapitur. Qua, quæso, imagine humanæ vitæ conditio magis ad viuum exprimi potuit? Principiò, quòd Rex in somnis non rem veram, sed statuam siue imaginem contemplatus est, humanæ vitæ maximè conuenit, quæ in sacris literis tum imago, tum figura appellatur. Sic enim Apostolus ait: Præterit figura huius mundi: non enim rem veram, sed veritatis simulacrum atque veluti vmbram vitam hominum esse intellexit. Idem etiam regius Propheta significauit, cũ ait: Veruntamẽ vniuersa vanitas omnis homo viuens: Veruntamen in imagine pertransit homo. Vtrumque autem verbum eodem pertinet, quo innuitur nihil solidi & expressi in hac vita contineri, sed inania esse omnia quæ aliquid esse videntur, cùm propter summam temporis breuita- Daniel. 2. 1. Cor. 7. Psal. 38.

tem, tum etiã propter infinitas miserias quibus vita ipsa obnoxia est. Quod quidem Plato intellexit, qui cælum & ea omnia quæ supra cælum sunt, vera esse dixit: quoniam in natura sua immortalitatis causam habent: ea verò quæ cæli ambitu continentur, non censet in eorum numero collocanda quę verè sunt, sed quæ apparent esse aliquid, cùm nihil sint. Qua persuasione inductus antrum illud multorũ scriptis celebratum cõfinxit; in quo qui inclusi manebant, sic erant catenis constricti & à tergo lucis positi, vt nihil nisi solas superarum rerum vmbras iuxta illud antrũ apparentes cernerent. His autem hominibus nos omnes similes esse ait: qui inter res fragiles & ad interitum motu suo quotidie properantes, vitam agimus: quas quidem propter mentis nostræ angustiam & cæcitatem, aliquid esse credimus: quæ tamẽ reuera cælestium rerum, quæ immutabiles perpetuò manent, vix tenues quædam vmbræ sint, quæ cùm maximè tenentur, tunc vel maximè quasi è manibus elabuntur. Quo nomine Paulus hortatur eos qui habent vxores, vt tanquam non habentes sint, & qui flent tanquam non flentes, & qui gaudent tanquam non gaudentes, & qui vtuntur hoc mũdo tanquã non vtantur. Cur ita? Subdit quam audistis causam, Pręterit enim figura huius mundi. O magno animo virum, qui cùm totus esset in æternitatis amore & contemplatione defixus, inferiora hæc omnia quæ in continuo motu sunt, & ad interitum quanta possunt celeritate contendunt, non res veras, sed verarum figuras reputabat: ideoque Dominos & possessores eorum sic animo institutos esse volebat, quasi nihil possiderent! Neque enim existimare debemus, res tunc primùm deficere cùm intereunt: quamdiu enim esse videntur, intereunt: quando & per singula momenta ad interitum properant, & ipsum etiam viuere, vitam absumere, & de portione vitæ detrahere sit. Quod quidem eleganter Seneca docet his verbis: In hoc omnes errore versamur, vt non putemus ad mortem nisi senes, inclinatosque iam vergere, cùm illò infantia statim & iuuenta omnisque ætas ferat. Vrgent opus suum fata, & nobis sensum nostræ necis auferunt: quoque facilius obrepat mors, sub ipso vitæ nomine latet. Infantiam in se pueritia conuertit, pueritiam pubertas, iuuentutem senectus abstulit. Incrementa ipsa, si bene compures, damna sunt. Hactenus ille. Ex cuius verbis facilè non modò vitæ nostræ breuitatem, sed fallaciam quoq. intelligere licet, quæ sub incrementi nomine decrescit, & sub vitæ appellatione paulatim non sentientes ad mortem ducit. Quemadmodum enim

(vt

Plato.

Simil.

1.Cor. 7.

Seneca.

(vt idem ait) quos aut sermo, aut lectio, aut aliqua interior cogitatio iter facientes decipit, & peruenisse antè sciunt quàm appropinquasse: ita hoc iter vitæ assiduum & citatissimum, quod dormientes vigilantesque eodem gradu facimus, occupatis non apparet nisi in fine. Hæc ille. Idem etiam in solari horologio euenire cernimus. Cùm enim linea illa quæ ex vmbra conficitur, continenter moueatur, & ad metam properet, nunquam tamen, nisi cùm ad eam peruenit, mota fuisse videtur: sic vita nostra cùm semper deficiat, nemo tamẽ nisi cùm ad finem ventum est, defecisse videt. Ex quo planè liquet, vitam nostram non rem stabilem & fixam, sed vmbratilem magis & apparentem quàm existentem esse, quod nobis huius statuæ nomen designat.

Idem. Simil.

Simil.

Iam verò aurum & argentum ac deinde æs, è quibus ea statua conflata erat, opes ac potentiam mũdi significãt. Auri enim & argenti nomine opulentia, æris autem potentia intelligitur: in quibus tota mundi gloria posita est. Plurima enim possidere, & plurimum posse, præcipua mundi bona sunt, ad quæ alia omia referũtur. Sed videamus, quæso, quàm solido & firmo fundamento hæc tanta bona nitantur. Certè non alio quàm fictilibus & luteis pedibus: quibus ad primum lapidis ictum minimo negotio fractis tota illa pompa dissoluitur, & in fauillam redacta in ventos diffluit. Tota enim mundi gloria ex humani corporis vita pẽdet, quod ex limo terræ compactum, luteum, fragile, caducũ, & infinitis casibus & morbis obnoxium est: quo leui aliqua de causa dissoluto eximia illa mundi opulentia in fauillam redacta ne vestigium quidem sui vllum relinquit. Alioqui (sicut Propheta dicit,) Vbi sunt principes Gentium, qui dominabantur super bestias quæ sunt super terram, qui in auibus cæli ludunt, qui argentum thesaurizant & aurum, in quo confidũt homines, & non est finis acquisitionis eorũ? Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt, & alij in eorum locum successerunt. Breui igitur temporis mora transacta, totus ille mundi apparatus & splendor vt fumus euanescit, & seculi principes, qui ex eodem fragili luto quo mendici ficti atque formati sunt, simili fine absumũtur. Vita quidem alia atque alia, vtrorumq. tamen vna mors, vnus finis est. Hinc Dominus ad Esaiam, Clama, inquit. Et ille, Quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. Fœni quidem nomine populum, floris autẽ principes populi significauit. Quamdiu enim fœnum & flos virent, pulchrior floris quàm fœni species est. Vbi autem

Baruch.

Esaiæ 4.

incalescente Sole vtraq. virorem suum amisere, eadē vtrorumq. facies atque deformitas apparet, hoc est, eadem in diuite & paupere solitudo, eadem inopia, idem fœtor & horror, omnia vtrobique æqualia & similia sunt. Quamdiu ergo fabula vitæ peragitur, suam quisque personam repræsentat: fabula autem peracta, persona deponitur, & eandem quisque faciem, quæ fuerat resumit: atque ita demum qui regis personam egerat, ad sutoris aut sartoris figuram redit. Ad similem ergo vilitatem atque miseriam & regum corpora, quæ regiis opibus nitebant, & artificum, quæ pannis tegebantur, perueniunt: quæ in puluerem versa exiguo puluere teguntur. Cuius rei memorabile exemplum vobis hoc in loco referam. Memorant historiarum scriptores magni illius Cyri sepulchro Epitaphium hoc inscriptum fuisse, O VIR QVICVNQVE ES, ET VNDECVNQVE ADVENIS (NEC ENIM TE ADVENTVRVM IGNORAVI) EGO SVM CYRVS, QVI PERSIS IMPERIVM CONSTITVI. PVSILLVM HOC TERRAE QVO MEVM TEGITVR CORPVS, MIHI NE INVIDEAS. O singulare inopiæ atq. humanæ paupertatis exemplum! O clarissimam mortalitatis & miseriæ nostræ confessionem, non ab infimæ fortunæ homine, sed à felicissimo imperatore profectam! Cui enim viuo vix orbis imperium satis erat, nūc pugillo terræ contentus ne hæc adeò tenuis felicitas viuentium inuidiæ obnoxia sit, suppliciter ex tumulo deprecatur. Quid igitur superbis terra & cinis? quid inexplebili auaritia omnia concupiscis? quid ingentes spiritus supra communem humanæ naturæ conditionē attollis, paulò pòst in puluerem iturus? Quanta igitur cæcitas, quāta dementia est, extremæ huius vilitatis, ad quam corpora nostra, quæ nunc ostro tegimus & auro, paulò post redigenda sunt, penitus obliuisci?

Eccl. 10.

Sed (vt ad intermissam similitudinem redeamus) illud etiam negligendum non est, quòd Rex non quidem vigilantem, sed in somnis se hanc statuam vidisse ait: Quo iudicio significatur spectra & velut inania visa esse, quæ externo splendore stultorum oculos fallunt. Hinc quidam ex amicis Iob de felicitate improborum agens: Velut somnium, inquit, auolans non inuenietur, transiet quasi visio nocturna. Somnia enim quibus aliqui, aut reges aut principes sibi esse videntur, breui quadam voluptate somniantes afficiunt: qui tamen expergefacti, inanem fuisse illam lætitiam deprehendunt. Ad hunc modum improbi, qui vitam omnem in deliciis transegerunt, vbi ad mortem venturi

Iob 20.

tum est, quicquid anteactæ felicitatis illis tunc in mentem venit, non aliud quàm somnum & fabulam quandam fuisse putant. Vt enim rectè D. Gregor. ait: Repentè transacta finiuntur, quæ futura longa videbantur. Quod enim iam desiit esse, nec aliquod sui vestigium reliquit, vt omnino nihil est, ita nihil apparet. Hac autem de causa quidam ex amicis Iob improborum felicitatem puncti instar esse testatur: quo nomine summam eius breuitatem voluit designare. Sic enim ait: Hoc scio à principio ex quo positus est homo super terram, quòd laus impiorum breuis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. Si ascenderit vsque ad cælum superbia eius, & caput nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderant dicent: Vbi est? Quid sibi vult: Vbi est? Vbi habitat? quò peruenit? quo in loco consistit? quali specie, quo habitu, & colore est? Vbi? In sepulchro, in putredine, in horrore inter vermes. Quali autem specie? qualem carnis vel quodcunque animal mortuum & in sterquilinium proiectum refert. Eadem igitur defuncti hominis species est, eisdemque iniuriis obnoxia. Neque enim inter putrem hominis aut canis carnē vllum in morte discrimen inuenies. Heu miseriam verè deplorandam: quòd qui tantum dissident in vita, adeò similes & pares (quod ad corpus attinet) in morte reperiantur, nisi quòd alter omnibus patet, alter verò terra tegitur, ne à feris turpiter lanietur. Quod si alicuius principis, aut familiaris amici quatriduo iam in sepulchro agentis fossam aperias, illiusque horrificam speciem diligenter inspicias, an non te maxima tenebit admiratio, cùm adeò tetram atque deformem nobilissimæ creaturæ speciem cernas? Hiccine est, inquies, amicus ille & familiaris meus, cum quo toties risi, toties lusi, toties cœnaui, toties deambulaui, cum quo toties consilia & vitæ meæ rationes contuli? Hi illi tam viuidi & vigentes oculi? Hæc illa tam expedita & diserta lingua? Hæc illa egregia corporis & oris forma? Hiccine est humanæ vitæ exitus? Huccine tandem omnis pulchritudo, omnis dignitas & humana gloria huc humanæ opes & potentia deueniunt? Huc tandem omnes post exigua labentium temporum curricula peruenturi sumus? Nulla huius sententiæ appellatio, nulla reuocatio est? Huc tandem corpus hoc quod tanto studio curamus, alimus, & ornamus, cuique tota vita seruiuimus peruenturum est, vt fiat cibus vermium: cui ex vltimis Oceani littoribus pretiosa edulia & condimenta quærebantur, quo delicatior suppeteret esca vermibus?

Gregor.

Iob 20.

Esaiæ 4. mibus? O verè omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri.

Huius autem extremæ miseriç cæterarumque omnium quibus passim vita mortalium infestatur cõsideratio, in causa fuit, vt multi Sapientis illius sententiã probarent, qui dicere nõ dubitauit: Optimum non nasci, aut quàm ocyssimè aboleri. Neq. multũ ab hac sententia verba illa sanctissimi Iob abhorrẽt, cùm ait: Quare misero data est lux, & vita his qui in amaritudine animæ sunt? Qui expectant mortem & non venit, quasi effodientes thesaurum, gaudentque vehementer cùm inuenerint sepulchrum. Et philosophi quidem miseriarum & mortis nostræ causas ignorabant. Christus autem Dominus qui hæc omnia peccati stipendia esse intelligebat, cùm ad quatriduani Lazari monumentum venit, in hoc veluti peccati speculo & effectu, peccati malitiam contemplatus, pias compassionis lachrymas fudit, quibus non tam humanæ vitæ miserias, quàm miseriarum causam (nempe peccatum) lamentabatur. Vtinam nos quoque eius exemplo hanc nostram miseriam ante oculos semper haberemus, vt vel hoc vno argumento peccati virus, propter quod mors in mundum inuecta est, agnosceremus: & omnem ex animo nostro fastum atque superbiam propulsaremus, ac postremò inanem mundi gloriam, quæ tam infausto fine clauditur, quæq. his fictilibus atq. luteis pedibus nititur, cõtemneremus. A qua tamen cogitatione quid nos auocet D. Ber. in Meditationibus exponit his versibus vel à se editis vel aliũde ascitis.

Iob 3. Ioan. 11. Bernard.

Forma, fauor populi, feruor iuuenilis, opesq;
Surripuere tibi noscere quid sit homo.
Post hominem vermis, post vermem fœtor & horror;
Sic in non hominem vertitur omnis homo.

III.

Superest tamen hoc in loco non negligenda quæstio, cur videlicet amator hominum Deus adeò breuem & luctuosam hominum vitã esse voluerit? Certè hoc temerè actum nõ est. Miseram enim vitam nostram ac deformem esse post peccatũ voluit, ne nimio eius amore caperemur, breuem autem, vt à sceleribus mortis imminentis metu abstineremus. Rectè enim D. Hieronymus breuitatem vitæ delictorum damnationem esse dixit. Qui enim finem sibi vitæ adeò celerem instare cognoscit, qui tam citò se ante superni iudicis tribunal sistẽdum videt, qui in hoc iudicio de tota æternitate sententiam ferendam cõtemplatur: hoc est, vt vel in sempiterno luctu, vel æterno gaudio sibi degen-

Hieron.

bi degendum ſit, quomodo propter fruendam miſeram hanc & momentaneam vitam æternæ vitæ iacturam faciet, ac non magis ſe ad illud iudicium ſingulis momentis præparabit? Hoc enim ſanctiſſimi Regis Ezechiæ exemplo diſcimus, qui cùm in medio ætatis flore conſtitutus, mortis nuntium Domino imperante percepiſſet, eoque lachrymis & precibus exorato, quindecim annorum acceſſionem accepiſſet, humanæ vitæ breuitate hac ratione inſpecta, quid ſibi in poſterum eſſet faciendum teſtatur his verbis, Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Hoc eſt, lachrymis & aſſiduo dolore delicta iuuentutis & ignorantias meas abluam, vt purum atque paratum inuenias, quoties me ad tribunal tuum vocare decreueris. Deinde ſic incipit cum Deo philoſophari: Domine ſi ſic viuitur & in talibus vita ſpiritus mei, corripies me & viuificabis me, &c. Hoc eſt, ſi talis eſt Domine vita hominis, adeò videlicet breuis & momentanea, totque ærumnis & miſeriis obnoxia (cuius videlicet momentaneæ voluptates tot lachrymis ac doloribus reſperſæ ſunt) hoc certè argumento negligentiam meam corripuiſti, & ad hoc perduxiſti, vt (quando res ita ſe habet) aliam deinceps viuendi rationem ineam, atque ita fiet in pace amaritudo mea amariſſima. Quæ verba alij clarius hoc modo verterunt: Cedet mihi in incolumitatem hæc amaritudo amariſſima. Hoc eſt, ex his amariſſimis lachrymis ſuauiſſimos vitæ & iuſtitiæ fructus carpam. Hac enim morbi & mortis amaritudine (quam pænè manibus cõtrectaui) admonitus, quod reliquum vitæ fuerit, ſolicitè in mandatorum tuorum obedientia tranſigam; quò mihi & internam dum viuo pacem, & æternam poſt mortem hæreditatem beneficio tuo conſequar. Sic ſanctus iſte Rex ex vitæ breuitate & miſeria philoſophatus eſt, ſicque nos philoſophari Dominus voluit, qui vitam adeò breuem inſtituit.

Eſaiæ 38. *Ibidem.*

Hæc igitur, fratres, cogitare, hæc ſemper in animo voluere, atque hoc eodem modo cum ſancto Rege philoſophari id demum eſt verè ſapientem & prudẽtem eſſe: cuius eſt vitæ finem ſibi ſemper ante oculos ponere, & ad eum veluti ad ſcopũ omnes vitæ actiones dirigere. Hoc enim ſtudium, hanc mentem filiis Iſraël Moſes optabat, cùm diceret: Vtinam ſaperent, & intelligerẽt, & nouiſſima prouiderent. Verè enim hæc ſumma ſapientia eſt, quæ ex nouiſſimorum noſtrorum ac miſeriarum conſideratione colligitur: qua (vt initio dicebamus) & ad mundi contemptum accendimur, & nos ipſos agnoſcentes, om-

Deut. 32.

nem animi tumorem & elationem deponimus. Sunt tamen nonnulli, qui ita mortis metu perturbantur, vt ne cogitare quidem, vel audire aliquid de ea velint, propterea quòd sola eius mentione velut horrore quodam concutiantur: ideoque dedita opera ab ejus consideratione mentem auocant. A quibus meritò quæri potest, cur tantoperè extimescant, quod adeò naturale, quotidianum, & ineuitabile est. Vt enim Diuus Cyprianus ait, Hæc sententia mundo data est, hæc Dei lex est, vt omnia orta occidant, & aucta senescant, vt infirmētur fortia, & magna minuantur, vt cùm fuerint infirmata & imminuta, finiantur. Si igitur ea vis consuetudinis est, vt rebus etiam maximis admirationē detrahat: cur ita miramur quod quotidie cernimus? cur id exhorremus cuius intra nos causam habemus? cùm ex pugnantibus inter se elementis compositi simus, quorum pugna & contentio pestem nobis & exitium parit: cùm naturalis calor corporis nostri substantiam, quemadmodū oleum accensa lampas absumit, nec id quod in absumpti loco sufficitur, eiusdem vigoris atque virtutis sit, cur semper extimescimus quod nunquam non patimur? Hic fortasè dicet aliquis, hos nequaquam corporis dissolutionem, quæ ab ipsa corporis natura proficiscitur, sed animæ sortem & aleam vereri, quam statim à morte iudicandam intelligunt, sicut Apostolus ait: Statutū est hominibus semel mori, & post hoc iudicium. Rectè sanè. Si ita est, non vtique mors quæ veri mali nihil habet, sed vita potius mala timenda est. Vita enim rectè constituta, mors adeò non formidatur, vt etiam desideretur, quemadmodum desiderabat ille qui dicebat: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Quin etiam de sanctissimis quibusque viris illud verè iactatur, quòd mortem habeant in desiderio, vitam in patientia. Hinc Greg. Theolog. in oratione funebri, quam post mortem sororis suæ feminæ religiosissimæ habuit, ait: eam sic videndi cælestis Spōsi amore flagrasse, vt nullus hominū tanto ardore vitam, quanto illa mortē desideraret. Qua ex re quāta sit multorū hominum dementia colligitur, qui id timent quod timendum non est: id verò paruipendunt, quod verissimam timoris causam habet, nempè malam vitam. Omnes enim qui in tenebris ambulant, hoc est, qui diuina luce orbati sunt, hoc habent peculiare, vt inania pericula formident, vera contemnant. Quemadmodum enim in obscura nocte, arborum trunci, & vmbræ nemorum, & eminentes petræ, & alia eiusmodi quæ inanem speciem rei alicuius metuendæ referunt, terrorem imperitis iniiciunt, qui in-

Cyprian.

Hebr. 9.

Philip. 1.

Gregor. Theolog.

Simil.

terim fortasse minimè latronum insidias propè locatas animaduertunt: sic in vita communi resinanes quasi quædam nocturnæ formidines, hominibus splendore diuinæ lucis orbatis obiiciuntur: quas dum summo studio declinant, veram atque sempiternam pestem, in quam furenter irruunt, minimè contuentur. Sed aduersus eos tamen qui pericula vera negligunt, falsaque formidant, ideoque de morte commentationem audire renuunt, sic agere vellem. Si corporis mortem adeò horrendam esse existimatis, vt nec cogitare quidem de ea possitis, quale, quæso, erit perpeti quod cogitare etiam horrendum est? Hoc enim argumento molles & delicati isti colligere deberēt, quanto ab eis studio pietas & iustitia colenda esset, ne quid haberent cur tantopere extremum hunc diem formidarent. Vix enim quicquam est quod paratiores nos ad hunc diem reddat, quàm eius assidua recordatio. Hinc Ioannes Climacus: Non est, inquit, præsentem diem piè transire, nisi eam totius vitæ nostræ vltimam existimemus. Climac. Qui autem hoc animo & mente est, is vtique omnem à se torporem & somnolentiam excutiet, & attentus semper & solicitus ad Domini sui aduentum erit. Hoc igitur agamus, fratres, hoc cogitemus, & quæ hactenus hac in re philosophati sumus, ante mentis oculos assiduè proponamus: vt qua hora Dominus aduenerit, vigilantes nos, & oleum in vasis nostris cum prudentibus virginibus asportantes inueniat: Matt. 25. vt sic tandem ad cælestes nuptias nullo vnquam æuo finiendas nos clementer introducere dignetur, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

AD LECTOREM.

QVoniam mortaliū vita ingruente fame, peste, variisq́ morbis, intestinisq́ seditionibus, & bellis infestatur (quæ diuini verbi Concionatores ad communem hominum salutem pœnitentiæ studium & peccati odium referre debent) ideo operæpretium me facturum putaui, si in harum Concionum fine, quid diuini verbi ministri, cùm aliqua noua calamitas populum premit, auditoribus suis annunciare debeant, ex sacrarum literarum monumentis attexero. Qua in re explicandi atque amplificandi ratione relicta, sola sanctarum literarum testimonia simplici nudaq́ oratione proponam eorundem amplificationem atque tractationem iudicio atq. solertiæ Concionatorum permittens. Vale.

IN COMMVNI ALIQVA CALAMITATE SIVE PESTIS, siue famis, &c. Concio vnica.

THE. *Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ, idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras.* Amos 3.



Nter miserandas cæcitates quibus hic mundus laborat, fratres charissimi, non postrema illa est, quòd communes, quæ in vita accidunt, calamitates, non Deo mundum gubernãti, sed vel naturæ, vel fortunæ, vel casui, vel ipsis etiam syderibus tribuant, cùm non defuerint amẽtes quidam, qui diluuium illud, quod hoc tempore contigit, astris & planetis ascriberent. Quæ quidem persuasio id effecit, vt mala nostra immedicabilia sint, quando castigationes Domini (quæ morborum nostrorum
Simil. medicamenta sunt) nihil apud nos efficiant. Quæ autem spes esse poterit de ægroti salute graui morbo laborantis, si nulla ex medicamentis adhibitis alleuiationem sentiat? Hoc autem eodem periculo nos conflictamur, qui tot calamitatum medicamentis à cælesti medico immissis, nihil de veteris vitæ malis emendamus. Qua de re non raro Dominus in Prophetis grauiter queritur. Hinc per Ezechielem, Multo, inquit, labore su-
Ezech. 24. Hier. 2. datum est, & non exiuit de ea nimia rubigo eius, neque per ig-
Hier. 5. nem. Et apud Hierem. Frustra, ait, percussi filios vestros, disciplinam non acceperunt. Idemq. Propheta ad Dominum, Percussisti, ait, eos, & non doluerunt: attriuisti eos, & noluerunt accipere disciplinam. Cuius rei illud in causa est, quòd communes vitæ calamitates non à Deo scelera nostra vindicante, sed vel à fortuna, vel naturali rerum humanarum cursu prouenire iudicat.

Cùm ergo hæc mentis humanæ caligo tantorum malorum causa sit, magnum me vobis obsequium præstaturum arbitror, fratres, si hanc perniciosissimam opinionem ex vulgi temeritate conceptam, apertissimis sanctarum scripturarum testimoniis cõuulsero, & omnes mũdi calamitates, non à casu, aut à fortuna, sed à diuina prouidentia mortalium scelera ad eorum salutem vindi-

vindicante, venire. Quam rem Dominus his quę à me proposita sunt Prophetæ verbis declarat, cùm ait: Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ, &c. Vt autem hoc argumentum religiosè & vtiliter tractare possimus, cælestem opem sacratissimæ Virginis interuentu suppliciter imploremus. Amos 3.

AVE MARIA.

Vt igitur quod polliciti sumus, exequamur, quinque verissimas sententias (quæ se mutuo consequuntur) apertissimis sanctarum literarum testimoniis comprobatas, vobis ante oculos ponam, quibus hanc adeò perniciosam mundi cæcitatem euidentissimè pernoscatis.

Earum prima est, omnes mundi calamitates & aduersa omnia Deo auctore vel immittente vel permittente prouenire. Hinc ipse apud Esaiam: Ego, inquit, Dominus formans lucem, Esaiæ 45. & creans tenebras: faciens malum, & creans pacem, ego Dominus faciens omnia hæc. Et iterum apud Amos: Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit. Et Dominus in Cantico Amos 3. Moysis: Ego, inquit, occidam, & ego viuere faciam; percutiam, Deut. 32. & ego sanabo. Cui sententiæ cõcinit sancta illa femina in Cantico suo, cùm ait: Dominus mortificat, & viuificat: deducit ad inferos, & reducit: Dominus pauperem facit, & ditat: humiliat, & subleuat. Neque verò magna solum, sed minima etiam à diuinæ prouidentiæ cura nullatenus excludi, testatur ipsa Veritas, cùm ait: Nonne quinque passeres væneunt dipondio, & Lucæ 12. vnus ex illis non est in obliuione coram Deo? Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Quod siquis hanc tantam diuinæ prouidentiæ solicitudinem miratur, mirari desinat, si Plutarchi ethnici Philosophi hac de re sentẽtiam legerit. Cùm Plutar. enim Euripides scripsisset, magna quidẽ à Deo curari, sed parua negligi, hunc versum corrigendum esse Plutarchus ait: nihil esse siue magnum siue paruum à diuinæ prouidẽtiæ solertia alienum esse prædicans. Si hoc igitur ethnicus Philosophus asserere non dubitauit, quid Christianũ hominem sentire par est, qui Deum adorat, hominum gratia hominem factum, & supplicio crucis affectũ? Neq. verò ea quæ casu ab hominibus fieri dicũtur, à diuina prouidentia & gubernatione secludũtur. Quã rem latè D. Aug. in libris de Ciuitate Dei probat. Quid enim casu Augus. magis fieri potuit, quàm quod in libris Regũ his verbis scriptũ 3. Reg. 22. legimus. Quidam autem vir iecit sagittam in incertum, & casu percussit Regẽ Israël inter pulmonem & stomachũ. Hoc ipsum autem

autem quàm magno Dei consilio & prouidentia gestū fuerit, in eodem contextu Cōcionator studiosus animaduertere poterit.

Quantum autem in huius veritatis cognitione vulgus hominum hallucinetur, (qui omnia hæc vel naturæ vel fortunæ opera esse diiudicat) quotidianis experimentis liquet. Hinc D. Aug. Nemo, inquit, aduersa sustinens malis suis irrogari putat, sed quod pertulerit, consuetudinis potius credit esse quàm criminis: & ideo Deus peccantes punire non creditur, quia cùm punit, non aduertitur. Aduersus hos autem Hieremias in Threnis populi sui calamitatem & vastationem deflens, & perfidiam hominum accusans, qui eam non diuinæ prouidentiæ, sed fortunæ temeritati ascribebant, tonat his verbis: Quis est iste qui dixit, vt fieret Domino non iubente? Ex ore altissimi non egredientur nec mala nec bona? Quid murmurauit homo viuens, vir pro peccatis suis? Ipse quoque Dominus apud Sophoniam: Visitabo, inquit, super viros defixos in fæcibus suis, qui dicunt in cordibus suis: Non faciet bene Dominus, & non faciet malè. Hæc autem omnia, fratres, eo à me consilio inducta sunt, vt illam ex libro Iob sententiam pectoribus vestris altissimè infigerem: Nihil in terra sine causa fit, & de humo non egredietur dolor. Quibus verbis omnia quæ in mundo eueniunt, non tam ex inferioribus causis, quàm ex prima illa rerum omnium causa & rectrice prouenire, quæ neque culicibus quidem aut formicis vlla in re deest. Hæc igitur prima sententia, & quidem verissima est.

Thren. 3.
Soph. 1.
Iob 5.

I.

Altera verò, eaque non minus vera est, Dominum in plagis inferendis quandoque se vt seuerum iudicem, quandoq. vt clementem patrem exhibere: & aliquādo quidem amici, aliquando inimici animum gerere. Hunc enim se habere ostendit, cùm apud Hieremiā ait: Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli. Quæ res tunc patefacta est, cùm id impletum fuit, quod Hieremias in Hierosolymę vastatione de hostium intemperantia loquens ait: Adolescentibus impudicè abusi sunt, & virgines in Sion humiliauerunt. Hæc enim plaga, quæ non tam corpus quàm animam attingit, seuerissimi iudicis fuit. Quid quòd gehennæ supplicium multi in hac etiam vita Domino puniente quodammodo auspicantur? Hoc enim modo impiissimus Antiochus Asiæ Rex, ac ciuitatis sanctæ atque templi vastator, & vterq. Herodes, hoc est & ille, qui pueros infantes, & qui Iacobum Apostolum occidit, puniti fuerunt. Quorum grauissima sup-

Hier. 30.
Thren. 5.
2. Mach. 9

supplicia & in hac vita cœpta & in altera cõsummata sunt. Nec hoc tempore (vt arbitror) multi desunt, qui hac eadem pœna plectantur, ij videlicet, qui grauissimis morbis affecti, vel impatientia sua, vel vitæ prauitate Dominum offendere non cessant: quos videlicet plagæ à Domino inflictæ nõ ad pœnitentiam, sed ad impatientiam & vitæ negligentiam inducunt.

Est alius castigandi modus, paternus ille quidem: quo ad meliorem mentem Dominus per flagella fideles reuocare intendit. De quo idem in Psalmo: Si, inquit, dereliquerint filij eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint, &c. visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eo. Sic Hieremias, Castigasti, ait, me Domine, & eruditus sum quasi iuuencus indomitus, quem graui vomere & laboribus assiduis perdomuisti, & ad parendum induxisti. Vnde idem Dominus: Tantummodo, inquit, sola vexatio dabit intellectum auditui. Idemq. rursum, Misereamur impio, & non discet facere iustitiam. Ex quibus verbis intelligimus huiusmodi castigationes non à iudice irato, sed à parente propitio ad salutem nostram institui. Quocirca nihil mirum si huius vtilitatis gratia postulet à Domino Propheta, vt dormitantiam & socordiam nostram illatis plagis atque verberibus excitet. Vnde ait: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Vt videlicet plagis suis eruditi, oculos ad percutientem se attollant. Nunquam autem vir diuinus hoc à Domino poposcisset, nisi has calamitates ad salutem hominum conducere credidisset. Hinc Apostolus frequentes mortes & calamitates Corinthiorum propter eorum salutem à Domino immitti testatur, cùm ait: Cùm autem iudicamur, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Qua de re extat præclarum lib. 2. Machab. capit. 6. testimonium quod sic habet: Obsecro autem eos, qui hunc librum lecturi sunt, ne abhorrescant propter aduersos casus, sed reputent ea quæ acciderunt, non ad interitum, sed ad correptionem esse generis nostri. Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere; magni beneficij est indicium. Non enim sicut in aliis nationibus Dominus patienter expectat, vt eas cũ iudicij dies aduenerit, in plenitudine peccatorũ puniat: ita & in nobis statuit, vt peccatis nostris in finẽ deuolutis, ita demũ in nos vindicet. Propter quod nunquam quidem à nobis misericordiam suam amouet; corripiens verò in aduersis populũ suum non derelinquit. Huius autẽ sententiæ

Psal. 88.
Hier. 31.
Esaiæ 28.
Esaiæ 26.
Psal. 82.
1. Cor. 11.

tentiæ veritatem confirmat vox illa Domini apud Prophetam, Tantummodo vos cognoui ex vniuersis cognationibus terræ: idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras.

Cùm igitur omnia hæc sanctarum scripturarum testimonia paternam Dei nostri castigationem curamq́. denuncient; quid superest, fratres, nisi vt quas modò patimur calamitates, ad salutem nostram ab eo immitti credamus? Quem verò animū hoc tempore gerere debeamus, sancta illa femina Iudith nos docet his verbis, Reputātes peccatis nostris hæc ipsa supplicia esse minora, (quibus quasi serui corripimur) ad emendationē nostram, non ad perditionem euenisse credamus.

Iudith.3.

Si autem peccatorum castigatio paternam erga nos Dei nostri misericordiam declarat; consequens est, indignationis eius argumētum esse in scelere obstinatis parcere. Quod apertè pro magno supplicio per Prophetā Dominus peccanti populo comminatur his verbis: Non visitabo super filias vestras, cùm fuerint fornicatæ, & super vxores vestras, cùm fuerint adulteratæ. Itemq́. in Psalmo: Exacerbauit Dominum peccator, secundum multitudinem iræ suæ non quæret. Hoc est, ob magnam indignationē suam in præsenti seculo non puniet, vt in futuro multò acrius in æternum puniat. Quo argumēto liquet, quàm magnum supplicium sit in præsenti seculo nullum de peccatis sumere supplicium, quantumq́. è diuerso diuinæ gratiæ beneficio ad tēpus in hoc seculo castigari, ne in futuro in æternum puniamur. Hinc D. Bern. Dñe hic vre, hic seca, vt in æternum parcas.

Oseæ 4.

Psal. 9

Bernard.

II.

Tertia porro sententia non minus vera est, calamitates quæ in commune omnes attingunt, propter hominum peccata immitti. Priuatas namque singularum personarum, quales beatus Iob atque Tobiæ extiterunt, non ob peccata, sed propter eorum fidem & patientiam probandam, & in exemplū patientiæ proponendam immissas fuisse constat. Non igitur de priuatis, sed de communibus populi calamitatibus loquimur: quas Dominum celerrima vltione plectere, declarant illa Moysis ad populum memoranda verba: Et scies, quoniam Dominus Deus tuus fortis & fidelis est, faciens misericordiam in millia his qui diligunt se, & reddens odientibus se statim, ita vt disperdat eos, & vltra non differat, protinus eis reddens quod merentur. Hactenus ille. Ex cuius verbis intelligimus pestes, fames, naufragia, bella, vastationes terrarum, atque adeò totius mundi excidium propter peccata euenisse. Hinc Dominus: Finis, inquit, vniuersæ car-

Deut.7.

Genes. 6.

sæ carnis venit corã me. Quam ob causam subdit protinus: Repleta est terra iniquitate, & ego disperdam eos cum terra. Præcipuè verò sterilitates agrorum, quæ frequenter accidunt, peccatis exigentibus venire apertè Oseas propheta declarat his verbis: Audite, verbum Domini filij Israël, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ; non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum, & mēdacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea, in bestia agri, & in volucre cæli: sed & pisces maris congregabūtur. Sic Hieremias, Vsquequo, inquit, lugebit terra, & herba omnis regionis siccabitur propter malitiam habitantium in ea? consumptum est animal, & volucre, quoniam dixerunt; Non videbit nouissima nostra. Denique paulò post de eadem sterilitate propter peccata immissa, longa oratione agit his verbis: Quod factum est verbum Domini ad Hieremiam de sermonibus siccitatis. Luxit iudæa, & portæ eius corruerunt, & obscuratæ sunt in terra, & clamor Hierusalē ascendit. Maiores miserunt minores suos ad aquam: venerunt ad hauriendum: non inuenerunt aquam, reportauerunt vasa sua vacua: confusi sunt, & afflicti, & operuerunt capita sua: propter terræ vastitatem, quia non venit pluuia in terram. Confusi sunt agricolæ, operuerunt capita sua. Nam & cerua in agro peperit, & reliquit: quia non erat herba. Et onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba. Si iniquitates nostræ responderint nobis: Domine fac propter nomen tuum, quoniā multæ sunt auersiones nostræ, tibi peccauimus.

Oseæ 4.

Hier. 12.

Idem 14.

Quid vero sterilitas illa trium annorum & sex mensium, sub Elia Propheta, an non ea propter peccata hominum ad Prophetæ preces à Domino immissa est? Cùm enim vir sanctus intelligeret in hoc à Deo & mundum, & homines in mundo conditos fuisse, vt conditorem suum agnoscerent, diligerent, & iustitiam cum pietate colerēt; ij vero terrenis rebus tota auiditate inhiantes nihil minus agerent, quàm id cuius gratia conditi erant; nullam subesse causam vir diuinus putauit, cur homines in mundo manere deberent, qui mundi Dominum non modò non agnoscerēt, sed variis etiam sceleribus offenderent. Ideoq. Dominum orauit, vt nubibus imperaret, ne pluerent super terram, vt ita demum impij & exleges homines paulatim inedia & fame consumerentur.

3. Reg. 17.

III.

Ex huius autem ſententiæ veritate, alia neceſſariò conſequitur, nempe vnicum omniũ publicarum calamitatũ remedium eſſe pœnitentiam, & peccatorũ deteſtationem, propter quæ ferè omnia mala à vindice peccatorũ Deo immittuntur. Hinc Pro-
Thren. 3. pheta Hieremias populi vaſtationem deflens, & remedium adhibens, Scrutemur, ait, vias noſtras, quæramusq́ue & reuertamur ad Deum.

Nec ſatis eſt (quamuis laudabile ſit) publicas preces cætu populi congregato & ordine procedente, ſollenniter indicere, niſi precibus pœnitentiam & peccatorum fugam adiũgamus: quod
Idem vbi ſupra. omnes vbique ſacrę paginę teſtantur. Hinc idem Hierem. Nos, inquit, iniquè egimus, & ad iracũdiam prouocauimus te, idcirco
Idem Ibidem. tu inexorabilis es. Et iterũ: Oppoſuiſti ait nubẽ tibi, ne transiret oratio. Quæ autem nubes iſta ſit, quæ orationis efficaciam
Pſal. 65. impedit, declarat Regius vates cùm ait: Iniquitatem ſi aſpexi
Eſaiæ 1. in corde meo, non exaudiet Dominus. Quid vero illud Eſaiæ? Cùm extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis: manus enim veſtræ ſanguine (hoc eſt, odiorum, atque diſſidio-
Iob 27. rum peccatis) plenæ ſunt. Quid item illud ex lib. Iob. Quæ ſpes erit hypocritæ, ſi auarè rapiat? Nunquid clamorem eius exaudiet Deus, cùm venerit ſuper eum anguſtia? Quam quidem ſententiam illa Hieremiæ verba confirmant. Apud illum namque ſceleratos homines inducit Dominus hoc modo loquentes: In tempore tribulationis ſuæ dicent, Surge, libera nos.
Hier. 2. Vbi ſunt dij tui, quos feciſti tibi? Surgant, & liberent te in tempore afflictionis tuæ. Quid item illud? quanto formidabilius!
Prou. 28. Qui obturat aures ſuas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Quibus verbis quid acrius dici potuit?

Publicis ergo precibus vera pœnitentia & peccatorum fuga, (quibus diuina ira concitatur, in Niniuitarum exemplo) copulanda eſt: qui non ſolùm toto corde ad Dominum clamauerũt, ſed praua etiam opera, & conſueta flagitia reliquerunt. Quæ res præcipuè iram Domini leniuit, eiusq́ue ſeueritatem in mi-
Ionæ 3. ſericordiam commutauit. Sic enim legimus: Vidit Deus opera eorum, quia conuerſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt ſuper malitia, quam locutus fuerat, vt faceret eis. Non igitur ſatis eſt, vt preces publicas frequenti populo indicamus, quo ab hac communi calamitate liberemur. Hæc enim communis calamitas ideò nos premit, quia ſunt in populo multorum odia atque inimicitiæ. Ideò premit, quia ſunt apud multos mẽdacia & periuria

ſuria multa. Ideo premit, quia multi ſunt apud nos detractores atque maledici. Ideo premit, quia multi res alienas inuitis dominis vel detinent, vel rapuerunt. Ideo premit, quia multi contra ius fasque lites falſas intendunt, eaſdemque iniuſtius defendunt. Ideo premit, quia multi adulteri alienæ pudicitiæ inſidiantes in populo ſunt. Ideo etiam premit, quia multi non ob ſcelera ſua, ſed ob aliena has calamitates prouenire dictitant. Alij enim iudicum, alij aduocatorum, alij ſcribarum; alij mercatorum peccatis non ſuis eadem imputant. Hos ego præcipuos harũ calamitatũ auctores eſſe credam: vtpote qui ad ſcelera ſua peruidenda adeò cæci; ad aliorum verò contuenda adeò ſint oculati. Quamdiu ergo flagitia hæc à nobis minime repellimus, fruſtra diuinas aures clamoribus fatigamus. Hinc Saluator, Nõ omnis, ait, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem, &c. Matth. 7.

Quæ cùm ita ſint, quinta deinde ex his quæ hactenus diximus, & poſtrema ſententia, eademque maximè formidanda ſequitur, nempe maximum reprobationis ſignum eſſe, diuinis plagis atque verberibus nihil proficere. Quam rem non obſcuris ſanctarum ſcripturarum teſtimoniis comprobabo.

Primùm enim hoc teſtatur inſignis illa Domini parabola de vinea ſua, quę cum diligenter exculta, nullũ ſalutarem fructum dediſſet, à Domino vineæ feris atque auibus vaſtanda relinquitur. Itaque ait, Auferam ſepem eius, & erit in direptionem: diruam maceriam eius, & erit in cõculcationem, & ponam eam deſertam. Non putabitur, & non fodietur: & aſcendent ſuper eam vepres & ſpinæ: & nubibus mãdabo ne pluant ſuper eam. Itaq. hoc idẽ ſupernus ille arbiter facit quod in vineis ſuis facere homines ſolent, quas vbi ſteriles, & infrugiferas inuenerint, ſine vllo cultu deſerunt. Sic medici, quoties in ægro aliqua ſalutis ſpes eſt, magna cura noxiis ei cibis interdicunt: cui tamen deſperata ſalute omnia quæ edere voluerit, liberè permittũt. Hoc ipſum autem illa Domini comminatio: Non audiuit populus meus vocem meam, & Iſraël non intendit mihi: & dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorũ, ibunt in adinuentionibus ſuis. Hoc eſt autem quod idem Dominus apud Zachariam ſceleratis hominibus minatur, cùm ait: Non paſcam vos, quod moritur, moriatur: & quod occiditur occidatur, & reliqui deuorẽt vnuſquiſque carnem proximi ſui. Eſaiæ 5. Simil. Pſal. 80.

Quid verò illa Domini vox apud Hieremiam, Probatorem dedi te in populo meo robuſtũ, & ſcies, & probabis vias eorum. Hier. 6.

Omnes isti Principes declinantes, ambulantes fraudulenter, æs & ferrum: vniuersi corrupti sunt. Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum; Frustra conflauit conflator,
Ezech. 24. malitiæ enim eorũ non sunt consumptæ. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos. Idemq. Dominus, Malitia, inquit, tua execrabilis, quia mũdare te volui, & non es mũdata a sordibus tuis, sed nec mundaberis prius, donec quiescere faciam indignationem meam in te. Qua de re idem Dominus
Idem ibidem. in eodem loco grauiter conqueritur his verbis: Multo labore sudatum est, & non exiuit de ea nimia rubigo eius, neque per
Hier. 52. ignem. Vox item Angelorum apud Hieremiam est, Curauimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam, & eamus vnusquisque in terram suam, quoniam peruenit vsque ad cælos iudicium eius, & eleuatũ est vsq. ad nubes. Itaque, vt est
Psal. 34. in Psalmo, dissipati sunt, nec compuncti: Faxit autem Christus Dominus ne de nobis hoc verè dici possit, qui tot cladibus attriti, nihilo meliores effecti sumus, sed in eisdem scelerum fæcibus infixi iacemus; quia castigantis Domini voces non attendimus, nec ob crimina nostra vapulare, & debitas pœnas dare cognoscimus.

Ex hac autem humanæ mentis cæcitate illud planè consequitur, vt plagis à Deo immissis homines adeò non corrigantur, vt interdum etiam multi deteriores per impatientiam fiant.
Chrysost. Hinc D. Chrysostom. Proh ne fas, nulla ex pœna correctio: & quasi aduersis malitia hominum prouocatur. Quid inde? Subdit protinus, sic crescit quotidie quod puniatur. Vnde illud etiã
Esaiæ 1. sequitur quod per Esaiam Dominus queritur. Vsquequo percutiam vos vltrà addentes præuaricationem? Tot enim illi flagellis non modò non corrigebantur, sed peccata etiam peccatis addere non cessabant. Ideo iustus iudex hominum Dominus, nouas quotidie plagas veteribus addebat. Sic igitur quotidie crescebat quod puniret.


Qua in re illud non leui admiratione dignum est, quod cùm
Psal. 94. Iudæi olim: adeò rebelles Deo fuerint, vt de ipsis Dominus dicat: Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi semper, hi errant corde; nihilominus tamen cum à Deo vapulabant, ad ipsius opem, plagis admoniti, scelera atque idola sua deserentes (quod in lib. Iudith videre licet) confugiebant. Vnde
Psal. 77. est illud ex Psalmo, Cum occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur: & diluculo veniebant ad eũ. An non ergo mirum est eos, qui sub lege degebant, ad hunc modum plagis impositis resipi-

resipiscere, nos verò sub gratia constitutos, ne tot quidem plagis à Deo immissis, ad meliorem mentem redire? Quis enim bella? quis fames? quis pestes? quis tot funera? quis tot hæresum monstra? quæ hoc infelicissimo seculo velut ex cauernis Erebi proruperunt, maximamque Christiani orbis, proh dolor, partem occuparunt, percensere queat? Quis noui huius Nabuchodonosoris, hoc est, principis Turcarum flagellum non extimescat? quem Dominus opibus & armis adeò potentem effecit, vt per illum de peccatis nostris debitum supplicium sumat? Et cùm tot vndique malis septi, ac pænè attriti simus, vix quisquam est, qui oculos in cælum tollat, & per tot flagella indignantis Domini iram agnoscat. Agnosco certè tenebrarũ principem mentis nostræ oculis tenebras obfudisse: quibus excæcati, iram Domini nec irarum causas, hoc est, peccata nostra, recognoscimus: cum etiam Barbarę nationes calamitates hominum propter eorum peccata prouenire credant. Sic nautæ qui cum Iona Propheta nauigabant, improuisam illam maris tempestatèm propter nauigantium scelera immissam à Deo credentes, datis sortibus criminis auctorę exquirebant. Quid verò Barbari illi, in quorum littora Apostolus Paulus naufragio eiectus est? Cùm enim, Apostolo sarmenta ad ignem congerente, vipera quædam manui eius hæsisset, protinus illi clamare cœperunt: Vtique homicida est homo hic: qui cùm euasit de mari, vltio non sint eum viuere. Quid igitur hoc esse dicam, fratres? Quibus hoc lamentis prosequar: quòd Barbari & exleges homines, calamitates à Deo propter hominum peccata immitti credant: nos verò in luce Euangelij positi, vel hoc non credamus; vel certè nihilo meliores efficiamur? Vnde liquet quod paulo antè dixi, magnum reprobationis signum esse, tot plagis attritos, & ad pœnitentiam excitatos, nullum veræ pœnitentiæ signum edere. Quid ergo superest, fratres, nisi vt orem obtesterque vos per communem fidem, per vestram salutem, vt hoc tantum periculum vitare studeatis: illamque Hieremiæ Prophetæ admonitionem, cuius paulò ante meminimus, iterum ac sæpè repetatis: Scrutemur vias nostras, quæramusque, & reuertamur ad Dominum. Pœnitentia enim est, quæ sola Dominum placat, quæ iram eius in misericordiam flectit. Vnde ipse ait: Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui vt facerem ei.

Actor. 28. Thren. 3. Hier. 18.


FINIS.


ANTVERPIAE
EXCVDEBAT CHRISTOPHORVS PLANTINVS, ARCHITYPOGRAPHVS REGIVS,
ANNO CIↃ. IↃ. LXXXI.
MENSE SEPTEMB.



Augustin.

Offenso Creatore offenditur ois Creatura





Granat Cõnc: T